



Rio. de alite.

9393









PRIMUM
CONCILIUM PROVINCIALE
VALLISOLETANUM

Q. 26.185



ACTA ET DECRETA
CONCILII PROVINCIALIS VALLISOLETANI

IN ALMA METROPOLITANA ECCLESIA

CELEBRATI

DIEBUS A XVI JULII AD I AUGUSTI

ANNO DÑI. MDCCCLXXXVII

A SANCTA SEDE APOSTOLICA RECOGNITA

IN LUCEM EDITA ET PROMULGATA

AB EXMO. AC RMO. DNO. BENEDICTO SANZ ET FORÉS,

ARCHIEPISCOPO VALLISOLETANO



VALLISOLETI

EX TYPOGRAPHIA VIDUÆ DE CUESTA ET FILIORUM

1889

PROMULGATIO DECRETORUM CONCILII.

NOS D. D. BENEDICTUS SANZ ET FORÉS,
DEI ET S. SEDIS APOSTOLICÆ GRATIA, ARCHIEPISCO-
PUS VALLISOLETANUS, ETC. ETC.

*Reverendissimis Fratribus Episcopis Comprovincialibus, ve-
nerabilibus Capitulis Metropolitano, Cathedralibus et Colle-
giali, atque totius Provinciæ Clero, et Christi fidelibus.*

QUOD omnibus Episcopis in votis erat, minimo inter illos perfi-
cere datum fuit a Patre luminum, a quo omne donum per-
fectum descendit, quique infirma eligit ut ejus virtus magis
magisque eluceat; antiquam, nempe, de conciliis celebrandis disci-
plinam, a sæculo et amplius interruptam, in Hispania instaurare.

Fratres ad hoc dedit Nobis Episcopus insigni sapientia præditos,
zelo domus Dei, animarumque succensos, et qui nobiscum cor unum
et anima una, atque labii unius cum sint, peropportunum censue-
runt communem legem in Synodali Conventu statuere sacris canoni-
bus fundatam, qua uteretur hæc nostra ecclesiastica Provincia, an-
no 1857 a ven. mem. Pio Papa IX erecta, et ad cujus normam in
unaquaque diœcesi statuta synodalia, prout illarum necessitas et
conditio expostulent, postea conficiantur.

Primum igitur Provinciale Concilium Vallisoletanum a die deci-
ma sexta Julii ad primam Augusti 1887, magna cum animi exultatio-
ne, clero et populo plaudentibus, celebravimus. In eo imprimis publice
ac solemniter testatam voluimus omnium nostrum cum Romana Ec-
clesia unionem ac concordiam, atque infallibili Petri Cathedræ obe-
dientiam ac submissionem. Ipsa magistra, antiquam catholicæ fidei
doctrinam exposuimus, atque errores omnes, qui in agro dominico
ad decipiendos fideles serpunt ac propagantur, rejecimus et perstrin-
ximus, regulas, monita, atque consilia dantes, ne populi nostræ curæ
concrediti naufragium in fide faciant, et a salutis tramite deviantur.
Ecclesiam, dein, ejus hierarchiam divinitus institutam, ipsiusque jura
descripsimus, ut inviolata serventur, atque officia omnia ecclesiastica,

ut fideliter adimpleantur explicavimus. Doctrinam de vivifico sacramentorum fonte aperuimus, nihilque omisimus, quod vel necessarium, vel opportunum videretur ad hæc salutis media digne dispensanda, ad divini cultus splendorem ac dignitatem augendam, ad cleri institutionem atque sanctimoniam fovendam, ad morum honestatem, pietatemque in populo excitandam.

Non ergo pauca sunt, nec parvi momenti quæ, Deo adjuvante, collatis consiliis, ac matura multorum deliberatione, pro muneris nostri Episcopalis officio, in Synodali conventu tractanda ac decernenda suscepimus, ad majorem Dei gloriam, Ecclesiæ honorem, animarumque salutem. Uberes in Provincia fructus ex his omnibus sperare licet, opus nostrum benedicente Domino, qui, sicut seminantibus nobis dedit semen recti consilii, potens est omnem gratiam abundare facere in nobis, et augere incrementa frugum justitiæ nostræ. Eo potius ita futurum confidimus, ex quo, ecclesiasticæ legi obsequentes, acta atque Decreta omnia quæ a Nobis et a venerabilibus Coepiscopis hujus nostræ Provinciæ, unanimi voto condita sunt, supremo judicio subjecimus Apostolicæ Sedis, quæ unitatis origo est ac fundamentum. Scimus enim Synodalia Decreta, non modo omnem vim et auctoritatem ita sibi vindicare, sed etiam cætera bona, quæ Christus Ecclesiæ suæ super firmam petram ædificatæ abundante largitur, minime deesse ubi integra ac inconcussa manet observantia et submissio in Sedem principem, cujus fides numquam deficit, et cui datum est fratres confirmare.

Nunc vero, cum decreta illa jam recognita et revisa ad Nos rursus a Sacra Congregatione Concilii transmissa sint, ut quam primum executioni mandentur, ea, tamquam Provinciæ legem nota facere decernimus. Eapropter, divino implorato auxilio, atque Immaculatæ Deiparæ Virginis, et omnium Sanctorum Provinciæ nostræ ejusque Diœceseon patrocinio, ad majorem Dei gloriam et honorem, Concilii Nostri Provincialis Vallisoletani Decreta, in volumen apposite edita, et prout a Sancta Sede recognita fuere, juxta exemplar authenticum in Archivio Nostræ Curiaë repositum, per præsentis litteras, Metropolitanici Nostri muneris auctoritate, per universam Provinciam solemniter promulgamus, atque mandamus ac sancimus ab omnibus ad quos spectat fideliter observari postquam in unaquaque Diœcesi ab Episcopis, vel in Diœcesana Synodo, vel alio modo sibi bene viso, publicentur prout in Titulo *De hujus Concilii Decretis* statuitur.

Rogamus ergo Venerabiles Fratres Coepiscopos, ut exequendis Decretis, unanimi ipsorum sententia probatis, pastoralis sollicitudine intendant, unde uberrimos communis orationis et laboris fructus percipere mereantur.

Monemus in Domino dilectissimum Nobis clerum, ut doctrinam et Decreta Concilii accipiat, non tamquam hominum verba et mandata, sed tamquam verba Christi, quæ spiritus et vita sunt, tamquam mandata Ecclesiæ, cui obedire oportet, et cujus ministerio, unusquisque in gradu suo, omnes mancipati sumus. Non enim pro hibitu, et proprio Marte locuti sumus; sed quæ a Christo Domino, quæ ab Œcumenicis Conciliis, quæ a Summis Pontificibus, quæ ab iis denique quos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei statuta sunt, in unum collegimus et proponimus, ut sciant omnes quid docendum, quid agendum, quid cavendum sit, ut fideles inveniantur et repromissionem accipiant æternæ hæreditatis.

Commonemus tandem et obtestamur per charitatem Dei fideles omnes, quos concupiscimus in visceribus Jesu Christi, ut quos Synodi Patres gregibus sibi commissis suggerunt ad salutem, grati docilesque accipiant, non ut verba hominum, sed ut ministrorum Dei et dispensatorum mysteriorum Christi, de quibus ille dixit: «qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit.»

Quæ omnia ut ex communi voto fauste eveniant, fervide orantes adeamus cum fiducia thronum gratiæ ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno, quo magnus Pastor ovium et Episcopus animarum nostrarum, auctor fidei et consummator Jesus opus nostrum perficere velit ad majorem sui ipsius gloriam, in totius Provinciæ utilitatem, et æternam omnium salutem.

Datum Vallisoleti die Sancto Petro Regalato Archidioceseos Patrono sacra 13 Maji 1889.

† BENEDICTUS, ARCHIEPISCOPUS VALLISOLETANUS.



Ex mandato Exmi. ac Rmi. Dni, Archiepiscopi,

Joseph Mesquer et Costa.

SECRETARIUS.

LITTERÆ

quibus Concilii provincialis acta et decreta Summi Pontificis
revisiōni et approbationi subjiciuntur.



Beatissime Pater,

Ex intimo cordis affectu gratias agentes bonorum omnium largitori Deo, qui nobis concessit primum celebrare Provinciale Concilium in Hispania nostra, postquam a sæculo et amplius nullum indictum fuerat, ejusdem acta et decreta a nobis in utilitatem et bonum hujus Provinciæ statuta Sanctitate Vestræ humillime exhibere, supremo vestro judicio recognoscenda, corrigenda et emendanda, obsequentissime subjicere festinamus.

Collatis consiliis, dum Sacratissimo Cordi Jesu Provinciam universam consecravimus apud sepulchrum et transverberatum Cor Beatæ Virginis Teresiæ a Jesu, ipsius provinciæ patronæ a Sanctitate Vestra, pro Apostolica sua auctoritate, donatæ, unanimes censuimus, necessarium esse synodalem conventum facere, ut communem legem habeant omnes Diœceses, quæ a duabus perantiquis provinciis segregatæ fuerunt, ex dispositione Concordati anno 1851 initi, ad hanc novam Vallisoletanam efformandam, et statim ad tantum opus præparandum nos alacriter accinximus.

De concepto proposito certiorē fecit Sanctitatem Vestram infrascriptus Metropolitā, et Apostolica benignitate animum, litteris suis, auxit nobis; unde paternā benedictione roborati, Deo auxiliante, plaudente clero et populo, synodalem actionem incēpimus et consummavimus.

Dum ergo omnia a nobis peracta et statuta Sanctitati Vestræ libentissime submittimus, Beatissime Pater, plenissimam fidei exhibemus protestationem, amoris, obedientiæ, et adhæsiōnis Sanctæ Apostolicæ Sedi, et Sanctitati Vestræ Christi in terris Vicario, magistro veritatis infallibili, unitatis centro, omnium christianorum Patri et Doctōri.

Dignetur Sanctitas Vestra, hos sinceros animi sensus, et opus hoc nostrum benigne excipere, et Apostolicam benedictionem super nos, et clerum, ac fideles totius provinciæ impertire, quam summa veneratione expetimus Sanctitatis Vestræ pedes humillime deosculantes.

Beatissime Pater,

Sanctitatis Vestræ obsequentiss. addictissimi servi ac subditi

† Benedictus Archiepiscopus Vallisoletanus.—† Antonius, Episcopus Segoviensis.—† Raymundus Episcopus Electus Abulensis.—† Thomas, Episcopus Zamorensis.—† Fr. Thomas, Episcopus Salmantinus.—† Joannes Episcopus Asturicens.—† Joseph Thomas Episcopus Philippopolitanus, Administ. Apostolicus Civitatensis.—† Ludovicus Gonzalez, Vicarius Capit. Abulensis.

LITTERÆ

Eminentissimi Cardinalis Serafini S. C. C. Præfecti
de recognitis concilii actis et decretis.



ERILLIS. ac Rme. Dñe. uti Fr. Inter assiduas pastoralis sollicitudinis curas quibus Amplitudo Tua spirituali fidelium suorum emolumento laborat, uberrimisque æternæ salutis fructibus vineam sibi a Domino concreditam fœcundat, summo cum gaudio ab Emis. PP. Tridentino jure interpretando ac vindicando Præpositis exceptum est, Te in Vallisoletana ista Urbe a S. M. Pio Papa IX in Archiepiscopalem Sedem erecta, primum Provinciale Concilium convocasse. Siquidem nobilissimum exemplum Hispaniæ universæ Præsulibus dedisti, quod post diuturnam unius sæculi interruptionem, jam plures ecclesiastici Iberici regni Provinciæ sectatæ sunt. Ex quo facile deprehendere Tibi datum erit, quam jucundum fuerit Sacro Ordini, Concilii a Te, tuisque Suffraganeis celebrati acta recipere, eaque selectæ Emorum. PP. Congregationis examini de more remittere.

Hæc autem, postquam oblatam eorumdem actorum molem ex demandato sibi munere ad trutinam convertit, summopere lætata est, se plurima, eaque præclarissima sapientiæ ac pietatis vestræ reperisse specimina, quibus, in tanta temporum nequitia, fidei puritati, morum disciplinæ, sacrorumque catholicæ Ecclesiæ jurium incolumitati prospexistis. Hinc commendatam voluit solertem tuam ac Coepiscoporum tuorum vigilantiam in religionis dogmatibus ab impiorum veneno purgandis, condemnandisque iis præsertim erroribus ac monstruosis pravarum opinionum commentis, quæ luctuosissima hac ætate haud absque exiguo juvenum atque imperitæ plebis damno late grassantur. Neque heic constitit Pastoralis sollicitudo vestra, quæ singulis ecclesiasticæ disciplinæ partibus sapientibus legibus consuluit. Hinc curas suas convertit ad errantes in rectum salutis tramitem reducendo, ad religionem ac pietatem tot idoneis mediis, præsertim devotione erga sacratissimum Cor Jesus, divini amoris sedem, in fidelium animis magis magisque fovendam, ad tuenda Dei et Ecclesiæ præcepta, festorumque dierum observantiam. His accessere saluberrima decreta quibus, quotquot in sortem Domini vocati sunt, excitantur ut omnem operam in vinea Domini excolenda, atque animarum salute procuranda studiosissime conferant.

Quid dicam de idoneis statutis, quibus catholicam doctrinam quoad matrimonii sanctitatem propugnare, ejusque legitimæ celebrationi prospicere satagistis? Quid demum de tot saluberrimis constitutionibus, quibus Vobis cordi fuit decori domus Dei, cærimoniarum majestati, Seminariorum incremento, vitæ christianæ fervori consulere? Pro tot præclare gestis, lidem Emi. PP., Smo. Dño. Nostro con-

sentiente, cui plena rerum omnium relatio facta est, Tibi, Tuisque Suffraganeis honorificum meritarum laudum testimonium referendum esse duxerunt.

Cæterum, quæ pauca in ejusdem Synodi decretis S. Ordo emendanda, vel clarius exprimenda esse censuit, habebis in pagella, quam his meis litteris inclusam Tibi remitto.

Gratum mihi denique est Emorum. PP. gratulationibus addere impensos animi mei sensus, quibus læta omnia ac fausta Amplitudini Tuæ a Domino precor.

Ampl. Tuæ.—Romæ 30 Januarii 1889.—uti Fr., A. Card. Serafini, Episc. Sab. Præf.—(† Loco sig.)—A. Gessi Sub-Secrius.



ACTA

PRIMI CONCILII PROVINCIALIS VALLISOLETANI.

Ad laudem et gloriam sanctæ et individuæ Trinitatis Patris et Filii et Spiritus Sancti, ad honorem beatæ Mariæ Virginis sine labe originali conceptæ, Hispaniarum patronæ, sanctæ Teresiæ a Jesu totius provinciæ, S. Petri Regalati Civitatis et Archidiœcesis, et aliorum sanctorum Diœceseon Patronorum, ad exaltationem sanctæ Matris Ecclesiæ, et ad salutem fidelium universæ Vallisoletanæ provinciæ. Amen.

Anno a nativitate Domini millesimo octingentesimo octogesimo septimo, ab erecta provincia Vallisoletana vigesimo nono, Ecclesiam Dei feliciter gubernante Beatissimo Patre Leone XIII, die decima sexta Julii, B. Mariæ de Monte Carmelo sacra, et qua in Hispania Triumphus Sanctæ Crucis commemoratur, Exmus. ac Rmus. D. Dr. Benedictus Sanz et Forés, Dei et Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopus Vallisoletanus, primum concilium Provinciale solemniter in nomine Domini aperuit.

ACTA PRÆVIA.

Die 22 Octobris anni 1886, octava S. Teresiæ, Provinciæ patronæ a Smo. Dno. Leone XIII nuper donatæ, Archiepiscopus cum venerabilibus Fratribus provincialibus, adstante, sacrumque solemniter faciente Rmo. Nuntio Apostolico D. Mariano Rampolla, nunc Emo. S. Rom. Ecclesiæ Cardinale, præsentibus nonnullis dignitatibus et canonicis ecclesiarum metropolitanæ et cathedralium, necnon quamplurimis parochis, aliisque de clero, et innumeris fidelibus, universam provinciam Sacratissimo Cordi Jesu consecravit in Alba de Tormes, apud sepulchrum et ante transverberatum cor Sanctæ Virginis Teresiæ.

Post solemnissimam supplicationem horis vespertinis peractam, convenientibus Episcopis, Metropolita ipsis aperuit sensum suum de celebrando provinciali concilio, omnesque uno ore plaudentes assensum præbuerunt, atque de communi consensu statuerunt illud in sequenti anno celebrandum esse, tempore ab ipso Metropolita præfigendo, postquam omnia parata censeret, atque interim de concepto voto ab omnibus servandum secretum, usque dum nihil obstare compertum fuerit, et a Smo. Patre Leone XIII benedictionem impetraret Archiepiscopus.

Facto deinde verbo cum Rmo. Apostolico Nuntio, Episcoporum probavit consilium, et ad Smum. Dominum retulit, qui benigne votum excepit, plausit, et ut quamprimum exequeretur hortatus est. Ex tunc constanti animo accinxit se Archiepiscopus ad omnia præparanda, et die 31 Maii ad Smum. Patrem humiles direxit sequentes litteras:

Beatissime Pater,

Quæ tantopere commendavit, ac præcepit sacrosancta Tridentina synodus celebrari Concilia Provincialia pro moderandis moribus, corrigendis excessibus, controversiis componendis, aliisque secundum canones renovandis, minime jam diu in Hispania convocata fuere, obstantibus potestatis civilis legibus, quæ ipsiusmet licentiam prævie obtinendam statuerunt, necnon frequentissimis rei publicæ turbationibus ex quibus tot tamque gravia advenerunt deploranda mala. Suis enim bonis expoliata ingemuit ecclesia, impedita fuit ipsius judicialis auctoritas religiosa, virorum præcipue religiosæ domus suppressæ, clericorum imminutus numerus, perversæ doctrinæ, erroresque catholicæ fidei adversantes in scholis diffusi, et publici juris in libris facti, et in diariis foliis, quæ corruptionem ubique generant.

Jam vero hæc ipsa, numquam satis lugenda mala, non modo utilissimam, uti semper fuit, sed et necessariam proclamant synodorum, tum diœcesanarum, tum provincialium coadunationem, utpote mediâ sapientissime ab ecclesia disposita ad muros Jerusalem reædificandos, tuendam servandamque fidem, populorum mores ad meliorem frugem redigendos, ac canonicam instaurandam vigorandamque disciplinam.

Specialis alia et quidem potissima in hac provincia accedit ratio. Novissime namque constituta, juxta quod in concordato, anno 1851 inito, statutum fuit, et ex diœcesibus ad Toletanam olim et Compostelanam pertinentibus, nullam habet communem omnibus et propriam synodalem legem, ideoque peropportuno videtur totius provinciæ concilium adunare, ut communi voto, quæ utilia sunt et congrua statuatur.

Hæc animo reputans, Beatissime Pater, a die qua etsi minimus inter fratres, benignitate Apostolica, ad hanc evectus fui Metropolitanam sedem, in votis habui provincialem synodum convocare. Celebrata igitur jam alia Diœcesana, carissimos comprovinciales de hac re consului, dum Albæ de Tormes convenissemus, ut cunctam provinciam sacratissimo Cordi Jesu devoveremus, sub auspiciis sanctæ Teresiæ, cœlestis patronæ nuper a S. V. nobis donatæ, illisque unanimiter plaudentibus, manus admovi ad ea omnia disponenda quæ in synodo pertractanda erunt.

Ad tanti momenti negotium quam primum persolvendum, vel maxime etiam nos allicit, quod stante hodierna politica libertate, abrogatæ censentur prioris sæculi leges, quibus, nisi regia præcederet licentia, synodales conventus prohibeban-

tur, ideoque ad pristinam autonomiam reversa est ecclesia, qua interiorem suam vitam promovere, atque disciplinam ordinare juxta sacros canones et concordata, libere potest.

Lætabundus ergo ad S. V. accedo, Beatissime Pater, cujus me obsequentissimum filium ac servum profiteor, commune provinciæ votum patefaciens, vestramque in primis veniam, deinde benedictionem, divini auxilii auspicem, implorans, ut quæ ad Omnipotentis Dei gloriam, beatissimæ et immaculatæ Mariæ Virginis honorem, ecclesiæ decus, disciplinæ splendorem, animarumque salutem in provinciali synodo, prope diem convocando, una mecum fratres Coepiscopi agere intendunt, Deo adjutore feliciter perficiamus, atque synodalia decreta, Apostolica vestra auctoritate, cui omnia libenter ac humiliter, prout de jure, subjiciemus, revisa, emendata et probata, in cleri populique utilitatem et salutem denuo promulgemus.—Sanctitatis Vestræ devotissimus, obedientissimus servus —Benedictus Archiepiscopus Vallisoletanus.—Vallisoleti 31 Maji 1887.

Interea, et certior factus jam de litteris a Smo. Patre benigne exceptis, deque proxime accipienda apostolica ipsius responsione, Concilium sequenti edicto indixit

«Nos Benedictus Sanz et Fores, Dei et Apostolicæ Sedis gratia, Archiepiscopus Vallisoletanus, Prior et Dominus Jungariæ de Ambia, etc. etc.

»Reverendissimis in Christo Fratribus Episcopis, venerabilibus capitulis Metropolitanis, cathedralibus, et collegiali provinciæ Vallisoletanæ, ceterisque omnibus quorum interest, salutem in Domino.»

«Sacrosancta Tridentina synodus, quam validissimum murum pro domo Israel misericordiarum Pater opposuit, inter tot alia, quæ de fide orthodoxa et de ecclesiastica disciplina, salutifera edidit decreta, sanxit ut provincialia concilia, sicubi omissa sunt, pro moderandis moribus, corrigendis excessibus, controversiis componendis, aliisque ex sacris canonibus permisis, renoventur, et celebrentur quolibet saltem triennio, ad quæ episcopi omnes et alii, qui de jure, vel consuetudine interesse debent, convenire omnino teneantur. (*Sess. 24 cap. 2 de ref.*)

»Si unquam alias magni fuere, profecto in tanta vertentium temporum acerbitate momenti maximi sunt hi Episcopales conventus. Quod probe noscens ven. mem. Pius IX, non semel Episcopis commendavit, ut instaurentur, et frequenter habeantur ad medendum omnibus christianæ reipublicæ malis.

»Nos igitur, his sanctissimis mandatis ac monitis obtemperare toto animo cupientes, facto verbo cum venerabilibus ac dilectissimis fratribus comprovincialibus ipsisque consentientibus et plaudentibus, primam provinciæ nostræ Vallisoletanæ Synodum celebrare statuimus, apostolica roborati benedictione Smi. Domini Nostri Leonis XIII, qui de hac ipsa indicenda synodo propositum nostrum probavit atque laudavit.

»Quare, implorato prius auxilio auctoris et consumatoris fidei Jesu Christi, principis pastorum, auctoritate nostra Metropolitana utentes ad majorem Omnipotentis Dei et Sacratissimi Cordis Jesu gloriam, in honorem Beatissimæ Virginis

Mariæ sine labe conceptæ, sanctæ Teresiæ Virginis, hujus provinciæ cœlestis patronæ, omniumque sanctorum, et in diœcesium ipsius utilitatem, synodum provincialem indicimus ac denuntiamus in Metropolitana nostra ecclesia inchoandum die decima sexta Julii proxime futuri, beatæ Mariæ Virgini de Monte Carmelo dicata, et in qua ecclesia Hispana Triumphum sanctæ Crucis commemorat, et festivo celebrat obsequio.

»Ad synodum hanc Episcopus omnes provinciæ convocamus, ut huc constituto die conveniant, vel si legitima fuerint causa præpediti, officii sui partes per procuratores adimpleant.

»Convocamus præterea capitulum metropolitanum, capitula cathedralia, et collegiatæ, ceterosque omnes, qui de jure vel consuetudine convocandi sunt; et ne quis eorum, qui quomodolibet interesse debent vel possunt, se rei ignarum profiteatur, vel neglectum putet, edictum hoc ipsum ad valvas ecclesiarum saltem cathedralium provinciæ affigi jubemus, sigillo nostro munitum, et ab archiepiscopali nostro secretario subscriptum.

»Quum vero divino potius auxilio, quam humano conatu, tanti ponderis negotium et inchoandum et absolvendum est, adeamus oportet cum fiducia ad thronum gratiæ, et ardentissimis votis Patrem luminum adprececur, ut cœlesti ejus gratia illustrati, quæ magis utilia, magis consentanea sancienda sint, mentibus nostris perspecta fiant.

»Eapropter statuimus, et ut idipsum mandent fratres comprovinciales rogamus, 1.º ut in unaquaque ex sequentibus hebdomadis usque ad synodi inceptiorem, celebretur semel cum cantu missa solemnis votiva de *Spiritu Sancto* in alma ecclesia Metropolitana, 2.º ut quotidie usque ad synodi dimissionem, in omnibus missis collecta addatur de *Spiritu Sancto*, exceptis diebus primæ classis. 3.º ut in proximiori Dominica moneatur populus de oratione ab omnibus facienda pro felici synodi eventu, et tam in ipsa, quam in sequentibus festivis diebus, post missam parochialem, a sacerdote cum fidelibus adstantibus recitetur antiphona *Salve Regina* et ter *Pater noster* in honorem S. Josephi, sancta Teresiæ, et S. Petri Regalati. 4.º ut hoc fiat quotidie a religiosis communitatibus, addendo hymnum *Veni Creator* cum versu et oratione, ac denique ut parochi et confessarii hortentur fideles ad divinum exorandum auxilium, ut celebrata Synodo, Christi religio in omnibus provinciæ diœcesibus magis magisque florescat in dies, ac tandem de profectu sanctarum ovium fiant gaudia æterna pastorum.

»Datum Vallisoleti ex ædibus archiepiscopalibus die decima septima Junii, divinissimo Cordi Jesu sacra, anni millesimi octingentesimi octogesimi septimi.—
✠ Benedictus, Archiepiscopus Vallisoletanus.—De mandato Exmi. ac Illmi. Domini Archiepiscopi—Joseph Meseguer et Costa Decanus, secretarius.»

Edicto ad valvas metropolitanæ ecclesiæ affixo, et omnibus provinciæ suffraganeis transmissio, ut ab ipsis nuntiaretur capitulis et in propriis ecclesiis publicaretur, ipsemet Metropolita ad omnia capitula litteras dedit, ut, per procurato

res ad normam juris constitutos, synodo interfuerint. Animarum curatores et fidelem populum denique hortatus est appositis litteris, idemque fecerunt Episcopi, ut preces continuo funderent pro felici successu.

Præterea, ut ad Concilium veniret, per litteras invitavit Rmum. Episcopum a diœcesi S. Christophori de Avana in Abulensem ecclesiam electum, qui prope diem bullam translationis accepturus erat ad possessionem capiendam et diœcesim gubernandam.

Denique, tam Archiepiscopus quam Episcopi, ab ipso admoniti, theologos viros, aliosque juris canonici peritos in consultores elegerunt.

Omnibus jam congregatis, et in seminario Metropolitano, et in collegio patrum ordinis S. Augustini pro Philippinis insulis, hospitio susceptis, cum Metropoli convenerunt Rmi. suffraganei, atque privatam consultationem habuerunt de iis præcipue, quæ synodi initium, synodali catalogum, pertractandarum rerum ordinem et distributionem, et cæremoniale proprius concernebunt. Placuit omnibus norma concilii ab Archiepiscopo proposita, juxta aliorum synodorum praxim, et de communi consensu votum decisivum in synodalibus actionibus tributum fuit Rmo. Episcopo electo Abulensi, atque sine voto admissum ad ipsas Rmus. D. Emmanuel Santander ex Archidiacono almæ metropolitane ecclesiæ electus in Episcopum S. Christophori de Avana.

Rei natura poscente, quadruplicis ordinis consessus celebrari statutum est, nempe:

Congregationes particulares, ex certo synodali numero, et consultoribus, quibus præst unus ex Rmis. Patribus, ad expendendam decretorum partem quæ illis examinanda committitur. Habebuntur in uniuscujusque præsidis hospitio.

Congregationes generales, ad quas omnes synodales convenire tenentur. Præside Archiepiscopo, et Spiritu Sancto per orationem *Adsumus* invocato, proponuntur decreta a commissionibus seu congregationibus particularibus examinata. Licet unicuique erit, ea observare, quæ ipsi opportuna videantur, sed sincero animo, cum caritate et modestia, ita ut vanis disceptationibus locus præcludatur. Ut facilius sensum suum omnes exprimere possint, vernaculo utentur sermone; sed quæ addenda vel mutanda in decretis censuerint synodales, latina lingua, brevique compendio scripta tradent notario. In his congregationibus, Metropoli stola rubra super rochetum et mozzettam utetur; Rmi. Episcopi habitu prælatitio, ceteri habitu talari, vel ordinis sui, si regulares fuerint.

Congregationis private, in quibus Patres Concilii tantum inter se deliberant, et auditis observationibus aliarum Congregationum, definiunt quid statuentum sit.

Sessiones solennes, in quibus, omnibus iuxta Pontificale et Cæremoniale Episcoporum peractis, leguntur decreta, et excipiuntur suffragia Rmorum. Patrum. In his Metropoli super rochetum induet amictum, albam, cingulum, stolam; pluviale rubri coloris et mitram. Episcopi super rochetum, amictum, stolam, pluviale rubrum et mitram auriphrigiatam. Capitulum metropolitanum, et officiales synodi

pluviale rubrum. Procuratores capitulorum proprium habitum chorale, ceteri non canonici superpelliceum.

Præsides metropolitanos, Episcopi sedebunt juxta consecrationis suæ tempus; Vicarius capitularis Abulensis; deinde capitulum metropolitanum; deputati capitulares, servato ordine Episcoporum suorum; Abbas capituli collegialis S. Ildephonsi; consultores, eodem servato ordine; reliqui de clero qui admissi fuerint.

CONGREGATIO GENERALIS PRÆPARATORIA.

Die 15 Julii, hora undécima, congregati sunt in ædibus archiepiscopalibus omnes ad synodum vocati, juxta quod ipsis intimatum fuerat. Ad sacellum earum accedentes, et omnibus ante altare genuflexis, Rmus. Archiepiscopus hymnum *Veni Creator* incepit, quem omnes prosecuti sunt.

Recitavit Metropolita orationem *Adsumus*, et ad contiguam aulam maximam processerunt, ubi loco præcellentiori sedit Archiepiscopus in throno; juxta illum ad utrumque latus in camerilibus sedibus Rmi. Episcopi, et vicarius capitularis Abulensis; ad oppositas mensas officiales synodi, et in locis assignatis ceteri omnes synodales.

Rmus. Archiepiscopus breviter alloquens congregatos, in primis gratias egit Deo, qui concessit concilia iterum celebrari in Hispania, et primum quidem in hac novissima provincia; adstantes Episcopos deinde salutavit, et omnes qui aderant laudavit, et cum ipsis gratulatus est pro zelo et alacritate qua ad synodalem conventum venerant.

Post hæc omnibus nuntiavit, litteras a Summo Pontifice accepisse, quibus probatur, laudatur, et benedicatur synodus, atque surgens, omnibusque pariter surgentibus, aperto capite, legit ipsemet reverenter Pontificiam Epistolam tenoris sequentis:

Venerabili Fratri Benedicto Archiepiscopo Vallisoletano.

«Leo P. P. XIII.—Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem. Intelleximus ex litteris tuis prope esse, ut Episcopi ex Vallisoletana provincia ad synodum, vocatu tuo, convenient; nec facere possumus quin magnopere vobis gratulemur, tibi quidem quod princeps et autor consilii fueris: illis, quod tecum magna approbatione censenserint. Animum adjecistis ad rem sane peropportunam, quæ exitu non carebit optato, si, quod minime dubitamus, tantum adhibueritis in ea perficienda studii, quantum fuistis in suscipienda concordēs. Tuum præcipue erit, venerabilis frater, ea communi judicio, ad deliberandum proponere, quæ maxime postulare temporis locique conditio videatur: aliquanto autem am-

pliolem patere operæ vestro campum videmus, quia nullum ad hanc diem celebratum est Vallisoletanum provinciale Concilium.

»Sed hac ipsa de causa, quemadmodum incepti vestri major opportunitas cernitur, ita majorem singuli sumite animi alacritatem: vestra laus erit, communes leges toti provinciæ primos dedisse. Dabitur autem, opitulante Deo, providas et fructuosas, quia alienæ salutis studio, uti decet Episcopos, permovemini; proptereaque quidquid in vobis est consilii, usus, prudentiæ id omne sine ulla dubitatione in communem fructum singuli afferetis. Unam rem commemoramus, quæ tamen tanti est per se, ut vix indigeat commendatione nostra: eruditionem disciplinamque cleri intelligimus, quo pars præcipua communium curarum vestrarum spectet necesse est. Profecto nec te potest, nec Episcopos fugere collegas tuos, quanti referat, clericos in parandis virtutibus varioque doctrinarum cultu adolescere, cumque adoleverint, in muneribus sacris impigre sancteque versari. Quamobrem Deum enixe precamur, ut mentes animosque vestros regat virtute Sancti Spiritus sui: cujus divini muneris auspicem et benevolentiam nostræ testem vobis omnibus et singulis Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

»Datum Romæ apud S. Petrum die XXII Junii anno MDCCCLXXXVII, pontificatus nostri decimo.—Leo P. P. XIII.

»Sedentibus iterum omnibus, Metropolita jussit legi catalogum Patrum, aliorumque synodi membrorum, quod fecit secretarius, cunctis adstantibus *adsum* respondentibus, ut sequitur.

Nomina Rmorum, Patrum, celerorumque membrorum primi concilii provincialis Vallisoletani anno 1887 celebrati:

METROPOLITA PROVINCIÆ.

Exmus. ac Rmus. D. Dr. Benedictus Sanz et Forés, Archiepiscopus Vallisoletanus.

EPISCOPI SUFFRAGANEI.

Exmus. ac Rmus. Dr. D. Antonius Garcia Fernandez, Episcopus Segoviensis.

Exmus. ac Rmus. D. Raymundus Fernandez Pierola et Lopez, Episcopus electus Abulensis.

Exmus. ac Rmus. Dr. D. Thomas Belestá Cambeses, Episcopus Zamorensis.

Illmus. ac Rmus. D. Fr. Thomas Camara et Castro, Episcopus Salmantinus.

Illmus. ac Rmus. Dr. D. Joseph Thomas de Mazarrasa, Episcopus Philipopolitanus, administrador apostolicus Civitatis.

Exmus. ac Rmus. Dr. D. Joannes Baptista Grau et Vallespinós, Episcopus Asturicensis.

VICARIUS CAPITULARIS.

Rmus. D. Ludovicus Gonzalez, vicarius capitularis Abulensis, protonotarius apostolicus.

SYNODALIS HONORARIUS.

Illmus. ac Rmus. Dr. D. Emmanuel Santander, electus Episcopus S. Christofori de Avana.

PROCURATORES CAPITULORUM.

Pro capitulo Metropolitano. Dr. D. Joseph Meseguer et Costa, Decanus. Dr. D. Urbanus Ferreira, Cantor. Lic. D. Emmanuel de la Cuesta, Canonicus Lectoralis.

Pro capitulo Segoviensi. Dr. D. Thomas Baeza Gonzalez, Decanus. Dr. D. Gabriel Rebollo Ballesteros, Canonicus.

Pro capitulo Abulensi. Lic. D. Franciscus Pindado, Canonicus Lectoralis. Dr. D. Marianus Navarro, Canonicus Doctoralis.

Pro capitulo Zamorensi. Dr. D. Joannes Simon Pujadas, Canonicus Doctoralis. Lic. D. Casimirus Erro et Irigoyen, Canonicus Magistralis.

Pro capitulo Salmaticensi. Dr. D. Raymundus Barberá, Canonicus, Vicarius Generalis. Dr. D. Franciscus Jarrin, Canonicus Magistralis.

Pro capitulo Civitatensi. Dr. D. Leonardus Malo Heredia, Decanus. Lic. D. Joseph Gonzalez Sistiaga, Canonicus Magistralis.

Pro capitulo Asturicensi. Lic. D. Pelagius Gonzalez Conde, Decanus. Lic. D. Philippus Rodriguez Arias, Canonicus Penitentiarius.

THEOLOGI AC CANONISTÆ A REV. PATRIBUS ELECTI ET AD
CONCILIUM ADMISSI.

Pro archidiœcesi Vallisoletana. Dr. D. Philippus Amo Luis, canonicus Doctoralis, et Vicarius Generalis. Dr. D. Andreas Herrador, Canonicus et Fiscalis curiæ metropolitanae, Dr. D. Franciscus Morales Bejerano, Canonicus Magistralis. Dr. D. Emmanuel Pascual Pavia, Parochus S. Jacobi: Admodum R. P. Antonius Moradillo, Rector collegii patrum ordinis S. Augustini pro Insulis Philippinis: adm. R. P. Franciscus Salesius Colina, Societatis Jesu: adm. R. P. Balbinus Martin ejusdem societatis.

Pro diœcesi Segoviensi. Lic. D. Joseph Mayo, seminarii Conciliaris rector.

Pro diœcesi Abulensi. Adm. R. P. Joachim Fonseca, ordinis prædicatorum, sacrae theologiæ magister.

Pro diœcesi Zamorensi. D. Angelus Gonzalez, Parochus Archipresbyter de Toro.

Pro diœcesi Salmantina. D. Elias Ordoñez Alvarez de Castro, Pbr.: adm. R. P. Tyrsus Lopez, ord. S. Augustini sacrae theologiæ magister: D. Emmanuel Mun, cæremoniarum magister.

Pro diœcesi Civitatensi. Dr. D. Joseph Calvo, parochus Archipresbyter de Barrueco.

Pro diœcesi Asturicensi. D. Franciscus Marsal, secretarius Rmi. Episcopi.

Concilio quoque aderunt inter ejusdem officiales Dr. D. Joannes Soldevila, Archiepiscopus almæ metropolitanæ, secretarius Concilii: Dr. D. Franciscus Rubio, Canonicus, D. Ildephonsus Poblacion, Beneficiatus, et Rmi. Archiepiscopi vice-secretarius: Dr. D. Julianus Villar et Ranedo, Beneficiatus et cæremoniarum magister: Dr. D. Franciscus Borge, Parochus S. Laurentii et theologiæ pastoralis in seminario professor: D. Nicetus Fernandez, theol. moralis in seminario professor.

Elencho synodali lecto, et acceptis litteris procurationis suæ a capitulorum deputatis traditis, Secretarius, de mandato Rmi. Archiepiscopi legit decretum de Judicibus quærelarum et excussionum, quod in actis sessionis primæ exhibebitur, et ipsis traditæ sunt credentiales deputatorum, quæ omnes legitimæ inventæ sunt, atque excussionis causa ab Abbate insignis et regiæ Collegiæ S. Ildephonsi allegata, ut ab assistentia dispensetur, quæ judicium voto pro legitima ac sufficienti habita fuit, ideoque a Metropolita dispensatus. Ipso jubente, secretarius legit decretum quo Officiales synodi constituuntur, et Promotore instante, atque Archiepiscopo annuente, ipsemet secretarius publicavit sequens

DECRETUM

DE SECRETO SERVANDO, ET RESTITUENDIS STATUTIS.

«Quum decreta Concilii Provincialis, antequam promulgentur, ex præscripto Sixti V trasmittenda sunt Sacræ Congregationi Concilii, ut ab ea expendantur, facile dignoscitur, convenientissimum esse, ut alto ac religioso silentio tegantur, donec Sancta Sedes ea recognoverit, fuerintque postea ab Episcopis promulgata. Nemini præterea latet, recti et boni leges exigere, ut via præcludatur divulgationi eorum, quæ in synodalibus congregationibus acta et dicta fuerunt, ne ansa præbeat diversis incommodis, quæ evenire possent, si quæ in secretis comitiis proponantur et dilucidentur, rationes et argumenta deducta, responsiones datæ, et ratiocinandi modus, aliis non synodalibus, sive de clero, sive de populo revelarentur.

»Quapropter de consilio et consensu Rmorum. Patrum comprovincialium decernimus, ut post unamquamque sessionem restituantur statutorum schemata ad deliberandum proposita et distributa, et quorum jam in sessione publicatio peracta fuerit. In hac autem prima congregatione generali præparatoria omnes synodales spondeant in verbo sacerdotis, se de tenore decretorum nihil divulgaturos, donec examinata a Sancta Sede, et ab Episcopis promulgata sint, de iis vero quæ in congregationibus peragentur, perpetuum et absolutum silentium esse servaturos. Quod in sequentibus sessionibus et congregationibus promittere tenebuntur, qui ad eas post hanc præparationem admissi fuerint.»

Ab Archiepiscopo interrogati omnes surgentes, tacto pectore secretum servaturos elata voce solemniter promiserunt. Deinde cunctis adstantibus distributa

sunt decretorum schemata a Rmo. Præsidi præparatorum, necnon libellum sub titulo *norma ad Concilium*, et alterum *Ordo Synodi* cum præcibus aliisque ad cæremoniale ejusdem spectantibus.

Lecta sunt ab eodem secretario decreta *de modo vivendi, de præjudicio non afferendo, et de non discedendo*, in solemnî sessione publicanda.

A Rmo. Præsidi nuntiatum fuit, synodales in septem commissiones abire, et a secretario publicari jussit nomina eorum qui ad singulas adscribuntur, ut sequitur:

COMMISSIO PRIMA.

Sub præsidio Exmi. ac Rmi. D. Thomæ Belestá, Episcopi Zamorensis: Dr. D. Joseph Meseguer, Decanus ecclesiæ Metropolitanæ: Lic. D. Franciscus Pindado, Canonicus Lectoralis Abulensis: Lic. D. Casimirus de Erro et Irigoyen, Canonicus Magistralis Zamorensis. Huic commissioni adjuncti sunt consultores Dr. D. Franciscus Morales Bejerano, Canonicus Magistralis Vallisoletanus: adm. R. P. Tyrsus Lopez, ord. S. Augustini: adm. R. P. Joachim Fonseca, ordinis Prædicatorum.

Hæc commissio perpendet Schema de *Fide Catholica*.

COMMISSIO SECUNDA.

Sub præsidio Exmi. ac Rmi. D. Antonii Garcia Fernandez, Episcopi Segoviensis: Lic. D. Pelagius Gonzalez Conde, Decanus Asturicensis: D. Dr. Marianus Navarro, Canonicus Doctoralis Abulensis. Consultores. Lic. D. Philippus Amo Luis, Canonicus Doctoralis Vallisoletanus, et Vicarius generalis: D. Dr. Andreas Herrador, Canonicus et Fiscalis curiæ Metropolitanæ: D. Joseph Mayo, Rector seminarii Segoviensis. Huic commissioni demandatur examen decretorum de *Ecclesia ejusque hierarchia et regimine*.

COMMISSIO TERTIA.

Sub præsidio Illmi. ac Rmi. D. Fr. Thomæ Camara, Episcopi Salmaticensis. Dr. D. Leonardus Malo Heredia, Decanus Civitatensis: Dr. D. Raymundus Barberá, Canonicus et Vicarius generalis Salmaticensis, cum consultoribus, D. Emmanuele Pascual Pavia, Parochus S. Jacobi Vallisoleti: Dr. D. Elia Ordonez Alvarez de Castro, Presbytero ex collegio S. Marci Salmaticensi, adm. R. P. Antonius Moradillo Rector collegii ordinis S. Augustini.

Hæc commissio perpendet schema de *Sacramentis et Sacramentalibus*.

COMMISSIO QUARTA.

Sub præsidio Illmi. ac Rmi. D. Joseph Thomæ de Mazarrasa, Episcopi Philippolitani, adm. apost. Civitatensis. Dr. D. Thomas Baeza Gonzalez, Decanus Se-

goviensis: Lic. D. Emmanuel de la Cuesta, Canonicus Lectoralis Vallisoletanus, quibus adjuncti sunt consultores Dr. D. Joseph Calvo, Parochus Archipresbyter de Barrueco, adm. R. P. Franciscus Salesius Colina Soc. Jesu, Lic. D. Emmanuel Mun, Cæremoniarum Magister Salmaticensis.

Huic commissioni datur schema de *Cultu divino*.

COMMISSIO QUINTA.

Sub præsidio Exmi. ac Rmi. D. Joannis Baptistæ Grau, Episcopi Asturicensis. Dr. D. Franciscus Jarrin, Canonicus Magistralis Salmanticensis: Lic. D. Joseph Gonzalez Sistiaga, Canonicus Magistralis Civitatis, cum consultoribus, Lic. D. Angelo Gonzalez, Parochus Archipresbytero de Toro: Dr. D. Francisco Marsal, secretario Illmi. Episcopi Asturicensis.

Hæc commissio expendet schema de *Perfectione Cleri*.

COMMISSIO SEXTA.

Sub præsidio Exmi. ac Rmi. D. Raymundi Fernandez Pierola, electi Episcopi Abulensis. Dr. D. Urbanus Ferreiroa, Cantor Vallisoletanus. Dr. D. Gabriel Rebollo Ballesteros, Canonicus Segoviensis, cum consultore, adm. R. P. Balbino Martin, Soc. Jesu.

Huic commissioni datur schema *De vita christiana*.

COMMISSIO SEPTIMA.

Præside Dr. D. Ludovico Gonzalez, Vicario capitulari Abulensi. Dr. D. Joannes Simon Pujadas, Canonicus Doctoralis Zamorensis: Lic. D. Philippus Rodriguez Arias, Canonicus Pœnitentiarius Asturicensis, cum consultore adm. R. P. Joachim Fonseca, quibus examinandum committitur schema *De bonis Ecclesiæ*.

His omnibus peractis intimata fuit sessio solemnis pro sequente die, hora octava matutina, et recitata a Rmo. Metropolita oratione *Deus cujus misericordia*: ab omnibus antiphona *Sub tuum præsidium*, et a præside ✕. *Ora pro nobis*..... et oratione *Gratiam tuam*, Rmi. Patres, cunctique synodales gaudentes, a loco congregationis recesserunt.

SESSIO SOLEMNIS PRIMA.

Die 16 Julii, sabbato ante dominicam VII post Pentecostem, festo Bmæ. Mariæ Virginis de Monte Carmelo, et Triumpho S. Crucis in Hispania, persolutis summo mane a capitulo Metropolitano horis canonicis et missa conventuali, conveniunt in Alma metropolitana ecclesia procuratores capitulorum, theologi et canonistæ, parochi et clerus civitatis, et habitu conciliari induti processionaliter accesserunt ad ædes archiepiscopales, ubi expectabant Rmi. Episcopi, qui ad

processionis adventum pluviale rubrum et mitram auriphrigiatam acceperunt, et Vicarius capitularis Abulensis cum habitu protonotarii apostolici. In sacellum, præunte subdiacono archiepiscopalem crucem deferente, intravit Metropolita, cappa magna indutus, et comitantibus concilii patribus. Deposita cappa, sacra indumenta assumpsit, et omnibus cum ipso ante altare genuflexis, intonuit hymnum *Veni, Creator* .. quem prosecuti sunt cantores. Post primam stropham, ordinari cæpit processio versus metropolitanum templum, festivo more sonnantibus omnium ecclesiarum campanis, sicut jam pridie mane et vespere pulsatæ fuerant. Processionem sequebantur, ad ipsam invitati ab Archiepiscopo, qui superiorem exercent magistratum civilem, militarem, municipalem, et judicalem, necnon universitatis Rector, commissionesque collegii advocatorum, aliorumque, atque innumerus populus qui vias, plateas, ipsamque ecclesiam occupabat. Processione durante, solemniter decantati fuere canticus *Benedictus* et hymnus *Ave maris stella*, usque dum metropolitanam ecclesiam ingressi sunt concilii Patres, sonantibus organis. Ad sacellum sanctissimi Sacramenti pervenientes, genuflexi aliquantulum in ipsius adoratione permanserunt, ad presbyterium deinde progredientes, ubi Metropolita thronum conscendit. Rmī. Patres sedes camerales apte dispositas, ceteri synodales scamna præparata ante ipsum presbyterium, et magistratus aliique invitati locum suum occuparunt.

Postquam pontificalia paramenta induit Archiepiscopus cum pallio et mitra pretiosa, silentibus jam organis et campanis, de throno descendit, Episcopus salutavit, capitulo et clero benedixit, et ad altare majus accedens, solemnī ritu missam *de Spiritu Sancto* celebravit, quam schola cantorum metropolitanæ festive et devote prosecuta est.

Finita missa, absque solemnī benedictione, paramenta deposuit Metropolita, et pluviali reassumpto cum mitra auriphrigiata, de throno descendens, ad faldistorium venit in medio presbyterii, ibique sedit, Rmīs. Patribus ad utrumque ipsius latus, statuto ordine, item sedentibus. Surgens deinde, et omnibus cum ipso in genua procumbentibus, intonuit antiphonam *Exaudi Domine*....., quam cantores continuarunt, quā finita, et omnibus consistentibus, cantatus fuit Psalm. LXVIII *Salvum me fac Deus*..... post quem repetita antiphona, Archiepiscopus, deposita mitra, recitavit orationes *Adsumus*..... et *Omnipotens*..... Omnibus genuflexis, cantatæ sunt *Litaniæ Sanctorum*, et Archiepiscopus surgens post v. *Ut omnibus fidelibus defunctis*..... synodum benedixit, dicens: *Ut hanc præsentem synodum visitare, disponere, et benedicere ✠ digneris*. Post *Litaniæ* dixit orationem *Da quæsumus*....., et ad sedem in suppedaneo altari positam ascendit, quo accedens Canonicus Diaconus cum Subdiacono benedictionem more solito petit, eaque accepta, cantavit Evangelium *Convocatis Jesus*..... Post Evangelii cantum, Archiepiscopus genuflexus intonuit hymnum *Veni Creator*..... qui usque in finem ab omnibus prosecutus est.

His omnibus peractis, Metropolita pulpitum ascendens in cornu Evangelii ad oram presbyterii, sequentem ad synodum allocutionem habuit:

Venerabiles fratres, dilectissimi filii:

«Advenit jam faustissima dies concilium primum Vallisoletanæ provinciæ celebrandi. Gaudeamus ergo et exultemus in Domino, qui dedit nobis, post tantum temporis spatium quò hæc synodalia comitia in nostra Hispania gravissimis difficultatibus impedita fuere, primos esse in instauranda veteri disciplina, et observanda ecclesiastica lege de provincialibus conciliis ineundis, unde enatum videmus morem antiquitate venerabilem, experientia probatissimum, utilem semper, necessarium aliquando.

»Et certe quidem venerabilem antiquitate, quum ipsemet Christus Dominus hujus instituti auctor sit. Postquam enim Apostolis suis ligandi atque solvendi potestatem tribuit, ita ut quod in terris ipsi solverent vel ligarent, solutum vel ligatum sit in cælis, dixit: ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum (1). Verbum Christi tenentes Apostoli, etsi, Spiritu Sancto pleni, uberem sacrarum rerum cognitionem singuli acceperant, in unum convenire statuerunt, ut, eodem Spiritu Sancto ducti, de re gravi pro Ecclesia nascente definirent, et normam agendi fidelem populum docerent (2); exemplum relinquentes iis qui post eos recturi erant Ecclesiam.

»Ex tunc jam usus invaluit episcopales conventus celebrandi, de quibus scribebat Episcopus et martyr Cyprianus:—Necessario apud nos fit, ut per singulos annos priores ac præpositi in unum conveniamus ad disponenda ea, quæ curæ nostræ commissa sunt, ut si quæ graviora sunt, communi consilio dirigantur.—

»Pace ecclesiæ Christi reddita, initium habuit illa œcumenicorum conciliorum series, quæ hæreticorum cavillationes dissiparunt, fidem incolumem servaverunt, atque solidissimum ecclesiasticæ disciplinæ fundamentum statuerunt, super quod, sequentibus sæculis in altum crevit et perfectum evasit. Præter illa veneranda totius ecclesiæ concilia, quæ nominare tantum laudare est, particularia ab initio frequentissime celebrata fuere, jubente Nicena synodo, ut bis in anno Episcopi cum Metropolitano conventum facerent, ac in Hispania nostra semel saltem in anno ex præscripto tertii Toletani concilii, quod quartum quoque confirmavit, statuente demum sacrosancta Tridentina synodo, ut quolibet triennio provinciale concilium, et quotannis diœcesana synodus conveniant.

»Quod, Spiritu Sancto edocta, constantissime tenuit ac servari voluit ecclesia catholica, absque dubio utilissimum esse fatendum est; et certe quidem experientia constat, ex synodalibus comitiis innumera semper ecclesiasticæ civilique reipublicæ beneficia effluxisse. Ne in longum protrahatur sermo noster, ad Toletana præsertim celeberrima, ceteraque Hispaniæ nostræ concilia oculos si quis convertat, no poterit quin fateatur, omnia bona regioni nostræ venisse pariter cum

(1) Matth. XVIII. 18 20. (2) Act. ap. XV.

illis, atque ex illo tempore in immensum succrevisse in catholico Hispano populo, cum fidei firmitate et religionis zelo, patriæ ipsius amorem, atque in fide, religio-
neque tuenda, et patriæ honore ac incolumitate restituenda bellicum illum ardo-
rem, quo per tot sæcula contra hostes dimicantes patres nostri, gloriam adepti
sunt in conversatione gentis, et habentur in laudibus (1).

»Ut vero de iis tantum loquamur, quæ ad proprium ecclesiæ finem spectant, fidem scilicet et mores, Dei honorem et hominum salutem, omnia et singula concilia, eodem spiritu animata, ubique locorum omni zelo incubuerunt, ut lites componerent, pacem restituerent, abusus auferrent, scandala et vitia evellerent, cleri populique christiani mores virtutum splendore fulgere facerent, atque Christi Domini, ejusque veritatis imperium propagarent, firmarentque. «Salus ecclesiæ, terror hostium ejus, et fidei catholicæ stabilimentum sunt synodi, quas etiam rectissime ecclesiæ nervos dixerimus:» Ita patres concilii Coloniensis (2).

»Sed, si utilia semper concilia, necessaria aliquando dicenda sunt. Et si aliquando, hodie absque dubio urget eorum celebratio. Quam tristis enim sit, et rei catholicæ inimica atque acerba temporum nostrorum conditio omnibus patet, dum ingemiscere cogimur, esse foris pugnas, intus timores et pressuras, dum multorum languescit fides, caritas frigescit, irreligiositas, ejusque indivulsa comes corruptio et dissolutio morum a maximo usque ad minimum invadere nefando ausu contendit, et domos, familias, populos, societatem universam in ruinam vertere. Abeunt fides, auctoritas, mores; impugnatur religio, societas, familia: et quid ergo non timendum?

»Timendum certe, sed minime desperandum. Pro nobis Deus; et si Deus pro nobis, quis contra nos? (3): Nobiscum Unigenitus Dei Filius, qui medium nostri stare promisit (4), et non deserit nisi deseratur. Nobiscum Immaculata Dei Genitris, cui Deus dedit omnes hæreses conterere in universo mundo, et cujus Hispania nostra velut dos et patrimonium est. Nobiscum tonitruï Filius, cui Hispaniarum gentem protegendam commisit Deus. Oculos in cælum levate: quot agmina sanctorum martyrum, pontificum, conessorum, virginum, qui omnes terram nostram suo fœcundarunt sanguine, illustrarunt sapientia, ornaverunt virtutibus, quique de sua gloria securi, de nostra salute solliciti, fratrum amatores multum orant pro gente et familia sua!

»Ad medendum vulneribus populi christiani vocati sumus, venerabiles fratres; ad firmandam fidem, quæ initium est salutis, ad Ecclesiæ tuenda jura, quæ antemurale sunt ipsius humanæ societatis; ad procurandam Dei gloriam, ad splendorem divini cultus promovendum, ad cleri perfectionem augendam, ad populi christiani fovendam pietatem, ut fide plenus, caritate flagrans, vitia fugiens, Dei ejusque Ecclesiæ mandatis obtemperans, pacem et unitatem custodiens, ad pristinam religiositatem rediens, obsequium illius placeat Deo sicut dies sæculi, et sicut

(1) Eccl. XLIV, 7. (2) De synodorum celebr. cap. 9.

(3) Rom. VIII, 31. (4) Matth. XXVII, 20.

anni antiqui (1), et de ipso iterum semperque dicatur: *isti sunt semen, cui benedixit Dominus* (2).

»Rem igitur magnam aggredimur, fratres: non enim de vanis, caducibus, et fallacibus hujus sæculi rebus, sed de gloria Dei, de ecclesiæ decore, de nostra et de commissi nobis gregis æterna salute procuranda per ecclesiasticas leges, nobis est agendum. Impares certissime sunt vires nostræ; ast non in eis confidentia nostra, sed in omnipotentis Dei dextera quæ facit virtutem, et humilia ac infirma eligit, ut confundat fortia (3); sed in Christi Jesu potentissimo auxilio, qui discipulis suis dixit: *«confidite filii, ego vici mundum»* (4), et pro quo legatione fungimur (5); sed in ecclesiæ ipsius virtute ac virilitate, fundatæ supra firmam petram, et adversus quam portæ inferi non prævalebunt (6). Operi ergo nostro toto pectore incumbamus, manus alacriter admoveamus, oculos in montes æternos levantes, unde veniet auxilium nobis (7). Veniet, fratres: Summus Pontifex, sicut heri lætabundi audistis, propositum nostrum probat, laudat, benedicit; et scriptum est: *«benedicto patris firmat domos filiorum»* (8). Dum benedicit, orat; ait enim: *«Deum enixe precamur, ut regal mentes, animosque vestros virtute Sancti Spiritus sui»* (9).

»Exaudi, Domine, de cælo sancto tuo orationem, qua pro nobis orat te hodie fidelis et prudens servus tuus, quem constituisti super universam familiam tuam (10), et mitte nobis sedium tuarum assistricem sapientiam, quæ nobiscum sit, et nobiscum laboret (11).

»Domine Jesu, princeps pastorum (12), auctor et consummator fidei nostræ (13); Tu dixisti: *«si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcumque petierint, fiet illis a Patre meo, qui in cælis est»* (14). Ecce Domine, adsumus consentientes; cor unum, et anima una sumus: fiat ergo sicut promisisti, et veni, et esto in medio nostri, et dirige viam justitiæ, et sciant omnes qui habitant terram, quia tu es Deus conspexor sæculorum (15).

»*Monstra te esse matrem*: intercede pro nobis sancta et immaculata Dei Genitrix Maria, cleri regina, gloria et lætitia omnium sacerdotum (16). Ora pro nobis sancta Teresia, totius provinciæ decus et patrona. Tibi, data dextera, cælestis sponsus commisit suum zelare honorem: ecce de honore sponsi dilectissimi agitur, de causa ecclesiæ, pro cujus legum et institutionum, etsi minimarum, observantia sanguinem fundere peroptabas; de salute populi tui, cui data fuisti, ut in terris esses exemplum et in cælis patrocinium. Orate etiam vos, sancti omnes dioceseon nostrarum cives dum in stadio et certamine fuistis; protectores, ex quo bravium accepistis, ut ex synodali actione nostra proveniat populis salus, clero virtus, ecclesiæ gaudium, Regi sæculorum immortalis et invisibili, soli Deo honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen (17).»

(1) Malach. V, 4. (2) Isai LXI, 9. (3) 1, Cor. I, 27. (4) Joan. XVI, 33.
 (5) 2, Cor. V, 20. (6) Matth. XVI, 18. (7) Psalm. CXX, 1. (8) Eccl. III, 11.
 (9) Epist. ad Archiep. 22 Jun. 1837. (10) Luc. XII, 42. (11) Sap. IX, 4.
 (12) S. Petr. V, 4. (13) Hebr. XII, 2. (14) Matth. XVIII, 19. (15) Eccl. XXXVI, 19.
 (16) S. Ephræm. serm. de laud. Deiparæ. (17) I. Tim. I. 17.

Ad sedem suam reversus est post allocutionem Rmus. Præsul, et accedens primus promotor a magistro cæremoniarum associatus, factaque reverentia instavit dicens:

«Rme. in Christo pater: quoniam faustissima nobis cum omnibus lætissima »advenit dies, qua primum concilium provinciale Vallisoletanum celebrari possit, »et cum omnes qui de jure vel consuetudine huic synodo interesse debent et »possunt, hic in Domino congregatos esse videamus, ego Urbanus Ferreiroa ab »excellencia vestra, auctoritate metropolitana hujus concilii promotor constitutus, »insto et supplex oro, ut hoc concilium nunc aperiendum, ac decretum de ejus »initio publicandum esse, excellencia vestra mandari velit.»

Metropolitanus respondit: *Habeatur sententia Patrum*. Reverso promotore in locum suum, primus secretarius ascendit ambonem in cornu epistolæ ad oram presbyterii positum, et patres interrogavit: «Exmi. ac Rmi. patres: Placet ne vobis »ad laudem et gloriam sanctæ et individuae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus »Sancti, ad tuendam et augendam christianæ religionis disciplinam pro moderan- »dis moribus, corrigendis excessibus, controversiis componendis, aliisque a sacris »canonibus permissis concilii primi provincialis Vallisoletani initium fieri?»

Secundus secretarius cum altero ex notariis ad singulos patres accessit eorum votum exquirens, illisque respondentibus *Placet*, ad Metropolitanum retulit, qui alta voce dixit: «Decretum placuit omnibus patribus: decernimus itaque primæ »provinciali nostræ synodo initium fieri, et jam factum esse, ideoque agendæ »sunt Deo gratiæ.»

Rmi. patres responderunt: Deo gratias.

Tunc secretarius accepit de manu Archiepiscopi sequens decretum, quod ex ambone legit:

«In nomine santissimæ et individuae Trinitatis Patris et Filii et Spiritus Sancti.

»Nos Benedictus Sanz et Forés, Dei et Apostolicæ Sedis gratia, Archiepiscopus Vallisoletanus.

»Ad laudem et gloriam Dei omnipotentis, ad honorem beatissimæ et Immaculatæ Virginis Dei Genitricis Mariæ, S. Josephi ipsius Deiparæ sponsi, et catholicæ ecclesiæ patroni, sanctorum apostolorum Petri et Pauli, sanctæ virginis Teresiæ totius provinciæ, et sanctorum uniuscujusque ejusdem diœcesis cœlestium patronorum, ad sanctæ matris ecclesiæ decorem, et ad utilitatem cleri et populi, de consilio et consensu reverendissimorum Patrum comprovincialium, statuimus et decernimus hac ipsa die decima sexta Julii B. Virginis de Monte Carmelo sacrata, et in qua triumphum sanctæ Crucis commemorat atque celebrat ecclesia Hispana, initium fieri atque factum esse concilii primi provincialis Vallisoletani, quod auctoritate nostra metropolitana indiximus atque convocavimus. Deus Pater luminum in adjutorium nostrum intendat, et Dominus Jesus Christus, in cujus nomine congregamur, in medio nostri adesse dignetur, ut quod rectum est in oculis suis agnoscamus et decernamus.»

Promotor deinde accessit, et facta reverentia instavit dicens:

«Exme. ac Rme. in Christo Pater: Quum sacrosancta Tridentina synodus sessione XXV cap. 2 de reformatione sanciverit, ut singuli Episcopi ac presbyteri in concilio provinciali congregati, publicam fidei professionem emittant, nec non Summo Romano Pontifici veram obedientiam promittant, et profiteantur; ego Urbanus Ferreiroa hujus concilii provincialis constitutus promotor, insto ac oro, ut excellentia vestra decretum de emittenda fidei professione legendum et publicandum decernere dignetur.»

Respondit Metropolitanus: *Ita decernimus, atque mandamus*, tradiditque secretario decretum quod publicatum fuit.

DECRETUM

DE PROFESSIONE FIDEI EMITTENDA.

«Semper in Ecclesia Dei hæc viguit disciplina, ut Episcopi ad sacra comitia coeuntes, se catholicam fidem profiteri, et præcedentia œcumenica concilia recipere ac admittere publice profiterentur. Tridentina quoque synodus statuit, ut omnes qui de jure aut consuetudine synodo provinciali interesse debent, publicam fidei professionem emittant in ipso. Patrum morem gerentes, et Tridentinæ insistentes præscriptioni, ita fieri a nobis, et Rmis. Coepiscopis, ceterisque in hac synodo congregatis, juxta formulam a Pio IV sancitam, et a Pio IX per decretum sacræ Congregationis Concilii auctam, fieri decernimus.»

Tunc Metropolita, deposita mitra, et genuflexus ad altare, professionem fidei emisit.

«Ego Benedictus Sanz et Forés, Dei et apostolicæ Sedis gratia, Archiepiscopus Vallisoletanus, firma fide credo et profiteor omnia et singula, quæ continentur in symbolo fidei, quo sancta romana ecclesia utitur, videlicet: credo in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem cæli et terræ, visibilibus omnium et invisibilibus. Et in unum Dominum Jesum Christum filium Dei unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia sæcula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de cælis. Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine: et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis, sub Pontio Pilato passus et sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum Scripturas. Et ascendit in cælum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria judicare vivos et mortuos, cujus regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum, Dominum et vivificantem: qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur: qui loquutus est per prophetas. Et unam, sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi sæculi. Amen.

»Apostolicas et ecclesiasticas traditiones reliquasque ejusdem ecclesiæ observationes et constitutiones firmissime admitto et amplector. Item sacram Scripturam juxta eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto, nec eam unquam, nisi juxta unanimem consensum Patrum, accipiam et interpretabor.

»Profiteor quoque septem esse vere et proprie Sacramenta novæ legis a Jesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis, necessaria, scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam unctionem, Ordinem et Matrimonium, illaque gratiam conferre, et ex his baptismum, confirmationem et ordinem sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque et approbatos Ecclesiæ catholicæ ritus in supradictorum omnium sacramentorum solemnè administratione recipio et admitto. Omnia et singula, quæ de peccato originali et de justificatione in sacrosancta Tridentina Synodo definita et declarata fuerunt, amplector et recipio. Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum proprium et propitiatorium sacrificium pro vivis et defunctis, atque in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento esse vere, realiter et substantialiter corpus et sanguinem, una cum anima et divinitate Domini nostri Jesu Christi, fierique conversionem totius substantiæ panis in corpus, et totius substantiæ vini in sanguinem, quam conversionem catholica ecclesia transubstantiationem appellat. Fateor etiam sub altera tantum specie totum atque integrum Christum, verumque sacramentum sumi. Constanter teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis juvari. Similiter et Sanctos una cum Christo regnantes venerandos atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas. Firmiter assero imagines Christi ac Deiparæ semper Virginis, necnon aliorum sanctorum habendas et retinendas esse, atque eis debitum honorem ac venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in ecclesia relictam fuisse, illarumque usum christiano populo maxime salutarem esse affirmo. Sanctam, catholicam et apostolicam Romanam Ecclesiam omnium ecclesiarum matrem et magistram agnosco, Romanoque Pontifici beati Petri apostolorum principis successori ac Jesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo ac juro.

»Cætera item omnia a sacris canonibus et œcumenicis conciliis ac præcipue a sacrosancta Tridentina Synodo, et ab œcumenico concilio Vaticano tradita, definita et declarata, præsertim de Romani Pontificis Primatu, et infallibili magisterio, indubitanter recipio atque profiteor; simulque contraria omnia, atque hæreses quascumque ab ecclesia damnatas, et rejectas et anathematizatas ego pariter damno, rejicio et anathematizo. Hanc veram, catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in præsentì sponte profiteor et veraciter teneo, eandem integram et immaculatam usque ad extremum vitæ spiritum constantissime, Deo adjuvante, retinere et confiteri, atque a meis subditis, seu illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri et doceri et prædicari, quantum in me

erit, curaturum Ego idem Benedictus Sanz et Forés, spondeo, voveo, ac juro. Sic me Deus adjuvet et hæc sancta Dei evangelia.»

Deinde sedens Archiepiscopus, evangeliorum librum in ulnis tenuit, et ad eum accesserunt primum singuli Episcopi, et Vicarius capitularis Abulensis, deinde bini et bini ceteri omnes synodales, et genuflexi, ac manibus super evangelia positis enunciarunt hanc formulam.—Ego N. idem spondeo, voveo ac juro, sic me Deus adjuvet et hæc sancta Dei evangelia.

Professione fidei facta, promotor petiit publicari decreta prævia his verbis:

«Excme. ac Rme. in Christo Pater: secundum antiquam ecclesiæ disciplinam ille semper usus observatus est, ut in initio concilii provincialis varia decreta ederentur et prælegerentur, videlicet de modo vivendi in synodo, de synodi officialibus, de præjudicio non afferendo, et de non discedendo, quapropter ego hujus concilii promotor, insto et ab excellentia vestra peto ut prout id usus exigit, hæc decreta ex ambone prælegantur et promulgentur.

Annunte Metropolita, decreta tradidit secretario qui ex ambone publicavit

DECRETUM

DE MODO VIVENDI.

Quoniam gravissima et sanctissima religionis negotia complectitur opus ad quod accingimur; vires autem humanæ impares sunt, ut ea, quæ sunt Dei, prout oportet, perficiant, omnes et singulos, qui ad synodum accesserunt, in Domino monemus, ut dum sacris concilii laboribus curam impendunt, in omni opere bono abundant. Precibus et sacrificiis omni cum humilitate, et caritatis operibus postulemus a Domino, ut det nobis sedium suarum assistricem sapientiam, ut mittat illam de cælo sancto suo, ac nobiscum sit et laboret. Quam maxime, sicut semper, his præsertim diebus studeamus omni virtutum exercitio incumbere, ut Christi bonus odor simus in salutem omni credenti.

DECRETUM

DE SYNODI OFFICIALIBUS.

Ad actiones concilii rite dirigendas, et accurate promovendas, ad decreta item prælegenda, et acta legitime conficienda, necnon ad alia quæ ad ipsius synodi ordinem spectant procuranda et optata dignitate perfigenda, quibusdam adjutoribus opus est, qui juxta monitum cæremonialis Episcoporum deputandi sunt. Idcirco consultis Rmis. Confratribus nostris, officiales concilii eligimus et nominamus, videlicet:

PROMOTORES

- D. Urbanus Ferreiroa, Cantor almæ ecclesiæ metropolitanæ
 D. Raymundus Barberá, Canonicus et Vicarius generalis Ilmi. Episcopi Salmaticensis.

NOTARII

- D. Philippus Amo Luis, Canonicus Doctoralis et Vicarius generalis Rmi. metropolitani.
 D. Franciscus Rubio, Canonicus almæ ecclesiæ metropolitanæ.
 D. Ildephonsus Poblacion, Beneficiatus et vicesecretarius Rmi. Metropolitan.

SECRETARIUS

- D. Joannes Soldevila, Archipresbyter almæ ecclesiæ metropolitanæ.

ADJUTORES

- D. Franciscus Borge, Parochus S. Laurentii.
 D. Nicetus Fernandez, seminarii conciliaris professor.

MAGISTRI CÆREMONIARUM

- D. Julianus Villar, ecclesiæ metropolitanæ magister cæremoniarum.
 D. Anicetus Alvarez, magister cæremoniarum cathedralis ecclesæ Salmaticensis.

OSTIARI

- D. Laureanus Guilarte, Beneficiatus sanctæ metropolitanæ ecclesiæ.
 D. Augustinus Ruesga, sacrista ejusdem ecclesiæ.
 D. Celedonius Ruiz, cappellanus ejusdem ecclesiæ.

DECRETUM

DE PRÆJUDICIO NON AFFERENDO.

Ne ex edicto convocationis ad concilium, aut ex statuto ordine sedendi, vel ex aliqua cujusque actione in synodo, quæstiones in posterum oriantur de acquisito, vel amisso jure aut privilegio, decernimus et declaramus, quod nulli propter ea præjudicium generatur, aut novum aliquod jus acquiritur, sed omnia in eodem statu rata firmaque manere, in quo sane antea erant, quam hoc provinciale concilium haberetur.

DECRETUM

DE NON DISCEDENDO.

Dum a Deo enixe precamur ut eorum, quos in hac synodo congregavit, exitum quoque custodire dignetur, Rmos. concilii Patres in Domino hortamur, ne priusquam, more consueto, conventus synodalis dimissus fuerit, ex hac urbe discedant, nisi justam causam habeant. Quæ a nobis probata, discessuri obligantur idoneum constituere procuratorem, qui decreta concilii suo et antistitis sui nomine suscipiat et eisdem subscribat. Ceteros omnes nobiscum in synodo consistentes hortamur et jubemus, ut antequam concilium dimissum sit, sine causa a iudicibus excusationum cognita, et a nobis probata non discedant

Decretis lectis, secretarius dixit: *Rmi. Patres placentur vobis hæc decreta?*

Alter secretarius cum notario vota patrum exquisivit, et metropolitano detulit, qui alta voce dixit: *Decreta placuerunt patribus, ideo agenda sunt Deo gratiæ.*

Respondentibus illis *Deo gratias*, iterum accessit promotor, et instavit dicens:

«Exme. ac Rme. in Christo Pater: Quum in actione synodali iudices constituere oporteat, quibus querelas, excusationes et controversias, si quæ ortæ fuerint, audire, examinare ac de iis ad Patres, ut decernant, referre incumbit: ego Urbanus Ferreiroa concilii promotor insto atque oro ut excellentia vestra ejusmodi iudices nominare, atque decretum de eorum nominatione publicari decernat.»

Respondit Archiepiscopus: *Ita decernimus et ordinamus*, atque secretario tradidit decretum ex ambone publicandum.

DECRETUM

DE JUDICIBUS EXCUSATIONUM ET QUERELARUM.

Juxta sacrorum canonum institutum audire oportet querelas, si quæ sunt, et de excusationibus judicare. Quapropter antiquum conciliorum usum sequentes, aliquos querelarum et excusationum iudices constituere decernimus, quibus procuratorum documenta examinare, ac querelas et excusationes, si quæ forte fuerint, diligenter audire et exactius exquirere, atque pacifice componere, aut demum de omnibus, una cum iudicio suo prævio ad nos referre incumbit, ut de iis cum Patribus judicemus et definiamus. Quamobrem cum assensu Reverendissimorum Patrum nominamus iudices synodales:

Illmus. D. Joannes Baptista Grau, Episcopus Asturicensis.

Illmus. D. Ludovicus Gonzalez, Vicarius capitularis Abulensis.

D. Pelagius Gonzalez Conde, Decanus capituli Asturicensis.

D. Joseph Gonzalez Sistiaga, Canonicus Magistralis Civitatis.

D. Joannes Pujadas, Canonicus Doctoralis Zamorensis.

Accessit promotor et dixit:

«Exme. ac Rme. in Christo Pater: Quum hodie sit dies decima sexta julii, quo omnes ad hoc concilium provinciale legitime inductum adesse debent: ego concilii promotor, insto ac requiro ut omnes et singuli Rmi. Episcopi, alique synodales nominatim vocentur.»

Respondente Metropolita: *Ita decernimus fieri*, secretarius ex ambone legit elenchum omnium qui synodo interesse debent, qui omnes *Adsum* dixerunt, et sunt quotquot supra in congregatione præparatoria descripti leguntur.

His peractis, promotor instavit pro indictione sequentis sessionis dicens:

«Exme. ac Rme. in Christo Pater: In conciliis provincialibus semper extitit usus, ut in prima sessione dies et locus secundæ sessionis indiceretur: Quare insto, ut idem quoque nunc in hoc concilio observetur.»

Respondit metropolita: *Habeatur Rmorum. Patrum sententia*, et secretarius ex ambone interrogavit dicens: *Rmi. Patres: placetne vobis ut sessio secunda sollemnis habeatur die vigesima hujus mensis, quæ erit feria IV hebdomadæ sequentis, ita tamen ut prorogari vel contrahi possit prout rerum adjuncta postulent?*

Exquisito ab altero secretario cum notario voto Rmorum. Patrum, et Metropolitæ delato, ab eo accepit secretarius et ex ambone legit

DECRETUM

DE INDICATIONE SECUNDÆ SESSIONIS.

«De consilio et assensu Rmorum. Patrum, decernimus et statuimus, ut proxima sessio habeatur die vigesima hujus mensis quæ erit feria IV hebdomadæ sequentis, ita tamen ut in congregatione generali contrahi aut prorogari possit hic terminus, prout scopo concilii conducere videbitur.»

Promotor in medio presbiterii stans, et reverentia Metropolitæ ac Patribus facta, dixit.

«Ego Urbanus Ferreiroa hujus concilii promotor, admoneo et rogo vos venerabiles hujus Synodi notarios constitutos, ut pro officio vestro, omnes qui in hac prima sessione adfuerunt, diligenter adnotetis, atque omnium quæ tractata ac peracta sunt, accuratam ac fide dignam relationem conficiatis.»

Responderunt notarii: *Conficiemus.*

Tunc Metropolita surgens, benedictionem solemnem impertivit, et depositis sacris paramentis, per primariam portam cum Rmis. Patribus egressus est ad palatium rediens.

Ad hanc sessionem præsens fuit clerus civitatis, auctoritates, innumerusque populus, nam a Rmis. Patribus indultum est ne clauderentur portæ, ut pietati ac

religione fidelium fieret satis, cum omnes flagrarent desiderio adeundi ad sacram concilii solemnitatem.

CONGREGATIO GENERALIS SECUNDA.

Die 19 Julii, hora nona matutina adunata fuit congregatio, pridie intimata per monitum ad hospitia synodalia per cursorem delatum.

Oratione *Adsumus* a Rmo. Metropolita recitata, et promissione de secreto servando facta a nonnullis ex theologis qui primæ congregationi non interfuerunt, lectæ fuerunt a secretario commissionis primæ, nonnullæ observationes et additiones propositæ ad schema de Fide Catholica, quæ notario concilii traditæ fuerunt. Rmus. Præses mandavit, ut si quid observandum censuerint ceteri synodales, id exponerent, servato ordine titulorum ipsius schematis, et ut in libello statutum est, in scripto traderent emendationes vel additiones sibi benevisas. Ita factum est a nonnullis, præsertim circa titulos *de hujus ætatis erroribus, de fidei periculis cavendis, et circa monita ad scriptores catholicos*. Brevi discussione habita, Archiepiscopus, definitivum de his iudicium reservavit privatæ congregationi reverendissimorum Patrum, et recitatis precibus statutis, dimissa est congregatio circa meridiem.

In congregatione sua Rmi. Patres emendationes et additiones cum allegatis rationibus expenderunt, et quæ admittendæ, quæ omittendæ erant definitive statuerunt, atque juxta eorum suffragium ordinata sunt decreta in proxima sessione solemnè publicanda.

SESSIO SECUNDA SOLEMNIS.

Die 20 Julii, hora octava adveniente ad primariam ecclesiæ metropolitanæ januam Rmus. Metropolita cum omnibus suffraganeis Patribus, a capitulo metropolitano recepti et associati sunt ad altare SSmi. Sacramenti, post cujus adorationem, ad presbyterium ascenderunt et omnes synodales loca sua acceperunt. Missam solemnem pro defunctis Episcopis provinciæ celebravit Exmus. ad Rmus. D. Raymundus Fernandez Pierola, electus Episcopus Abulensis, qua finita, absolutionem super tumultum impertivit Rmus. Archiepiscopus.

Pluviam rubrum induerunt deinde Rmi. Patres, capitulum metropolitanum, et concilii officiales, sedesque proprias tenuerunt. Metropolita ad faldistorium descendens, antiphonam inchoavit *Propitius esto*, et post ipsam a cantoribus prosequutam, et psalmum LXXVIII *Deus, venerunt gentes*, illamque repetitam, recitavit orationes ut in pontificale. Deinde decantatum fuit a canonico diacono evangelium *Designavit Dominus*, et postea hymnus *Veni Creator*, ut in sessione præcedenti.

Dimiso populo, et clausis januis, Archiepiscopus cum mitra, alta voce legi ex pontificali Romano allocutionem *Venerabiles et dilectissimi...* Deinde ante sedem venit primus promotor, et instavit dicens:

«Exme. ac Rme. in Christo Pater: Quum post repetitam congregationum consultationem et Rmorum. Patrum maturam deliberationem, Deo adjuvante,

jam id obtentum sit, ut plura decreta et statuta communi assensu ipsorum potuerint definire, ego Urbanus Ferreiroa hujus concilii promotor, insto ut ab excellentia vestra horum decretorum publicationem et promulgationem nunc in hoc concilio decernere et mandare velit.»

Respondit Metropolita: *Ha decernimus et mandamus.* Tunc accedens secretarius de ipsius manu accepit decretorum partem primam, quæ est de *Fide catholica*, et ambonem ascendens decreta publicavit, eum in legendo vicissim adjuvantibus aliis duobus. Lectione finita, secretarius Patres interrogavit dicens: *Rmi. Patres, placentne vobis hæc decreta?*

Accedens cum notario alter ex secretariis vota Patrum exquisivit, qui omnes *Placent* responderunt, et ad Metropolitam detulerunt. Hic alta voce dixit: *Decreta modo lecta omnibus Patribus placuerunt, ideo Deo agendæ sunt gratiæ. Deo gratias* respondentibus omnibus, promotor institit pro indictione tertiæ sessionis.

Annuente Archiepiscopo, et Patrum accepto voto, secretarius ex ambone legit sequens decretum.

«Quum ad omnia diligenter accurateque tractanda et edicenda, quæ ad hujus concilii expeditionem supersunt, sessio hæc non sufficiat, de consilio atque assensu Rmorum, Patrum decernimus atque indicimus tertiam sessionem habendam esse die 26 mensis hujus, quæ erit feria III hebdomadæ venientis, hora octava ante meridiem, ita tamen ut prorogari vel contrahi possit, prout adjuncta postulent.»

Eodem modo ac in prima sessione instavit promotor pro instrumento conficiendo, cui notarii responderunt: *Conficiemus.*

Apertis januis, Archiepiscopus surgens, solemniter omnibus benedixit, et depositis sacris paramentis, cum ceteris Patribus et capitulo comitante, e templo egressus est.

CONGREGATIO TERTIA GENERALIS.

Per monitum a cursoribus delatum ad Synodaliū hospitia, intimata fuit tertia congregatio generalis, quæ habita fuit die 23 Julii, hora nona matutina. In ea precibus de more recitatis, a synodalibus restitutum est schema *de fide catholica*, cujus decreta publicata fuerunt in secunda solemnī sessione. Secretarius commissionis cui demandatum erat examen et studium decretorum de *Ecclesia, ejusque hierarchia et regimine*, publice legit votum commissionis decreta probantis, nonnullasque additiones et emendationes proponentis, quæ notario tradidit. Servato ordine titularum, et a Rmo. Præsīde invitati synodales, ut suum sensum patefacerent, auditæ sunt observationes a nonnullis eorum factæ, et additiones propositæ, quas in scriptis postea tradiderunt, ut super illas Rmi. Patres in privata ipsorum congregatione iudicium facerent.

Cum hora protraheretur, prorogata fuit congregatio ad horam quintam post meridiem, et tunc tertia commissio informationem exhibuit super schema de *Sacramentis et Sacramentalibus*, et eodem modo ac in matutinis horis auditæ sunt observationes synodaliū et discussæ sunt. Precibus de more recitatis dimissa est

congregatio, et in privata sessione, Rmi. Patres super proposita sermonem habuerunt, ac definitivam, de admittendis vel rejiciendis, sententiam pronuntiarunt, unde decreta præpararentur in publica sessione publicanda.

SESSIO TERTIA SOLEMNIS.

Habita fuit die 26 Julii festo Sanctæ Annæ, matris Bmæ. Virginis Mariæ, et omnia peracta sunt ut in præcedenti, missam de *Spiritu Sancto* solemniter celebrante Illmo. ac Rmo. Episcopo Salmaticensi, ceterisque omnibus ad normam Pontificalis Romani habitis, dimissus est populus. Januis jam clausis, promotor instavit continuationem publicationis decretorum, et ita mandante Metropolita, secretarius de manu ipsius accepit decreta, et alternatim cum sociis, ex ambone legit decreta de *Ecclesia, ejusque hierarchia et regimine*. Lectione finita, Patres interrogavit: *Rmi. Patres, placentne vobis hæc decreta?* Ad eos venit alter secretarius cum notario, et omnes *Placent* responderunt. Metropolita, audita relatione, dixit: *Decreta omnibus Patribus placuerunt, ideoque Deo agenda sunt gratiæ*. Respondentibus Patribus *Deo gratias*, accessit promotor dicens:

Eme. ac Rme. in Christo Pater: Quum omnia quæ in hac sessione peragenda sunt, præ brevitate temporis hoc mane absolvi non possint; ego concilii promotor humiliter insto, ut excellentia vestra hujus ipsius sessionis ad horas vespertinas prorogationem decernere dignetur.

Annuit Metropolita, et secretarius ex ambone legit decretum.

«Quum ea omnia, quæ pertractanda sunt adhuc expedire nequiverint, de mandato Rmi. Domini Archiepiscopi et Rmorum. Patrum assensu, presens sessio continuabitur hac ipsa die, hora quinta post meridiem.»

Promotor petiit a notariis confectionem instrumentorum, quibus *Conficiemus* respondentibus, Archiepiscopus surgens manu synodo benedixit, nihil dicens, atque depositis paramentis, omnes ut in præcedenti sessione recesserunt.

CONTINUATIO SESSIONIS.

Hora quinta post meridiem, adunatis omnibus, ad templum pervenit Archiepiscopus cum Rmis. Patribus, et adorato SSmo. Sacramento, et in presbyterio omnibus paratis prout in cæremoniali, orationem *Adsumus* recitavit. Sedentibus omnibus promotor accessit, factaque reverentia dixit:

«Exme. ac Rme. in Christo Pater: Quoniam ea quæ legenda erant decreta ob temporis angustiam in mane omnia legi minime licuit, idcirco ego concilii promotor insto ab Excellentia vestra decerni, ut eorum decretorum lectio continuetur.»

Respondit Metropolita: *Ita decernimus et mandamus*, atque secretario tradidit decreta de *Sacramentis et Sacramentalibus*. Ascendens ambonem decreta legere incœpit, lectionem prosequentibus alternatim illius sociis, ac denuo ipsemet secretarius, qui post lectionem expletam Patres interrogavit: *Rmi. Patres, placentne vobis hæc decreta?*

Ad exquirenda vota accedente alio secretario cum notario, responderunt Patres *Placent*, cumque illi Metropolitanæ retulissent, alta voce dixit: *Decreta omnibus Patribus placuerunt, ideo Deo agenda sunt gratiæ*. Patribus *Deo gratias* respondentibus, promotor petiit indictionem quartæ sessionis, e audito Rmorum. Patrum voto, secretarius ex ambone decretum publicavit, quo sessio indicitur pro die 29 Julii, feria scilicet VI sequenti, hora octava matutina.

Institit promotor pro instrumentorum confectione, et responso accepto a notariis, ad locum suum rediit.

Tunc ambonem ascendit canonicus diaconus, et omnibus genuflexis sequentia proposuit orationis capita:

«Orate, fratres carissimi, Deum a quo bona cuncta procedunt, quique nos in societatem vocavit Filii ejus Jesu Christi, ut pro ipso legatione fungamur; ut adaugeat nobis fidem, et caritatem in cordibus nostris magis magisque accendat, quam omni zelo divini nominis gloriam semper, et ubique et omnibus procuremus.»

«Orate misericordiarum Patrem, qui cor contritum et humiliatum numquam despicit, ut pro sua benignitate dimittat nobis, omnia quæ ex fragilitate nostra in divino ministerio commisimus, ut spiritu mentis nostræ renovati, crescamus per omnia in eo qui est caput Christus, cui semper ut palmites viti adhæreamus.

«Orate dominum messis, ut operarios multos et strenuos mittat in messem suam, ut fidelissime in vinea Patris familias laborantes, fructum afferant centesimum se ipsos salvantes, et populum.»

Post orationem surgens Metropolitanus, et apertis januis, solemniter benedictionem impertivit, et exutis sacris paramentis, per portam primariam egressus est cum Rm. Patribus a capitulo associatis, et ad suas residentias omnes redierunt.

CONGREGATIO QUARTA GENERALIS.

Ut in præcedentibus, cursores per monitum synodalibus congregationem quartam generalem intimarunt, et locum tenuit die 28 Julii, hora nona matutina. Precibus in ea de more recitatis, synodales schemata de *Ecclesia, ejusque hierarchia et regimine*, necnon de *Sacramentis et Sacramentalibus* in tertia solemnî sessione publicata decreta restituerunt. Secretarius commissionis cui examen et studium decretorum de *Cultu divino* demandatum erat, publicam lectionem dedit voti commissionis decreta probantis, aliasque additiones et emendationes proponentis, quæ notario tradidit. Reverendissimus Præses synodalibus invitavit, ut servato ordine titulorum, suum sensum patefacerent, et a nonnullis eorum factæ observationes et additiones propositæ, notario in scriptis traditæ fuerunt, ut Rmi. Patres super illas in privata ipsorum congregatione sententiam pronuntiarent.

Cum vero matutinæ horæ finem darent, prorogata fuit congregatio ad quintam horam vespertinam, et tunc super schema de *Perfectione cleri* eodemque modo ac in matutinis horis, et informatio quintæ commissionis exarata fuit, et auditæ discussæque fuerunt synodalium observationes. Deo precibus elevatis juxta normam, dimissa est congregatio, et Rmi. Patres circa proposita in sessione privata

expedientes et sententiam definitivam dantes, de decretis in solempni sessione publicandis convenerunt.

SESSIO QUARTA SOLEMNIS.

Omnibus ut in præcedenti peractis, sessio solempnis quarta celebrata fuit die 29 Julii, S. Marthæ Virg. dicata: sacrum solempne de Spiritu Sancto faciente Exmo. ac Illmo. D. Episcopo Zamorensi, ceterisque omnibus juxta Pontificalem Romanum expletis, dimissus est populus. Promotor certior factus de januis clausis, suum officium explevit instans ut decretorum publicatio continuaretur, et uti rogavit, Metropolita jubente, secretarius de ipsius Magnitudinis manu sumpsit decreta, et cum sociis alternando ex ambone ea legit, quæ de *Cultu divino*, parata jam fuerant. Lectionis horum decretorum fine adepto, patres interrogavit: *Rmi. Patres: Placentne vobis hæc decreta?* Ad eos recurrente secretario altero cum notario, omnes *Placent* responderunt. Audita relatione Metropolita dixit: *Decreta omnibus Patribus placuerunt, ideoque Deo agenda sunt gratiæ.* Respondentibus Patribus *Deo gratias*, accesit promotor postulans, ut sessio ad horam quintam vespertinam prorogaretur; et Patribus assentientibus ac mandante Archiepiscopo, ita decretum initum et denuntiatum fuit. Tunc promotor pro confectione instrumenti notarios requisivit, et a sacris vestibus exuti Rmi. Patres in domum prodierunt.

SESSIONIS QUARTO PROROGATIO.

Hora in matutinis mandata, Rmi. Patres cum Metropolita in ecclesiam conveniunt, et Smo. Sacramento ab illis adorato, sacra indumenta induti sunt, et omnibus in presbyterio paratis, et ab Archiepiscopo oratione *Adsumus* dicta, sessio continuata fuit; ac instante promotore, Emmus. ac Rmus. Præses, annuens et jubens, tradidit secretario decreta ad *Perfectionem Cleri* pertinentia. Alternando cum sociis, secretarius in ambone hæc decreta legit usque in finem, quo accepto, Patres interrogavit: *Rmi. Patres, Placentne vobis hæc decreta?* Vota exquisita fuerunt ab alio secretario cum notario, respondentibus Patribus *Placent*, et ab illis Metropolita delata, clara voce dixit: *Decreta omnibus Patribus placuerunt, ideo Deo agenda sunt gratiæ*, et istis respondentibus *Deo gratias*, promotor institit pro indictione quintæ et postremæ sessionis concilii. Audito Rmorum. Patrum voto, secretarius ex ambone decretum publicavit, quo sessio indicitur pro die 1 Augusti, feria scilicet II sequentis hebdomadæ, hora octava matutina. Pro instrumentorum confectione notariis promotor notificavit, et responso accepto ad suum stratum rediit. Tunc ambonem ascendit canonicus diaconus, et omnibus genuflexis sequentia proposuit orationis capita:

«Orate fratres carissimi, pro Sanctissimo Domino Nostro Papa Leone, ut cum »sacro Cardinalium Collegio populos omnes sibi commissos sancte ac feliciter gu- »bernet, et ut Deus Omnipotens eum tot doloribus et augustiis oppressum, divinis »repleat consolationibus et incolumem servet, atque Sanctam Catholicam Aposto- »licam Romanam Ecclesiam extollat et augeat toto orbe terrarum.»

«Orate pro reverendissimis hujus provinciæ præsulibus, ut benignissimus
 »Deus eorum mentes et corda Spiritu Sancto suo repleat, eosque ita in omnibus
 »dirigat, roboret ac tueatur, ut postquam ecclesiis suis vitæ exemplis, et præ-
 »ceptis salutaribus profuerint, una cum adjutoribus et comministris suis, virtutum
 »et laborum coronam assequantur æternam.»

«Orate Deum et Dominum Nostrum Jesum Christum, ut omnibus in sortem
 »Domini vocatis, cunctis qui in seminariis ac sacros ordines suscipiendos se pre-
 »parant, et iis, qui vitæ religiosæ disciplinam profitentur, det perseverantem in
 »castitate, in caritate, et in sancta obedientia spiritum, atque ita virtutum omnium
 »lumine faciat coruscare, ut inde fideles populi salubriter instruantur.»

Oratione expleta surrexit Metropolita, atque apertis januis solemnem bene-
 dictionem impertivit, et depositis vestibibus sacris, una cum Exmo. Præsidente Rmi. Pa-
 tres per portam primariam e templo, debita associatione a capitulo facta, abie-
 runt et ad suam residentiam redierunt.

CONGREGATIO QUINTA GENERALIS.

Munus suum cursor per monitum adimplens, quintam generalem Congrega-
 tionem synodalibus notam fecit, et hac de causa locum tenuit die 30 Julii hora nona
 matutina. Precibus dictis, synodales schemata de *Cultu divino et de perfectione*
cleri, quorum decreta in quarta solemni sessione fuerunt lecta, restituerunt.
 Juxta servatam normam, secretarius commissionis cui tributum fuerat examen
 et studium decretorum de *Vita christiana*, publice manifestavit votum ipsiusmet
 commissionis quæ etsi decreta probavit, nonnullas additiones et emendationes
 proposuit, quæ notario tradidit. Invitavit tunc Exmus. Præsides synodales, ut,
 servato ordine titulorum, si quæ essent, observationes aut additiones proponerent,
 et suum sensum patefacere, et a nonnullis eorum aliquæ factæ sunt, quas in
 scriptis tradiderunt notario. Secretarius septimæ commissionis lectionem publicam
 dedit voti ipsius probantis decreta ei tradita ad bona ecclesiæ pertinentia, et post-
 quam auditæ discussæque fuerunt aliæ synodaliū observationes, et a notario
 collectæ quæ in scriptis fuerunt propositæ, altissimo Deo precibus de ritu elevatis,
 congregatio dimissa fuit. Rmi. Patres in privata sessione judicium super proposita
 expenderunt, definitivam sententiam pronuntiarunt, convenientes circa decreta
 in proxima solemni sessione publicanda.

SESSIO SOLEMNIS ULTIMA.

Die 1.^a Augusti, octava S. Jacobi Apostoli Hispaniarum patroni, post chorale
 officium in metropolitana peractum, hora octava ad ipsam pervenerunt Rmus. Me-
 tropolita cum ceteris Patribus, qui a capitulo Metropolitano excepti, post adoratio-
 nem Smi. Sacramenti, ad presbyterium ascenderunt, ubi Archiepiscopus, præpa-
 ratione facta, Pontificalia indumenta accepit ad solemnem Missam celebrandam.
 Ceteri Rmi. Patres pluviale induerunt. Missa de Spiritu Sancto cum oratione pro
 gratiarum actione solemniter decantata, Rmus. Metropolita cum pluviali ad faldi-

storum descendit, et antiphona, psalmo, orationibus, Evangelio et hymno *Veni Creator* solemniter cantatis, dimissus est populus.

Promotor instavit pro lectione decretorum quæ præparata erant pro hac ultima sessione. Archiepiscopus ea tradidit secretario, scilicet de *Vita christiana*, et de *Bonis ecclesiæ*, quæ ex ambone lecta sunt ab eodem secretario alternatim cum sociis usque in finem. Completa lectione, de mandato Metropolitanani, secretarius Patres interrogavit: *Rmi. Patres, placentne vobis decreta modo lecta?* Tunc alter secretarius cum notario vota a singulis Patribus exquisierunt, et ea omnia favorabilia Archiepiscopo retulerunt, qui ait: *Decreta lecta placuerunt omnibus Patribus, ideo Deo agendæ sunt gratiæ*, et Patres responderunt *Deo gratias*.

Primus promotor postulavit ut sessio prorogaretur ad horam quintam post meridiem, atque de assensu Patrum et mandato Archiepiscopi decretum et denuntiandum fuit.

Instavit promotor pro confectione instrumenti, et exutis sacris indumentis, Rmi. Patres e templo egressi sunt.

CONTINUATIO SESSIONIS.

Hora quinta post meridiem ad ecclesiam advenerunt cum Metropolitanano Rmi. Patres, et postquam Smum. Sacramentum adoraverunt, sacra indumenta induti sunt, et dicta ab Archiepiscopo oratione *Adsumus*, sessio continuata est, adstantibus magistratibus, aliisque qui invitati fuerant, cum innumero ac devotissimo populo fidei.

Institit in primis promotor, dicens:

«Excme. ac Rme. in Christo Pater: Antiquus mos in Conciliis provincialibus exigit, ut duo saltem testes synodales pro qualibet diœcesi deligantur et nominentur. Quamobrem ego Concilii promotor, insto et oro, ut dominatio vestra Rma. decretum de eligendis et electis testibus synodalibus promulgandum decernere dignetur.»

Dicente Metropolitanano *Ita decernimus et ordinamus*, accessit secretarius, atque de illis manu accepit, et ex ambone legit sequens

DECRETUM

DE TESTIBUS SYNODALIBUS.

«Introductam antiquitus salutarem consuetudinem ut in synodis provincialibus, »ex unaquaque provinciæ diœcesi, duo, pluresve diligantur viri ecclesiastici doctrina »et pietate conspicui, qui testes synodales constituantur, tenendam esse in Domino »statuimus. Horum erit diligenter inquirere an aliquid in diœcesi, cui adscripti sunt, »corrigendum, seu emendandum sit, cognitumque in proxima provinciali synodo »referre, ut si de rebus quibusvis antea minus provisum fuerit, rectius per synodum

»provideatur. De consilio igitur et assensu Rmorum. Patrum testes synodales eligimus, et electos plane declaramus:»

PRO VALLISOLETANA DIOECESI.

Lic. D. Philippus Amo Luis, Canonicus Doctoralis et Vicarius generalis.
Dr. D. Andreas Herrador Cea, Canonicus, Fiscalis curiæ Metropolitanæ.

PRO ABULENSI

Dr. D. Marianus Navarro, Canonicus Doctoralis.
Lic. D. Franciscus Pindado, Canonicus Lectoralis.

PRO ASTURICENSI.

Lic. D. Pelagius Gonzalez Conde, Decanus.
Lic. D. Philippus Rodriguez Arias, Canonicus Pœnitentiarius.

PRO CIVITATENSI.

Dr. D. Leonardus Malo Heredia, Decanus.
Lic. D. Joseph Gonzalez Sistiaga, Canonicus Magistralis.

PRO SALMATICENSI.

Dr. D. Raymundus Barberá, Canonicus, Vicarius generalis.
Dr. D. Franciscus Jarrin, Canonicus Magistralis.

PRO DIOECESI SEGOVIENSI.

Dr. D. Thomas Baeza Gonzalez, Decanus.
Dr. D. Gabriel Rebollo Ballesteros, Canonicus.

PRO ZAMORENSI.

Dr. D. Joannes Pujadas, Canonicus Doctoralis.
Lic. D. Casimirus Erro et Irigoyen, Canonicus Magistralis.

«Ut autem officio suo legitima et solemnitate devinciantur, qui ex illis hic præsentibus sint, illico in manus nostras, qui absentes, postea in Antistitis sui manus jurabunt, se munus susceptum pro Deo et propter Deum fideliter esse impleturos, et postposito quolibet affectu sinistro, vel ante concilium Episcopis suis et Metropolitanis, si postulaverint, vel ipso Concilio congregato, relatores quæ indagaverint, et correctione indigere noverint.»

Lecto decreto, a Cæremoniarum magistro comitati ad Rmum. Metropolitam accesserunt testes electi, et ante ipsum genuflexi juramentum emiserunt his verbis.

«Ego N. electus testis synodalis, juro me fideliter munus meum impleturum, et omni remoto affectu ac cupiditate, relaturum futuro Concilio Provinciali

quidquid dignum fuerit, ad sacrorum canonum mentem referre, vel ante ipsum, si a Metropolita, vel a meo Episcopo id a me postulatum fuerit. Sic me Deus adjuvet, et hæc Sancta Dei Evangelia.»

Instavit deinde promotor pro subscriptione decretorum dicens:

«Exme. ac Rme. in Christo Pater: Quum omnia quæ in synodo statuta et definita fuerunt palam jam recitata sint, cumque Rmis. Patribus, qui tamquam iudices interfuerunt, jus sit atque officium subscribendi Concilii decreta; ego Urbanus Ferreiroa ipsius Concilii promotor, insto et exoro ut dominatio vestra Rma. decretorum subscriptionem faciendam decernere dignetur.»

Respondit Archiepiscopus *Ita fieri decernimus*, et ad aram maximam accedens ipse, et, ordine servato, post illum, ceteri Rmi. Patres, in cornu Epistolæ subscripserunt decreta Concilii, præsentibus notariis et testibus.

Ad loca sua reversis Patribus, petiit promotor futuri Concilii indictionem dicens:

«Exme. ac Rme. in Christo Pater: In conciliis provincialibus usus viguit, ut in fine ultimæ sessionis tempus Concilii subsequæntis proximi præfigeretur atque promulgaretur.

»Quare ego hujus Concilii promotor, insto et oro ut dominatio vestra, juxta eundem usum, tempus celebrandi Concilii provincialis proximi jam nunc determinare et præfigere, ac decretum de hoc promulgandum mandare velit.»

Annuaente Archiepiscopo cum Patribus, secretarius accepit et publicavit:

DECRETUM

DE PROXIMO CONCILIO PROVINCIALI.

«Antiquum morem sequuti, quo in ultima sessione Conciliorum provincialium subsequæntis proximi Concilii tempus præfigitur; de assensu Rmorum. Episcoporum comprovincialium nostrorum statuimus ac decernimus, sequens Concilium provinciale anno 1890 celebrandum esse, ita tamen ut hic terminus prorogari aut contrahi ex legitima causa possit, prout rerum ac temporum ratio in provincia nostra utilitati ecclesiæ conducere videbitur.»

Accessit iterum promotor et instavit dicens:

«Excme. ac Rme. in Christo Pater: Quum ea omnia quæ Patribus in hoc Concilio deliberare et statuere placuit, Deo auxiliante, feliciter peracta et ad finem deducta sint, et pastoralis cura Rmos. Episcopos, qui huic synodo intersunt, ad gregem ipsis creditum revocet; ego Concilii promotor, insto et enixe peto, ut dominatio vestra Rma. huic Concilio finem imponere, et Decretum de Concilio finiendo et finito promulgandum decernere dignetur.»

Votis Patrum exquisitis, Metropolita declaravit finem Concilii fieri et jam factum esse, et tradidit secretario, ex ambone legendum.

DECRETUM

DE CONCILIO FINIENDO.

«Quum omnia, quæ hoc Concilium Provinciale deliberanda, statuenda, et decernenda sibi proposuit, Deo adjuvante, jam pertractata, et ad finem deducta sint; et Patres synodales ad gregis sui curam reverti optent; de assensu eorumdem Rmorum. Patrum statuimus ac decernimus huic Concilio nostro nunc finem fieri, et jam factum esse. *Deo gratias.*»

Deinde pulpitem in cornu Evangelii ascendens Archiepiscopus, diaconis ipsum comitantibus, Concilium allocutus est sequentibus verbis.

Venerabiles Fratres: Dilectissimi Filii.

«Magnificate Dominum mecum, et exaltemus nomen ejus in idipsum (1), coram omnibus viventibus confitentes illi, quia fecit nobiscum misericordiam suam (2). Ipse enim incœpit in nobis opus bonum (3), suaviter et fortiter inserens in cordibus nostris desiderium et propositum celebrandi totius provinciæ synodalem conventum. Ipse benignissime adjuvit in præparatione, direxit in actione, et adest in consummatione. Illi soli ergo, et nulli alteri, sit honor et gloria. Vere enim nobiscum laboravit: unde confidentiam habemus, quod ipse opus suum bonum et sanctum perficiet usque in diem Christi Jesu (4), dummodo nos, partes nostras agentes, laboremus ut boni milites ipsiusmet regis et ducis (5).

»Hoc faciamus, venerabiles fratres. In Concilio bonum semen seminavimus. Faxit Deus, ut in terram bonam cadens, fructum afferat centesimum. Afferet quidem; sed in patientia, quæ nobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes reportemus promissiones (6). Afferet quidem; ast non ex nobis, sed ex Deo, nam neque qui plantat est aliquid neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus (7). Nec possumus non sperare, quod qui administrat semen seminanti, multiplicabit semen vestrum, et augebit incrementa frugum justitiæ vestræ (8).

»Suscepti operis ratio duabus quasi partibus conflatur: constitutione, et adimplemento. In hoc fideles et assidui esse oportet, sicut in illa prudentes. Si prudentiam ergo in sanciendo adhibuistis, fidem et zelum in exequendo præstemus, ut et prudentes et fideles servi inveniamur a Domino, qui constituit nos super familiam suam (9).

»Quæ sancta, quæ canonica, quæ justa, quæ utilia in Domino æstimavimus, verbis sancimus, scriptaque lege exarata sunt. Ast exaravimus ea, non ut in codice

(1) Psalm. XXXIII, 4. (2) Tob. XII, 6. (3) Philip. I, 6. (4) Id. id. (5) 2 Tim. II, 3. (6) Hebr. X, 36. (7) I. Cor. III, 7. (8) 2 Cor. IX, 10. (9) Matth. XXIV, 45.

pictis litteris inspiciantur, forsanique laudentur tamquam eruditionis monumentum, sed ut in tabulis cordis scripta legantur, et omni conatu opere compleantur. A nobis in primis adimplenda sunt, venerabiles fratres, qui speculatores dati sumus domui Israel, ut audientes ex ore Dei sermonem annuntiemus populis ex eo (1), pascentes qui in nobis est gregem Dei, et providentes secundum Deum, forma facti gregis ex animo (2), ut cum auctore et consummatore fidei Christo Jesu (3), pro quo legatione fungimur (4), incipientes facere et docere, dicere possumus, exemplum dedi vobis (5): Venite post me (6); hæc enim est via; ambulate in ea, et non declinetis, neque ad dexteram, neque ad sinistram (7).

»A vobis, deinde, et nobiscum, dilectissimi filii, qui ad hanc synodum accedentes, scientia ac prudentia vestra nostri cooperatores fuistis; et ab omnibus, qui in sortem Domini vocati, in adiutorium Episcoporum electi sunt, et pro hominibus constituti in iis quæ sunt ad Deum (8). Quæ lecta sunt decreta, audistis; ea, postquam a Sancta Sede revisa fuerint, et a nobis promulgata accipite, non tamquam hominis verba, sed tamquam verba ecclesiæ, cui obedire oportet, et cujus ministerio nobiscum mancipati estis; tamquam verba ipsius Christi, quæ spiritus et vita sunt (9). Ponite, ait Dominus, verba mea in cordibus et in animis vestris, et suspendite ea pro signo in manibus, et inter oculos vestros collocare (10). Hæc facientes, docete filios vestros, id est fideles Christi, ut illa meditentur (11), quæ ad illorum agendi rationem spectant, ut vivida fide, quæ per caritatem operatur (12) viam mandatorum Dei, dilatato corde, et inoffenso pede cucurrant, certam suam electionem et vocationem facientes (13), ut videant omnes opera eorum bona, et glorificent patrem nostrum qui in cælis est (14).

«Hoc ni fiat, quid proderit synodum provinciale habuisse? Leges profecto, etsi optimæ, muta tamen res sunt: ut loquantur, et moveant, vita animandæ, praxi exercendæ sunt, et certe quidem non auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur (15).

»Scientes vero, quia non sumus sufficientes a nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est (16), fervidis orationibus, in spiritu humilitatis, adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno (17), quo nobiscum, et unusquisque pro modulo suo, tam clerici quam fideles, quæ recta sunt, videant; et ad implenda quæ viderint, convalescant, atque salutem assequantur, quæ est in Christo Jesu cum gloria cœlesti (18). Ad ejus sacratissimum Cor omnes nobiscum accedant ut illuminentur (19), et ignis omnium cordibus exardescat, quem venit mittere in terram, nihil volens, nisi ut accendatur (20). Ad Jesum per Mariam accedamus

(1) Eccl. XXXIII, 7. (2) 1. Petr. V, 2. (3) Hebr. XII, 2. (4) 2. Cor. V, 20.
 (5) Joann. XIII, 15. (6) Matth. IV, 19. (7) Prov. IV, 27. (8) Hebr. V, 1.
 (9) Joann. VI, 64. (10) Deut. XI, 18. (11) Id. XI, 19. (12) Gal. V, 6.
 (13) 2. Petr. I, 10. (14) Matth. V, 16. (15) Rom. II, 13. (16) 2. Cor. III, 5.
 (17) Hebr. IV, 16. (18) 2. Tim. II, 10. (19) Psalm. XXXIII, 6. (20) Luc. XII, 49.

quæ ejus mater, et mater nostra est, per quam ipse omnia nos habere voluit (1). Ad Jesum et Mariam, exemplo et suffragio suo, trahant nos sancti patroni nostri, ut stabiles et immobiles perseveremus abundantes in opere Domini semper, scientes quod labor noster non est inanis in Domino (2). Oremus etiam nos omnes pro invicem ut salvemur (3).

»Operi nostro coronidem imposituri, et priusquam in osculo pacis ad invicem divellamur, venerabiles fratres in Christo dilectissimi, accipite a minimo inter vos, indigno hujus concilii præside, gratias, easque quam maximas, pro laboribus vestris, pro vestra in me caritate. Sinceram quoque gratiarum actionem recipite a me vos omnes, carissimi in Christo, pro opere bono, quod in adjutorium nostrum accurrentes operati estis. Deus ipse sit vobis merces magna nimis (4).

»Et nunc, Domine Deus, quid retribuemus tibi pro omnibus, quæ tribuisti nobis in nomine tuo aggregatis? Tu docuisti nos quid agamus, quo gradiamur ostendisti. Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam et honorem, et virtutem et benedictionem (5). Laudamus te, benedicimus te, adoramus te, gratias agimus tibi. Multiplica nunc et semper super nos misericordiam tuam: da robor et auxilium, ut quæ ex synodali actione nostra tibi sint placita, et a tuo in terris Vicario probata, ea et dictis exequamur et factis, unde videamus bona Jerusalem, et accipiamus immarcessibilem coronam gloriæ ab æterno pastore et Domino nostro Jesu Christo, qui est Deus benedictus (6), et cui sit honor, et gloria, et imperium in universa æternitatis sæcula (7). Fiat, fiat.»

Post allocutionem ad sedem suam reversus est Rmus. Archiepiscopus, et stans versus altare, intonavit hymnum *Te Deum laudamus*, quem cantores, sonantibus organo et musicis instrumentis solemnissime prosecuti sunt, dum clerus civitatis, omnesque synodales cum Rmis. Patribus per omnem ecclesiam processionem instituerunt. Ad presbyterium reversa processio, hymnoque finito, stans Metropolitanus orationem *Nulla est, Domine*, ex Pontificale cantavit.

Ambonem ascendit tunc canonicus diaconus, et ab ipso, respondente omni concilio et clero, cantatæ sunt sequentes

ACCLAMATIONES.

℣. Omnipotenti et æterno Deo uni et trino, benedictio, laus, honor et gloria in sæcula sæculorum.

℞. Amen, Amen, Amen, Ipsi laus, ipsi gloria, ipsi gratiarum actio in sæcula sempiterna.

(1) S. Bernard. (2) 1. Cor. XV, 58. (3) Jacob. V, 16. (4) Gen. XV, 1.

(5) Apoc. IV, 11. (6) 1. Petr. V, 4. (7) Apoc. V, 12.

℣. Deo ac Salvatori nostro Jesu Christo, nobiscum in altaris Sacramento manenti, et ex inexhausto Cordis sui fonte uberes gratias effundenti, adoratio, et amor, et gloria, et perpetua gratiarum actio.

℞. In nomine Jesu omne genuflectatur. Adorent eum omnes fines terræ, et regnet super nos Salvator mundi.

℣. Immaculatæ, semperque Virgini Dei Genitrici Mariæ, cleri reginæ, Hispaniarum patronæ, omniumque matri benignissimæ, perpetua laus, gloria et plausus perennis.

℞. Sanctissima mater, respice de cœlo, et vide, et visita vineam istam, et perfice eam; omnesque ad te confugientes dirige in viam salutis æternæ.

℣. Sanctæ Virgini Teresiæ, et omnibus sanctis diœcesium nostrarum patronis, perpetuus honor, atque amoris et venerationis obsequium.

℞. Sancti patroni nostri, populum vobis commissum defendite a conventu malignantium, a multitudine operantium iniquitatem, eique impetrate de rore cœli et de pinguedine terræ.

℣. Sanctissimo patri nostro Leoni, Pontifici maximo, sapientiæ suæ lumine errorum tenebras ubique terrarum discutienti, christiani nominis propagatio, ab inimicis victoria, cuntarum gentium obedientia, et longæva in pace prosperitas.

℞. Domine Deus, sanctissimum patrem nostrum ecclesiæ tuæ conserva, et mitte illi auxilium de sancto, ut eo gubernante omnes gentes illuminentur, et quæ dispersæ sunt, in unum ecclesiæ tuæ ovile colligantur.

℣. Reverendissimo Metropolitæ, hujus concilii præsidi, salutaris vigilantia, in laboribus constantia et felix exitus.

℞. Clementissime Deus, effunde super eum misericordiam tuam, et gratiæ tuæ dona super ipsum multiplica, ut fideliter tibi serviat, et salvus sit in regno cœlorum.

℣. Reverendissimis Episcopis et hujus concilii patribus, copiosa benedictio, gratiarum actio, et faustus ad ecclesias suas reditus.

℞. Merces illis copiosa, et gaudia æterna pastorum: Domine Deus, illumina faciem tuam super servos tuos, et dirige gressus eorum in viam pacis ad dandam scientiam salutis plebi tuæ.

℣. Omnibus capitulorum cathedralium procuratoribus, viris religiosis et theologis, providis patrum cooperantibus, salus, benedictio, et boni operis præmium.

℞. Salus a Deo et benedictio. Benefac, Domine, bonis et rectis corde, ut sint benedicti in ordine sacerdotali, et partem habeant cum iis, qui verbum Dei bene administraverunt ab initio.

ŷ. Venerabili capitulo metropolitano, clero hujus civitatis, et capitulis, et clero totius provinciæ, salus et divinarum gratiarum abundantia.

R. Adesto, Domine, famulis tuis, et esto illis salus, pax et gaudium in Spiritu Sancto.

ŷ. Catholico regi nostro, et omnibus principibus christianis, sanctissimæ religionis zelus, justitia, benedictio, et pacis fecunditas.

R. Amen. Dirigat eos Dominus in viam justitiæ, ut sibi placita cupiant, et tota virtute perficiant.

ŷ. Totius provinciæ nostræ fidelibus, et universo populo christiano gratia, et pax et perpetua prosperitas.

R. Salvum fac populum tuum, Domine, ut in vera fide perseveret, et benedic hæreditati tuæ, ut in omni opere bono abundet, et rege eos et extolle illos usque in æternum.

ŷ. Decretorum hujus concilii provincialis observantia salutaris per intercessionem beatissimæ Virginis Mariæ, ejusque sanctissimi sponsi Josephi, sanctorum apostolorum Petri et Pauli, sanctæ virginis Teresiæ, aliorumque sanctorum patronorum diœcesium et provinciæ nostræ.

R. Fiat. Fiat. Amen. Amen.

Deinde primus cæremoniarum magister, ex eodem ambone legit litteras Emi. Cardinalis Mariani Rampolla, Secretarii Status Smi. Domini nostri Leonis Papæ XIII, quibus Rmo. Archiepiscopo nuntiavit, eidem a Smo. Domino suis humilibus precibus benigne annuente, facultatem tribui benedictionem apostolicam impertire in fine concilii cum plenaria indulgentia ab iis lucranda qui confessione sacramentali expiati, et sacra communione refecti adessent, juxta mentem Sanctitatis Sux orantes. Hæc indulgentia appositis edictis ad valvas omnium ecclesiarum opportune publicata fuerat, et quamplurimi fideles ad ipsam lucrandam dispositi convenerant. Solemni ritu apostolicam benedictionem dedit Metropolitana, quam devotissime susceperunt clerus et populus.

Post hæc canonicus diaconus cantavit *Recedamus in pace*, universo concilio respondente, *In nomine Christi. Amen.*

Hunc accesserunt Rmi. patres, ordine suo, ad Metropolitam a quo acceperunt gaudentes amplexum et osculum pacis, quod mutuo sibi dederunt omnes, et depositis sacris paramentis, universus clerus, omnesque de synodo, Archiepiscopum cappa indutum processionaliter ad ædes suas deduxerunt, inter innumerum populum, qui gaudens, plaudensque, templum, viamque omnem occupabat religiose salutans et accipiens benedictionem ab Archiepiscopo impertitam.

Hæc sunt acta concilii provincialis primi Vallisoletani, quæ ad majorem Dei gloriam, pro meo officio fideliter conscripta sunt a me primo ejusdem concilii

notario, cum duobus aliis notariis a Rmo. Archiepiscopo in auxilium datis, testibus vocatis et rogatis Dominis doctoribus Melchior Serrano; Jacobo Ceron, et Andrea Herrador, canonicis hujus almæ ecclesiæ metropolitanæ, qui omnes mecum subscribunt Vallisoleti die prima Augusti, anno Domini millesimo octingentesimo octogesimo septimo; Philippus Amo Luis, Canonicus Doctoralis, Vicarius generalis et primus concilii notarius.—Franciscus Rubio, Canonicus, notarius.—Ildephonsus Poblacion, Beneficiatus, Rmi. Archiepiscopi vice secretarius, notarius.—Melchior Serrano, testis.—Jacobus Ceron, testis.—Andreas Herrador, testis.

In quorum fidem, de mandato Rmi. Domini Archiepiscopi, hoc exemplar de littera ad litteram ex originali instrumento descriptum, et ipsiusmet Excellentissimi et Reverendissimi Domini sigillo munitum, subscribo et exhibeo. Vallisoleti die 19 Augusti 1887.

LIC. PHILIPPUS AMO LUIS.



notatis, cum hinc illi testis a Rmo. Archiepiscopo de auctoritate illis testis
 sui vocatis et copiam hinc illi testis a Rmo. Archiepiscopo de auctoritate illis testis
 Antiochensis; canonicis hinc illi testis a Rmo. Archiepiscopo de auctoritate illis testis
 cum subeundum Vallibus de prima Agunt, cum hinc illi testis a Rmo. Archiepiscopo
 gentium octoginta septuaginta; Philippus Avo lala, Constantia, hinc illi testis
 Victoris generalis et primus canonicus hinc illi testis a Rmo. Archiepiscopo
 notarius.—Hic hinc illi testis a Rmo. Archiepiscopo de auctoritate illis testis
 hinc illi testis a Rmo. Archiepiscopo de auctoritate illis testis a Rmo. Archiepiscopo
 hinc illi testis a Rmo. Archiepiscopo de auctoritate illis testis a Rmo. Archiepiscopo

In quorum fidem, de mandato Rmi. Domini Archiepiscopi, hoc exemplum
 de hinc ad hinc ex originali tantum de hinc illi testis a Rmo. Archiepiscopo
 hinc illi testis a Rmo. Archiepiscopo de auctoritate illis testis a Rmo. Archiepiscopo
 hinc illi testis a Rmo. Archiepiscopo de auctoritate illis testis a Rmo. Archiepiscopo

In Primus Avo lala

hinc illi testis a Rmo. Archiepiscopo de auctoritate illis testis a Rmo. Archiepiscopo
 hinc illi testis a Rmo. Archiepiscopo de auctoritate illis testis a Rmo. Archiepiscopo
 hinc illi testis a Rmo. Archiepiscopo de auctoritate illis testis a Rmo. Archiepiscopo
 hinc illi testis a Rmo. Archiepiscopo de auctoritate illis testis a Rmo. Archiepiscopo

hinc illi testis a Rmo. Archiepiscopo de auctoritate illis testis a Rmo. Archiepiscopo
 hinc illi testis a Rmo. Archiepiscopo de auctoritate illis testis a Rmo. Archiepiscopo
 hinc illi testis a Rmo. Archiepiscopo de auctoritate illis testis a Rmo. Archiepiscopo
 hinc illi testis a Rmo. Archiepiscopo de auctoritate illis testis a Rmo. Archiepiscopo



hinc illi testis a Rmo. Archiepiscopo de auctoritate illis testis a Rmo. Archiepiscopo
 hinc illi testis a Rmo. Archiepiscopo de auctoritate illis testis a Rmo. Archiepiscopo
 hinc illi testis a Rmo. Archiepiscopo de auctoritate illis testis a Rmo. Archiepiscopo
 hinc illi testis a Rmo. Archiepiscopo de auctoritate illis testis a Rmo. Archiepiscopo

hinc illi testis a Rmo. Archiepiscopo de auctoritate illis testis a Rmo. Archiepiscopo
 hinc illi testis a Rmo. Archiepiscopo de auctoritate illis testis a Rmo. Archiepiscopo
 hinc illi testis a Rmo. Archiepiscopo de auctoritate illis testis a Rmo. Archiepiscopo
 hinc illi testis a Rmo. Archiepiscopo de auctoritate illis testis a Rmo. Archiepiscopo

hinc illi testis a Rmo. Archiepiscopo de auctoritate illis testis a Rmo. Archiepiscopo
 hinc illi testis a Rmo. Archiepiscopo de auctoritate illis testis a Rmo. Archiepiscopo
 hinc illi testis a Rmo. Archiepiscopo de auctoritate illis testis a Rmo. Archiepiscopo
 hinc illi testis a Rmo. Archiepiscopo de auctoritate illis testis a Rmo. Archiepiscopo

hinc illi testis a Rmo. Archiepiscopo de auctoritate illis testis a Rmo. Archiepiscopo
 hinc illi testis a Rmo. Archiepiscopo de auctoritate illis testis a Rmo. Archiepiscopo
 hinc illi testis a Rmo. Archiepiscopo de auctoritate illis testis a Rmo. Archiepiscopo
 hinc illi testis a Rmo. Archiepiscopo de auctoritate illis testis a Rmo. Archiepiscopo



DECRETA
CONCILLII PROVINCIALIS VALLISOLETANI
ANNO DOMINI 1887



IN NOMINE SMÆ. ET INDIVIDUÆ TRINITATIS,
PATRIS, ET FILII ET SPIRITUS SANCTI.

Nos Benedictus Sanz et Forés Dei et Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopus Vallisoletanus, una cum Reverendissimis Patribus in provinciali concilio legitime congregatis, ad Omnipotentis Dei laudem et gloriam, atque ad honorem Beatissimæ Virginis Mariæ sine labe originali conceptæ, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, Sanctæ Teresiæ a Jesu totius provinciæ, aliorumque Sanctorum dioceseon ejusdem Patronorum, ad fidei tutamen, ad divini cultus augmentum, ad sanctiorem cleri disciplinam, ad populi nostri salutem, hæc, quæ sequuntur, statuimus ac sancimus, vota nuncupantes ut ab omnibus ad quos pertinent, Dei adjuvante gratia, fideliter constanterque serventur.



PARS PRIMA

DE FIDE CATHOLICA.

TITULUS I.

De fide et doctrina Ecclesiæ.

HUMANÆ salutis initium, fundamentum et radix totius justificationis est fides (1), sine qua impossibile est placere Deo (2) et ad filiorum ejus consortium pervenire (3). Est enim fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium (4), quas benignissimus Deus, qui vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire (5) hominibus revelavit, multifariam multisque modis olim loquens patribus in prophetis, novissime autem nobis in Filio, quem constituit hæredem universorum, per quem fecit et sæcula (6), quique Ecclesiam suam, quæ est columna et firmamentum veritatis (7), super petram ædificavit, adversus quam portæ inferi non prævalebunt (8). Nihil ergo fide nostra certius, nihil securius, nihil sanctius, et quod firmioribus innitatur principiis (9); ideoque nihil est ipsi rationi magis consentaneum, quam Deo, qui nec falli, nec fallere potest, fidem habere, per quam rationabile obsequium ipsi Deo revelanti exhibetur (10), nihilque magis rationi repugnans quam ipsi fidem

(1) Conc. Trid. ses. VI, cap. 3. (2) Hebr. XI, 6. (3) Conc. Trid. loc. citat.

(4) Hebr. XI, 1. (5) I. Tim. II, 4. (6) Hebr. I, 1. (7) I. Tim. III, 15.

(8) Matth. XVI, 18. (9) Pius IX. Encycl. *Qui pluribus*, 9 Nov. 1846. (10) Rom. XII, 1.

detrectare. Unde merito in eos qui fidem respuunt, mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus (1) supremam denuntiat terribilemque sententiam: Qui non crediderit, condemnabitur (2).

Quum igitur inter omnia pastoralis muneris officia primum ac præcipuum illud habendum sit, ut incorrupta semper permaneat fides, vitæ magistra, salutis index, vitiorum omnium expultrix, ac virtutum fecunda parens et altrix (3), quam semper tenuit et coluit sancta Romana Ecclesia, quæ sola catholica et apostolica est, et quam nisi quisque integram, inviolatamque servaverit, salvus esse non poterit (4), Nos, quibus Vallisoletanæ provinciæ cura a Deo, ejusque in terris Vicario demandata fuit, postquam in initio actionum hujus provincialis synodi rite in Domino congregatæ, solemni et canonica forma fidei nostræ professionem emisimus, præcipua hujus ipsius fidei dogmata, quæ Œcumenica Concilia, aut Apostolica Sedes supremo ac infallibili definire magisterio, aut catholica docet traditio breviter recensere statuimus, ut ab omnibus sollicitudine nostræ concreditæ firmiter teneantur, contrariis in perpetuum propulsis erroribus, qui catholicæ adversantur doctrinæ.

I. Unus solus est verus Deus, æternus et immensus, omnipotens, incommutabilis, incomprehensibilis et ineffabilis Pater, et Filius et Spiritus Sanctus: tres quidem personæ, sed una essentia, substantia seu natura simplex omnino. Pater a nullo, Filius autem a solo Patre, Spiritus Sanctus ab utroque pariter, absque initio semper et fine: Pater generans, Filius nascens, Spiritus Sanctus procedens: consubstantiales, et coæquales, coomnipotentes et coæterni.

II. Unum universorum principium, creator omnium invisibilium et visibilium, spiritualium et corporalium, qui sua omnipotenti virtute, simul ab initio temporis utramque a nihilo condidit creaturam, spirituales et corporales, angelicam videlicet et mundanam, ac deinde humanam quasi communem ex spiritu et corpore constitutam.

III. Diabolus enim et dæmones alii a Deo quidem natura creati sunt boni, sed ipsi per se facti sunt mali. Homo vero diaboli suggestionem peccavit (5). Quod Adæ peccatum a solis protoparentibus commissum, origine unum, propagatione, non imitatione, transfusum, omnibus inest unicuique proprium (6), Beata et Inmaculata Virgine Dei Genitrice Maria, singulari Dei privilegio, intuitu meritorum Christi immuni præservata (7). Porro Deus angelis peccantibus non pepercit,

(1) I. Tim. II, 3. (2) Marc. XVI, 16. (3) Pius IX. Encycl. citat.

(4) Symbol. S. Athanas. (5) Conc. Lateran. IV, cap. *firmiter*.

(6) Conc. Trid. Sess. V. De peccat. origin. Can. 3.

(7) Pius IX. Bulla *ineffabilis*, 8 Dec. 1854.

sed rudentibus inferni detractos, in tartarum tradidit cruciandos (1); homini vero tempus poenitendi concessit.

IV. Unus est mediator Dei et hominum (2) æternaliter natus de Patre... temporaliter de Spiritu Sancto ex Maria semper Virgine cum anima rationali... in duabus et ex duabus naturis, divina scilicet et humana in unius singularitate personæ (3), perfectus Deus, perfectus homo (4) impassibilis et immortalis divinitate, sed in humanitate pro nobis et pro nostra salute passus, mortuus et sepultus, qui descendit ad inferos, surrexit a mortuis, ascendit ad cœlos et sedet ad dexteram Dei Patris (5), ubi oportet illum regnare donec Pater ponat omnes inimicos sub pedibus ejus (6), et ipse, constitutus iudex vivorum et mortuorum (7), reddens iniquique secundum opera ejus (8) tradet regnum Deo et Patri, ut sit Deus omnia in omnibus (9).

V. Una est vera Ecclesia, sancta, catholica et apostolica, extra quam nullus omnino salvatur (10), et portæ inferi non prævalebunt adversus eam. (11).

VI. Societatis vero sive domesticæ, sive civilis auctor est Deus: ipse matrimonii, ejusque perpetui et indissolubilis nexus institutor, atque per gratiam sacramentalem perfector (12) Ipse mutuis officiis parentes filiis, et filios parentibus colligat (13): ab ipso omnis potestas ordinatur (14), et ideo potestati subditi esse debent homines non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam (15). Omnis igitur societas in æterna lege fundatur, speciatimque in præceptis justitiæ et caritatis solidatur.

VII. Ratio a Deo homini indita, legi æternæ subdita est; imo natura sua debilis, infirma, et per peccatum obscurata, cujuslibet boni supernaturalis est ex sese impotens, et absque revelatione quæ ad salutem pertinent ignorat. Quapropter Sancta Trinitas per Moysen et sanctos Prophetas, aliosque famulos suos, juxta ordinatissimam dispositionem temporum, doctrinam humano generi tribuit salutarem, et tandem «Unigenitus Dei Filius Jesus Christus a tota Trinitate... incarnatus... viam vitæ manifestius demonstravit» (16).

(1) II. Petr. II, 4. (2) I. Tim. II, 3.

(3) Symb. Athanas. Conc. Lugd. 2 De profess. fid. Mich. Palcol.

(4) Symbol. Athanas. (5) Idem. (6) I. Cor. XV, 25.

(7) Act. X, 42. (8) Matth. XVI, 27. (9) I. Cor. XV, 28.

(10) Conc. Later. IV, cap. *Firmiter*. Conc. Lugd. 2. (11) Matth. XVI, 18.

(12) Conc. Trid. Sess. XXIV. De Sacram. Matrim. (13) Deuteron. V, 16.

(14) Rom. XIII, 1. (15) Id. id. 5. (16) Conc. Lateran, IV, cap. *Firmiter*.

TITULUS II.

De Fidei necessitate et præstantia.

I. Præstantissimum Dei donum est fides, qua Deus nos transtulit in admirabile lumen suum (1), et in regnum Filii dilectionis suæ (2), quamque Ecclesia catholica profitetur esse virtutem supernaturalem, qua, Dei adspirante et adjuvante gratia, ab eo revelata vera esse credimus, non propter intrinsecam rerum veritatem naturali rationis lumine perspectam, sed propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest (3).

II. *Gratia estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis, Dei enim donum est*, dicit Apostolus (4): gratias igitur agentes Deo Patri, qui dignos non fecit in partem sortis sanctorum in lumine (5), tantam ne negligamus salutem, sed aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Jesum (6), teneamus spei nostræ confessionem indeclinabilem (7), donec occurramus in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, atque veritatem facientes in caritate, crescamus in illo per omnia (8). Adveniente enim quod perfectum est, præmium fidei erit, ut lucifer oriatur, diesque elucescat in cordibus nostris (9); nunc enim videmus per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem (10): similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est (11).

III. Nullæ ergo sunt majores divitiæ, nulli thesauri, nulli honores, nulla mundi hujus major substantia, quam est fides catholica, quæ peccatores homines salvat, infirmos curat, catechumenos baptizat, fideles justificat, pœnitentes reparat, justos augmentat, martyres coronat, virgines et viduas et conjuges casto pudore conservat, clericos ordinat, sacerdotes consecrat, regnis cœlestibus præparat, in æterna beatitudine cum angelis sanctis communicat (12).

IV. Non tamen fidei cùjusvis, sed fidei divinæ ac supernaturalis necessitatem et præstantiam prædicamus, illius nempe quæ a cœlesti principio gratiæ excitatur ac fovetur. Ad salutem namque consequendam minime sufficit fides illa qualiscumque et late dicta, seu Dei cognitio, quæ ex testimonio creaturarum, similive motivo innititur (13). Ad finem enim supernaturalem, supernaturalia ducant oportet: fides

(1) I. Petr. II, 9. (2) Coloss. I, 13. (3) Conc. Vatic. Sess. III, cap. 3.

(4) Ephes. II, 8. (5) Colos. I, 12. (6) Hebr. XII, 2. (7) Id. X, 23.

(8) Ephes. IV, 13, 15. (9) 2. Petr. I, 19. (10) I. Cor. XIII, 12.

(11) I. Joann. III, 2. (12) S. August. serm. De verb. Apost.

(13) Prop. 23, damn. ab Innoc. XI, 4 Mart. 1679.

vero a mundi visibilis conspectu, vel alio argumento naturali concepta, cognitionis naturalis ambitum non superat; ideoque ac vitam æternam non conducit, dicente Domino: *hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum et quem misisti Jesum Christum* (1) et rursus: *Ego sum via, veritas et vita, nemo venit ad Patrem nisi per me* (2).

V. Nec ullo modo audiendi sunt, qui in superbia sua dicere audent, fidem hominibus quidem rusticis et insciis, pueris ac mulierculis, minime vero excultis atque sublimiori ingenio præditis necessariam esse (3). Fides enim omnibus illis necessaria est, quibus per Apostolos, eorumque successores jussit Deus prædicari Evangelium, et quos ad vitam æternam per gratiam ipsius assequendam ordinavit: omnibus autem hunc præfixit finem, et omnibus Evangelium prædicari voluit, cum non sit personarum acceptor et æqualiter sit illi cura de omnibus (4). Unde Apostolus, qui per Jesum Christum accepit gratiam et apostolatum ad obediendum fidei in omnibus gentibus pro nomine ejus (5), ad Romanos scribebat: *Græcis et barbaris, sapientibus et insipientibus debitor sum* (6). Omnes proinde fide supernaturali, ut in Deum tendant necesse est.

VI. Manifestum est etiam fidem, universam funditus evertere illos, qui se ipsos sapientes proclamantes, asserunt religionem senio confectam et languentem scientia renovandam et perficiendam esse, atque aliquando scientiarum, et in primis philosophiæ progressus id exigere; proinde ac si ipsa Religio non Dei sed hominum opus esset, aut philosophicum aliquod inventum, quod humanis modis perfici queat (7). Doctrinam revelatam, qui corrigere, mutare vel alium ei sensum, quam quem semper tenuit Ecclesia, subjicere præsumit, ipsam revelationem opus divinum esse negat, aut Ecclesiam, quæ est veritatis revelatæ magistra infallibilis, incusat erroris; ideoque affirmat ei non adesse Christum qui dixit: *Ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi* (8).

VII. Audiant hi Vincentium Lirinensem a tot jam sæculis respondentem, eorumque temerarium ausum profligantem «Mirari satis nequeo tantam quorundam hominum vesaniam, tantam excæcatæ mentis impietatem, tantam postremo errandi libidinem, ut contenti non sint tradita semel, et accepta antiquitus credendi regula, sed nova ac nova in diem quærant, semperque aliquid gestiant religioni addere, mutare,

(1) Joann. XVII, 3. (2) Joann. XIV, 6.

(3) Prop. Raymund. Lul. damn. a Greg. XI, 26 Jan. 1376.

(4) Sap. VI, 8. (5) Rom. I, 5. (6) Id. id. id. 14.

(7) Pius IX. Encycl. *Qui pluribus*. (8) Matth. XXVIII, 30.

detrahere, quasi non cœleste dogma sit, quod semel revelatum esse sufficiat, sed terrena institutio, quæ aliter perfici, nisi assidua emendatione, immo potius reprehensione non possit, quum divina clament oracula: ne transferas terminos, quos posuerunt patres tui (1). Sed forsitan dicit aliquis: nullusne ergo in Ecclesia Christi progressus habebitur religionis? Habeatur plane, et maximus. Sed ita tamen ut vere profectus sit ille fidei, non permutatio. Siquidem ad profectus pertinet, ut in semetipsam unaquæque res amplificetur: ad permutationem vero, ut aliquid ex alio in aliud transmutetur. Crescat igitur oportet, et multum vehementerque proficiat, tam singulorum, quam omnium, tam unius hominis, quam totius Ecclesiæ, ætatum ac sæculorum gradibus intelligentia, scientia, sapientia, sed in suo dumtaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu, eademque sententia (2).

TITULUS III.

De Fidei professione.

I. Numquam, nulloque casu, ne vitæ quidem discrimine hanc fidem negare licet, sine qua impossibile est placere Deo (3); *nan qui negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est*, ait Dominus Jesus (4). Palam etiam profiteri illam tenemur, quoties honor Deo debitus, vel spiritualis proximi utilitas, nisi profiteamur, caperet detrimentum. Imbecillis præterea est fides, quæ publicam professionem renuit, nec facile in vitam influit, quæ de sua vita testimonium perhibere refragatur.

II. Hæc si de omnibus dicenda sunt, qui christiano nomine vocantur, eo magis de iis, qui pro Christo legatione funguntur (5), et qui Deo militantes, ipsius cooperatores, et Ecclesiæ ministri sunt in rebus sacris, vel docendis vel ministrandis. Quædam vero sunt rerum adjuncta, in quibus canonicæ sanctiones exigunt, justissimis de causis, explicitam et peculiarem fidei professionem a quibusdam personis ecclesiasticis. Unde Sacrosancti Concilii Tridentini de hac re decreto (6) obsequi volentes, decernimus ac jubemus, omnes, quos infra adnumeramus, fidem profiteri coram proprio Episcopo, seu ejus Vicario Generali, vel alio specialiter deputando, et formula quidem a Pio IV edita in constitutione quæ incipit: *Injunctum nobis*, cum ad-

(1) Vincent. Lirinens. Common. cap. 21.

(2) Commom. cap. 28. (3) Hebr. XI, 6. (4) Matth. X, 33.

(5) 2. Cor. V, 20. (6) Sess. XXIV cap. 12. De reform.

ditionibus a Pio IX præscriptis per Sacræ Congregationis Concilii Decretum die 20 Januarii 1877.

1.º Vicarii Generales, priusquam officium sibi commissum exercent.

2.º Omnes qui ex jure vel consuetudine Concilio provinciali vel diœcesanæ Synodo prima vice intersint.

3.º Omnes qui in cathedralibus ecclesiis dignitatem, canonicatum, aut beneficium residentiale obtinuerint.

4.º Quicumque beneficium curam animarum adnexam habens fuerint assequuti.

5.º Examinatores synodales.

6.º Seminarii moderatores.

7.º Qui clero adscripti theologiam vel philosophiam quovis nomine docuerint, et etiam laici qui, in instituto auctoritatis ecclesiasticæ regimini subjecto, philosophiæ docendæ munus susceperint, et hoc singulis annis in initio scholastici cursus.

8.º Archipresbyteri ad instar vicariorum foraneorum constituti.

9.º Neo-conversi, qui ad ecclesiam redeunt ab hæresi.

III. Dignitates, canonici, aut beneficio curato provisi professionem fidei intra duos menses a die adeptæ possessionis per se ipsos, non vero per interpositum procuratorem (1) emittere debent, etiamsi eadem jam emissa ad aliam dignitatem, canonicatum, vel parœciam promoveantur. Dignitates et canonici qui hanc professionem omiserint coram Episcopo, et etiam coram capitulo, fructus omnes suæ præbendæ, post elapsos prædictos duos menses, suos non faciant, sed pauperibus vel fabricæ ecclesiæ eos cedere tenebuntur (2). Cæteri vero pœnis a sacrosancto Tridentino Concilio, et prælaudata Pii IV Constitutione intentatis mulctabuntur (3).

IV. Laicis latini sermonis expertibus, si ad profitendam fidem accedant, formula vulgari idiomati fideliter reddita proponatur, vel saltem ipsius opportuna explanatio præmittatur, ut sciant et animadvertant quod ore pronuntiant, et corde sentire debent.

V. De cætero autem, quum non raro contingat ob temporum nostrorum nequitiam, et impiorum audaciam, ut multi fideles exteriores religionis actus negligant vel erubescant, Episcopi hortentur, immo mandent parochis et divini verbi præconibus, ut sæpius doceant et denuntient, hominem qui fidei inæstimabile donum accepit, præter internum mentis assensum, quo Deo mysteria revelanti, et Ecclesiæ ea proponenti credit, debere id, quod animo inclusum habet, aperta

(1) S. Cong. Conc. In Calagur. 26 Sept. 1696. (2) Id. id. in Taurin. 2 Maii 1682.

(3) Conc. Trid. sess. XXIV. De reform. cap. 12...

professione, summaque alacritate, ubi tulerit occasio, fateri ac præferre (1), ne illos comprehendat illa Redemptoris nostri comminatio: *Qui me erubuerit, et meos sermones, hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in majestate sua, et Patris, et sanctorum angelorum* (2).

VI. Exteriores hanc fidei professionem omnibus necessariam predicat quoque Apostolus dicens: *corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem* (3). Doceant quam iniquum certe foret, Deo, qui totum hominem, anima et corpore, ut creavit, ita etiam ad sempiternam beatitudinem obtinendam destinavit, impendere quidem internum mentis, negare tamen externum oris obsequium. Doceant pariter et inculcent, quam turpe et improbum sit, fidem ecclesiæ catholicæ tot confirmatam miraculis, tot martyrum illustratam victoriis, tot hæreticorum assaultibus fortiolem, tot sanctitatis exemplis gloriosam, tenebrarum latebris velle abscondere, quasi ea ferre nequeat hominum ora et conspectum.

VII. Hæc publica fidei demonstratio hodie quam maxime facienda est, quum ex quamplurium fidelium pusillanimitate, impiorum crescat audacia ad oppugnandam et convellendam religionem quam satanico odio prosequuntur. Fideles ergo ne formident nec timeant opprobrium hominum et blasphemias eorum ne metuant (4), neque erubescant Evangelium (5). Si quis enim patitur ut christianus, admonet omnes Apostolorum Princeps, non erubescat, glorificet autem Deum in nomine isto (6); nam qui me confessus fuerit coram hominibus, dixit Jesus, confitebor et ego eum coram Patre meo qui in cœlis est (7), et si perdidit animam sua propter me et Evangelium, inveniet eam (8); beati enim sunt qui patiuntur persecutionem propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum (9). Hoc perpendant fideles, et publico sacramentorum usu, ecclesiasticorum præceptorum observantia, aliisque religionis ac pietatis operibus, fidem suam ostendant, indeclinabilem suæ spei confessionem tenentes, Deique honorem viriliter zelantes.

VIII. Statuimus ergo ut omnibus festivis diebus in Missa parochiali, et ante vel post catechismum, et post sanctissimi rosarii recitationem publice in ecclesiis faciendam, clara et distincta voce a parochis, vel aliis sacerdotibus recitentur actus fidei, spei et charitatis, ita ut ab universo populo repeti possint.

IX. Oportet etiam ut reddantur Deo, luminum Patri gratiarum actiones pro optimo fidei dono, quo nos, ut ostenderet divitias gratiæ

(1) Conc. Rom. cap. 2, n. 5. (2) Luc. IX, 26. (3) Rom. X, 10. (4) Isai LI, 7.

(5) Rom. I, 16. (6) 1. Petr. IV, 16. (7) Matth. X, 32. (8) Marc. VIII, 35. (9) Matth. V, 10.

suæ in Christo Jesu (1), benignissime ditavit. Ad hoc debitum persolvendum hortabatur omnes ven. memor. Pius IX scribens: «Speciatim procurandum est, ut fideles ipsi impressum in animis habeant, alteque defixum dogma illud sanctissimæ nostræ religionis, quod est de necessitate catholicæ fidei ad obtinendam salutem. Hunc in finem summopere conducet, ut in publicis orationibus fideles laici una cum clero agant identidem Deo gratias pro inæstimabili catholicæ religionis beneficio, quo ipsos omnes clementissime donavit, atque ab eodem misericordiarum Patre suppliciter petant, ut ejusdem religionis professionem in regionibus nostris tueri et inviolatam conservare dignetur» (2).

TITULUS IV.

De fidei et scientiæ discrimine et concordia.

Quemadmodum religionem, ut illam e terris exulare faciant, rebus humanis inimicam jactitant nonnulli, ita etiam fidem divinam et humanam scientiam dissidere, sibi que opponi posse, perverse asserunt, ut illam deprimant ac si quod revelatione tamquam verum proponitur, ratio falsum esse quandoque perspiciat.

I. Certe hi evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipientis cor eorum: dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt (3), dum oppositiones introducunt falsi nominis scientiæ (4). Ecce enim Deus magnus vincens scientiam nostram (5). Ipsemet Deus loquens patribus in prophetis, nobis autem in Filio (6) qui ad hoc venit in mundum, ut testimonium perhiberet veritati (7), et cujus verbum manet in æternum (8), ipse scientiarum Dominus est (9), et scientiæ ejus non est numerus (10). Auctor fidei Deus, qui et rationis lumen nobis indidit: numquam ergo quæ vera esse perspicue ratio dictat, contradicent iis quæ vera esse divinum testatur eloquium; non enim veritas, sed unice falsitas veritati opponi potest (11). Præterea quod lumini rationis vere contrarium est et falsum, id ipsius etiam Dei scientiæ adversetur necesse est, quum mens humana, utpote a Deo efformata, Dei sit quodammodo discipula, et legibus ab ipso inditis dirigatur; Quod verò divini scientiæ adversatur, id, utpote falsum, revelari nunquam potuit. Et profecto, si quod revelatione declaratur verum, rationi unquam falsum esse posset, Deus aut vellet ut, sprete revelatione, rationis lumini obsequeremur, et sanctus non esset,

(1) Ephes. II, 7. (2) Pius IX, *Encycl. Nostis* 8 Dec. 1849.

(3) Rom. I, 21. (4) I. Tim. VI, 20. (5) Job. XXXVI, 26. (6) Heb. I, 2.

(7) Joann. XVIII, 37. (8) 1. Petr. I, 25. (9) 1. Reg. II, 3.

(10) Ps. CX, LVI, 5. (11) Conc. Later. IV, sess. 8.

quum non exigeret illud quod sibi debetur obsequium; aut vellet, ut, spreto rationis lumine, revelationi haberemus fidem, et sapiens non esset, quum rationem eo solo fine largiri potuerit, ut ejus dirigamur legibus (1).

II. Fides ergo non excludit rationem, neque cum illa pugnat, sed rationem immo necessario supponit. Credere non possemus, inquit S. Augustinus, nisi rationales animas haberemus (2), et rationis usus fidem præcedit, atque ad eam hominem ope revelationis et gratiæ conducit (3). Clarissime igitur apparet, fidem non modo non spernere, sed maxime omnino facere humanarum disciplinarum consortium, quarum genuina principia ex interno idearum nexu ratio vera esse perspicit; illas immo considerat ceu sepimentum aliquod, quo dogma ipsum vallatur, uti nominatim de philosophia expressit S. Basilius cum ait: *facultas dialecticæ muri instar est dogmatibus, quod ea non sinit facile diripi, et quodammodo incursionem patere*. Non illas tamen habet ut dominas quibus subjiciatur, sed ut ancillas, quas mittit ad arcem et ad mœnia civitatis (4), ut ea custodiant, et parvulos ac insipientes adducant, ut veræ sapientiæ et divini verbi pane reficiantur. Eapropter falsum omnino ac temerarium est asserere, aut Ecclesiam corrigere non debere falsa philosophiæ placita in iis quæ fidei depositum attingunt (5), aut impediri verum scientiæ progressum, dum hoc munus Ecclesia præstat per sacrarum Congregationum decreta (6).

III. Iis ergo qui rationis jura supra modum exaggerant, atque crepantibus buccis ventilant modernam scientiam, extollentem se adversus scientiam Dei (7) ne in servitutem redigant intellectum in obsequium Christi, opponimus nos cum Ecclesia catholica doctrinam in œcumenico concilio Vaticano clarissime et dogmatice definitam: «Hoc perpetuus Ecclesiæ catholicæ sensus tenuit et tenet, duplicem esse ordinem cognitionis, non solum principio, sed objecto etiam distinctum: principio quidem, quia in altero naturali ratione, in altero fide divina cognoscimus; objecto autem, quia præter ea ad quæ naturalis ratio pertingere potest, credenda nobis proponuntur mysteria in Deo abscondita, quæ, nisi revelata divinitus, innotescere non possunt... At ratio quidem fide illustrata, cum sedulo, pie et sobrie quærit, aliquam, Deo dante, mysteriorum intelligentiam, eamque fructuosissimam assequitur, tum ex eorum, quæ naturaliter cognoscit, analogia, tum e mysteriorum ipsorum nexu inter se et cum fine hominis ultimo;

(1) Conc. Colon. 1860 tit. 1 c. V. (2) Ep. 120 ad Consent. n. 3.

(3) Prop. 3 inter emissas a S. Cong. indicis 10 Jun. 1855. (4) Prov. IX, 3.

(5) Prop. 16 ex damn. a Pio IX in Syllab. (6) Prop. 12 ibid. (7) 2. Cor. X, V.

numquam tamen idonea redditur ad ea perspicienda instar veritatum, quæ proprium ipsius objectum constituunt. Divina enim mysteria suapte natura intellectum creatum sic excedunt, ut etiam revelatione tradita et fide suscepta, ipsius tamen fidei velamine contacta, et quadam quasi caligine obvoluta maneant, quamdiu in hac mortali vita peregrinamur a Domino: per fidem enim ambulamus, et non per speciem» (1).

«Verum etsi fides sit supra rationem, nulla tamen umquam inter fidem et rationem dissensio esse potest: cum idem Deus, qui mysteria revelat et fidem infundit, animo humano rationis lumen indiderit: Deus autem negare se ipsum non possit, nec verum vero unquam contradicere. Inanis autem hujus contradictionis species inde potissimum oritur, quod vel fidei dogmata ad mentem Ecclesiæ intellecta et exposita non fuerint, vel opinionum commenta pro rationis effatis habeantur. Omnem igitur assertionem veritati illuminatæ fidei contrariam omnino falsam esse definimus (2). Porro Ecclesia, quæ una cum apostolico munere docendi, mandatum accepit fidei depositum custodiendi, jus etiam et officium divinitus habet falsi nominis scientiam proscribendi; ne quis decipiatur per philosophiam et inanem fallaciam (3). Quapropter omnes christiani fideles hujusmodi opiniones, quæ fidei doctrinæ contraria esse cognoscuntur, non solum prohibentur tamquam legitimæ scientiæ conclusiones defendere, sed pro erroribus potius, qui fallacem veritatis speciem præferant, habere tenentur omnino.»

«Neque solum fides et ratio inter se dissidere numquam possunt, sed opem quoque sibi mutuam ferunt, cum recta ratio fidei fundamenta demonstret, ejusque lumine illustrata rerum divinarum scientiam excolat: fides vero rationem ab erroribus liberet ac tueatur eamque multiplici cognitione illustret. Quapropter tantum abest, ut Ecclesia humanarum artium et disciplinarum culturæ obsistat, ut hanc multis modis juvet atque promoveat. Non enim commoda ab iis ad hominum vitam dimanantia aut ignorat aut despicit; fatetur immo eas, quemadmodum a Deo scientiarum Domino profectæ sunt, ita si rite pertractentur ad Deum, juvante ejus gratia, perducere. Nec sane ipsa vetat, ne hujusmodi disciplinæ in suo quæque ambitu propriis utantur principiis et propria methodo: sed justam hanc libertatem agnoscens, id sedulo cavet, ne divinæ doctrinæ repugnando, errores in se suscipiant, aut fines proprios transgressæ, ea quæ sunt fidei occupent et perturbent» (4).

(1) 2. Cor. V. 7. (2) Conc. Later. V. Bulla *Apostolici Regiminis*.

(3) Coloss. II. 8. (4) Conc. Vatic. sess. III, cap. IV.

TITULUS V.

De præcipuis hujus ætatis erroribus.

In novissimo tempore venient illusores secundum desideria sua ambulantes in impietatibus (1), magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis... per quas via veritatis blasphemabitur (2); homines se ipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemii... et voluptatum amatores magis quam Dei, semper discentes, et nunquam ad scientiam veritatis pervenientes (3), Dei nostri gratiam transferentes in luxuriam, et solum dominatorem et Dominum nostrum Jesum Christum negantes (4). Hæc per sanctos apostolos prænuntiata tempora advenisse colligimus ex errorum colluvie, quos perversi, vel incauti homines in fideles populos, sive per fraudem, sive palam diffundere contendunt. In tanto rerum discrimine haud tacendum nobis est, quos Dominus posuit murum pro domo Israel, ut stemus in prælio in die ejus (5), quique uti doctores et pastores, non modo depositum fidei integrum custodire (6), et contradicentes arguere (7), sed etiam gregem nobis concreditum ab impiorum machinationibus pro viribus vindicare et tueri, abjectos reducere, vacillantes confirmare debemus.

Quapropter Sacrarum Scripturarum, divinarum traditionum, Sanctorum Patrum, Œcumenicorum Conciliorum, Vaticani præsertim, et Summorum Pontificum auctoritate suffulti, atque ven. mem. Pii IX et Ssmi. Domini nostri Leonis XIII vestigiis inhærentes, quos ipsi notarunt et damnarunt errores, et nos profligamus et damnamus.

I. Rejicimus damnantes in primis nefandum et omnium errorum venenatum caput et fontem, *Rationalismum* scilicet, quo homines verbum Dei et sanam Ecclesiæ doctrinam non sustinentes, nullam aliam credendi et agendi regulam, nisi proprium uniuscujusque sensum agnoscunt et prædicant. Anathema cum Vaticano Concilio dicimus eos qui docent, fieri non posse, aut non expedire ut per revelationem divinam homo de Deo, cultuque ei exhibendo edoceatur (8).

II. Rejicimus, et cum eodem Œcumenico Concilio damnamus *Atheismum*, ejusque sectatores negantes unum verum Deum, visibillum et invisibillum Creatorem et Dominum (9) nihilque præter materiam esse affirmare non erubescerent (10), necnom *Pantheismum* dicentem: «Unam eandemque esse Dei et rerum omnium substantiam vel essentiam» (11), «res finitas tum corporeas tum spirituales, aut

(1) Jud. 18. (2) 2. Petr. II, 1. (3) 2. Tim. III, 1 et seq. (4) Jud. 4. (5) Ezech. XIII, 5.

(6) 2. Tim. I, 24. (7) Tit. I, 9. (8) Conc. Vatic. sess. III, cap. II, can. II.

(9) Id. id. cap. I, can. I. (10) Can. II. (11) Can. III.

saltem spirituales e divina substantia emanasse, aut divinam essentiam sui manifestatione vel evolutione fieri omnia, aut denique Deum esse ens universale seu indefinitum, quod sese determinando constituit rerum universitatem in genera, species et individua distinctam (1), ideoque negantes Deum omnia ex nihilo secundum totam substantiam, et libere, atque ad sui ipsius gloriam creasse» (2). Hæc insana rejicientes deliramenta confitemur ac docemur, unum esse Deum verum et vivum, Creatorem ac Dominum cœli et terræ, omnipotentem, æternum, immensum, incomprehensibilem intellectu ac voluntate, omnique perfectione infinitum, qui cum sit una singularis, simplex omnino et incommutabilis substantia spiritualis, est re et essentia a mundo distinctus, in se et ex se beatissimus, et super omnia, quæ præter ipsum sunt, et concipi possunt, ineffabiliter excelsus (3). Hunc Deum confitemur, qui solus est Dominus, ex nihilo creans cœlos et formans terram, et omnia quæ in eis sunt, tribuens omnibus vitam et inspirationem et omnia (4) cujus est gloria quam alteri non dabit (5).

III. Rejicimus pariter et damnamus *Naturalismum* qui postquam Deus *maxima et pretiosa nobis promissa donavit, ut per hæc efficiamur divinæ consortes naturæ* (6), hominis ad statum supernaturalem ordinationem, et etiam hujus ordinationis possibilitatem non erubuit contradicere, omnem Dei actionem in homines et in mundum negando, dum blaterat hominem ad cognitionem et perfectionem quæ naturalem superat evehi non posse, sed ex se ipso ad omnis tandem veri et boni possessionem jugi profectu pertingere posse et debere (7); ideoque humanam naturam, humanamque rationem cunctis in rebus magistram esse et principem oportere. Quo constituto, naturalistæ officia erga Deum vel minus curant, vel opinionibus pervertunt errantibus et vagis. Negant enim quidquam esse Deo auctore traditum, nullum probant de religione dogma, nihil veri, quod non hominum intelligentia comprehendat, nullum magistrum, cui propter auctoritatem officii sit jure credendum, et idcirco in Ecclesiam maxima est horum inimicorum iracundia, impetusque conversus (8). Eos ergo a sacrosanctis Conciliis et a Summis Pontificibus non semel damnatos, nos iterum iterumque proscribimus.

IV. Rejicimus non minus et damnamus *Symbolismum et Mythismum*, cujus audaci et ementita interpretatione palam docere præsumitur, commentitia esse et hominum inventa sacrosancta nostræ

(1) Can. IV. (2) Can. V. (3) Id. id. cap. I, De Deo omn. rer. creator.

(4) Act. XVII, 25. (5) Isai. XLVIII, 11. (6) 2. Petr. I, 4.

(7) Syllab. prop. 2 et 3, Concil. Vatic. sess. III, cap. II, can. III.

(8) Leo XIII, Encycl. *Humanum genus* 20 April. 1884.

religionis mysteria, Patriarcharum, Prophetarum, Salvatoris etiam Domini nostri Jesu Christi, et Apostolorum vitam, actus, miracula, mythica et inania esse commenta (1), quasi Homo Deus, cujus diem desideravit Abraham videre, vidit, et gavisus est (2), de quo locuti sunt Moyses et prophetæ et psalmi (3), vere parvulus nobis non natus fuerit (4), vere non pertransierit benefaciendo et sanando omnes oppressos a diabolo (5), vere non locutus fuerit sicut numquam locutus est homo (6), vere nostros non tulerit languores (7), vere inclinato capite non emisit spiritum (8), non resurrexerit vere, et apparuerit Simoni (9), nec Apostolis verum corpus suum, sed phantasma præbuerit palpandum (10).

V. Rejicimus et damnamus *Indifferentismum*, juxta quem omnes omnino religiosæ societates æqualiter veræ, æqualiter falsæ, æqualiter Deo gratæ nuncupantur, ideoque «liberum cuique est amplecti ac profiteri religionem quam, rationis lumine ductus, veram putaverit» (11), eo quod homines in cujusvis religionis cultu viam eternæ salutis reperire, æternamque salutem assequi possunt (12), vel «saltem bene sperandum est de æterna illorum omnium salute, qui in vera Christi Ecclesia nequaquam versantur (13), præsertim qui in protestantismo vivunt,» qui «non aliud est quam diversa veræ ejusdem christianæ religionis forma, in qua æque ac in Ecclesia catholica Deo placere datum est» (14). Adversus hos veteratores, qui ista comminiscuntur, clamat Christus Dominus: Ego sum via, veritas et vita: nemo venit ad Patrem nisi per me (15). Ego sum ostium; per me si quis introierit, salvabitur (16). Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit condemnabitur (17). Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem conventio Christi ad Belial? Aut quæ pars fidei cum infidei? (18). Ex hoc nefando systemate necessario evenit quamplures religionem omnem abjicere, alios vero, servato Christi fidelium nomine, plurima tamen et ad credendum, et ad agendum proposita contemnere, Christum dividentes, et ad illud minime attendentes: «qui offendit in uno, factus est omnium reus» (19). De his cum psalmista dicere debemus:

(1) Pius IX, Enycl. *Qui pluribus*. (2) Joann. VIII, 56. (3) Luc. XXIV, 25.

(4) Isai. IX, 6. (5) Act. X, 38. (6) Joann. VII, 46. (7) Isai. LIII, 4.

(8) Joann. XIX, 30. (9) Luc. XXIV, 34. (10) Id. id. 39.

(11) Syllab. prop. XV, Enycl. *Multiplikes inter*, 10 Jun. 1851.

(12) Syllab. prop. XVI, Enycl. *Singulari quidem*, 17 Martii 1856.

(13) Syllab. prop. XVIII, Enycl. *Quanto conficiamur*, 17 Augusti 1863.

(14) Syllab. prop. XVIII, Enycl. *Nostis et nobiscum*, 8 Decembris 1849.

(15) Joann. XIV, 6. (16) Id. X, 9. (17) Marc. XVI, 16.

(18) 2. Cor. VI, 15. (19) Jacob. II, 10.

Salvum me fac, Deus, quoniam diminutæ sunt veritates a filiis hominum (1).

VI. *Materialismum* quoque reprobamus, qui totum hominem ad merum organismum revocans, hunc ad similitudinem Dei conditum, eo ignominia detrahit, ut, anima, fine, dignitate penitus amissis, homo comparetur jumentis insipientibus, et similis fiat illis (2), cujus igitur cor cinis, spes terra, vita ludus, Deus venter est (3), et lucrum undequaque acquirere, etiam ex malo, suprema lex, summa sapientia, unica felicitas.

VII. *Socialismum* et *Communismum* æquo jure damnamus, cujus doctrina semel admissa, omnium jura, res, proprietates, ac vel ipsa humana societas funditus everterentur (4). Populos enim excitat ad superioris cujusque auctoritatis regimen oppugnandum, ad diripiendas proprietates, ad divini cultus destructionem, subversionemque totius ordinis humanarum societatum. Hanc doctrinam non reprobare minime licet, 'cujus sectatores «nihil quod humanis, divinisque legibus ad vitæ incolumitatem et decus sapienter decretum est, intactum vel integrum relinquunt..... et ipso evangelio abutentes, ad male cautos facilius decipiendos, illud ad suam sententiam detorque-re consueverint (5). Cum Summis Pontificibus ac præsertim cum zelantissimo Ecclesiæ et humanæ societatis defensore Domino nostro Leone XIII, qui, mirabili sua encyclica *Quod apostolici muneris*, hanc omni dolo et fallacia plenam doctrinam refutavit et profligavit, eam proscribimus atque damnatam declaramus. Ex officii nostri debito præterea in omnium memoriam divina verba revocamus, ut ea meditantes, auditum avertant ab iis, qui beatificant populum seducen-tes (6) per inanem fallaciam (7). Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas nisi a Deo: itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt (8). Non furtum facies, non concupisces domum proximi tui, non uxorem, non argentum, non omnia quæ illius sunt (9). Deum time et mandata ejus observa; hoc est enim omnis homo (10).

VIII. *Liberalismum* reprobamus ac rejicimus, qui cæteris omnibus religioni et Ecclesiæ catholicæ infensus consentiens et favens, eorum pestifera sophismata ad praxim deducenda curat in societatis humanæ regimine, Dei ordinationi obsistens, humanamque substi-

(1) Ps. XI, 2. (2) Id. XLVIII, 13. (3) Philip. III, 19.

(4) Pius IX, Encycl. *Quam pluribus*. (5) Leo XIII, Encycl. *Apostolici muneris*.

(6) Isai. IX, 16. (7) Colos. II, 18. (8) Rom. XIII, 1, 2.

(9) Exod. XX, 15, 17. (10) Eccles. XII, 13.

tuens in omnibus, quæ ad ecclesiam et civitatem spectant; unde Ecclesiæ jura impetit, leges eidem adversas ubique promulgat, eamque, ac si mere humana foret institutio, vel subjectam vult statui, vel ab ipso prorsus sejunctam, ut, omni jure destituta, facilius opprimatur; ac denique inter alia non pauca reprobanda, omnimodam sive de divinis, sive de humanis loquendi et scribendi licentiam tamquam jus unicuique proprium proclamat, insubordinationem adversus Ecclesiam et legitimas auctoritates ingenerando. Ejus ergo exitiosa principia et doctrinas a gloriosæ memoriæ Pio Papa IX pluribus in Encyclicis et *in errorum hujus ætatis Syllabo* damnatas, atque a SSmo. Dno. Nostro Leone XIII non semel reprobatas, cum ipsis damnamus ac reprobamus (1).

IX. *Massonismum* denique, seu *Massonum sectam*, de qua vigilantissimus gregis christiani Supremus Pastor Leo XIII damnationem sæpius a suis decessoribus prolatam iterans atque confirmans, ejusque tenebrosas machinationes et satanica proposita omnibus, ne subdole decipiantur, patefaciens ait: *Variæ sunt hominum sectæ, quæ quamquam nomine, ritu, forma, origine differentes, cum tamen communionem quadam propositi, summarumque sententiarum similitudine inter se contineantur, re congruunt cum secta Massonum, quæ cujusdam est instar centri unde abeunt et quo redeunt universæ.... Nihil jam dissimulantes consilia sua, excitant sese adversus Dei numen audacissime. Ecclesiæ sanctæ perniciem palam aperteque moliuntur; idque eo proposito, ut gentes christianas partis per Jesum Christum servatorem beneficiis, si fieri possit, funditus despolient* (2).

X. Fideles ergo nostrarum Diocesium hortamur et obsecramus in Domino, ut caveant ab omnibus his falsis magistris, qui veniunt ad eos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces (3), ut aures á sibilo vaferrimorum hominum cautissime avertant, eorum consuetudinem devitent, atque nobiscum idipsum sapiant, sentiant ac profiteantur, memoria repetentes Apostolorum verba: Hi sunt fontes sine aqua et nebulæ turbinibus exagitatae, quibus caligo tenebrarum reservatur. Superba enim vanitatis loquentes, pelliciunt in desideria carnis luxuriæ eos qui paululum effugiunt, qui in errore conversantur, libertatem illis promittentes, cum ipsi servi sint corruptionis (4). Nolite dare locum diabolo (5), resistite fortes in fide (6), ne quis vos decipiat in sublimitate sermonis secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, et non secundum Christum. Sicut accepistis Je-

(1) Prop. LXXVII ad LXXX in specie. (2) Leo XIII. *Encycl. Humanum genus*.

(3) Math. VII, 15. (4) 2. Petr. II, 19. (5) Ephes. IV, 27. (6) 1. Petr. V, 9.

sum Christum in ipso, in ipso ambulate, radicati, et superædificati in ipso, et confirmati in fide (1) quasi liberi, qua libertate Christus nos liberavit (2), et non quasi velamen habentes malitiæ libertatem, sed sicut servi Dei (3), qui eripuit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum Filii dilectionis suæ (4).

TITULUS VI.

De fidei periculis cavendis.

Quod ad corinthios Apostolus, omnibus nostræ provinciæ fidelibus dicimus, atque iterum dicimus nos: *Vigilate, state in fide, viriliter agite et confortamini* (5); quia inveniuntur in populo impii insidiantes, quasi aucupes laqueos ponentes et pedicas ad capiendos homines (6) loquentes perversa, ut aducant discipulos post se (7), totisque viribus et modis machinantur ad evacuandam crucem Christi, ejusque religionem convellendam, adque nullum non movent lapidem ad catholicam fidem amandandam, vel ut saltem illam in hominum corda enervent. Ad nequissimi, cujus hi omnes reguntur spiritu ignea tela extinguenda, forti animo sumite scutum fidei nostræ, origine tam fœcundæ, et ad salutem omnino necessariæ: ne sinatis eam vel vanis derisionibus concuti, vel speciosis verbis vos allici, vel inani scientia seduci, vel pravis exemplis maculari; sed fortes in fide fraudes repellite, audaces in religionem machinationes proterite, vitam, moresque ad fidei normam componite, omni studio laqueos caventes, nam qui eos cavet, securus erit (8); qui vero amat periculum, in illo peribit (9).

§ I.

De libris et ephemeridibus pernicionis.

I. Pastoralis nostri muneris partes explentes, omnes in primis monemus de periculo obveniente ex promiscua librorum et ephemeridum lectione.

II. Magna est hodie legendi cupiditas: ingens quoque librorum et foliorum colluvies. Utinam tantum sancta, recta, honesta, utilia in his docerentur! At dolentes nimium, videmus innumero pene in vulgus diffundi scripta ad fidem labefactandam, bonosque mores currumpendos, præsertim ex quo, contra Ecclesiæ sanctæ leges, proclamatum fuit

(1) Coloss. II, 7. (2) Gal. IV 37. (3) 1. Petr. II, 16. (4) Coloss. I, 3.

(5) 1 Cor. XVI 13. (6) Jerem. V, 26. (7) Act. XX, 30.

(8) Prov. XI, 15. (9) Eccli. III, 27.

jus unicuique inesse libere quidquid libuerit scripto edere. Vix aliud malum tanta producit detrimenta, quam multitudo ephemeridum, libellorum, etiam librorum, qui religioni et societati adversa principia insinuant; quique non tantum per ampliores civitates sparguntur, sed populos, sed pagos invadunt, atque ubique quamplurimis intollerabile est folio seu libro carere, qui utcumque curiositatem satisfaciat, animoque insatiabili nova quotidie incitamenta afferat.

III. Hinc multorum fides naufragium patitur: hinc quosdam inficiunt principia omni ordini adversa, quosdam universalis erga res divinas tarditas, immo tædium occupatos tenet; hinc sensuum irritamenta non paucos captivos efficiunt; hinc complures secum ipsis et cum aliis incontentum animum contrahunt, quia videlicet cogitant ac sentiunt quemadmodum suos antesignanos, illorum quippe librorum seu ephemeridum scriptores, quos ut oracula audiunt, cogitare ac sentire advertunt. Verendum itaque est, ne in illis, qui ejusmodi libros aut folia assidua terunt manu, fides, si nondum occubuit, ægrum modo trahat spiritum; cum fieri nequeat ut ii, qui matri Ecclesiæ sincere addictus est, æquo animo eam, ejusque doctrinam ac ministros calumniis audiat proscindi.

IV. «Qui capitali odio ab Ecclesia dissident, scriptis editis decertare, iisque tamquam aptissimis ad nocendum armis, uti consueverunt. Hinc teterrima librorum colluvies, hinc turbulentæ et iniquæ ephemerides, quarum vesanos impetus nec leges frænant, nec verecundia continet... Hujus igitur tanti mali, quod serpit, quotidie latius, sedulo prohibenda vis est: nimirum oportet severe et graviter adducere multitudinem, ut intento animo sibi caveat, et prudentem in legendo delectum religiosissime servare velit (1).» Hunc in finem filios suos præmunire cupiens sancta mater Ecclesia, quæ fidei segura custos est, atque vitæ æternæ infallibilis magistra, perversos libros digito monstrat, ad instar vigilantium parentum, qui venenosas plantas procul e manibus filiorum suorum ereptas projiciunt. Ea quippe fuit vel ad Apostolorum ætate disciplina (2) cui apprime concordant leges in Lateranensi Concilio IV eam in rem latæ, necnon Constitutio deinceps a Leone X edita (3) et a Tridentinis Patribus innovata (4) insuper et Encyclica Clementis XIII, de noxiorum librorum proscriptione (5) quæ omnia expresse et luculenter confirmavit Gregorius XVI (6).

(1) Leo XIII, Encycl. *Etsi nos* ad Episcop. Italiæ 15 Februarii 1882.

(2) Act. XIX, 18. (3) Conc. Later. IV, sess. X.

(4) Ses. XVIII. De libror. delectu et XXV, De indice libror.

(5) Constit. Christianæ 25 Noveb. 1766. (6) Encycl. *Mirari vos* 15 Aug. 1832.

V. Quidquid ergo lege civili nunc aut postea sanciatum circa illimitatam libertatem et licentiam scribendi, et in vulgus scripta spargendi, nemini diffiteri licet pastoribus Ecclesiæ, quibus docendi munus a Christo creditum est (1) jus competere censuram exercendi in quæstionibus religiosis; ideoque etiamsi per Episcoporum auctoritatem hoc scandalum penitus tolli nequeat, saltem juris et muneris ipsorum est, illud fidelibus denuntiare, omni ope adlaborare, ut exitiosi illius pestis effectus quam maxime impediatur, et ecclesiasticas leges omnibus intimare.

VI. Quapropter Conciliorum et summorum Pontificum vestigiis inhærentes, prohibemus omnes libros quovis sermonis genere ac idiomate compositos, qui contra doctrinam catholicam, bonosque mores manifeste scripti sunt, eos maxime qui a Sancta Sede vel ab Ordinario jam damnati et prohibiti fuerint.

VII. Quum autem miserrimis hisce temporibus non tam voluminibus aliquo, etiamsi ementitæ, scientiæ apparatus elaboratis venenum insinuari, quam et pravis, qui exiguo pretio veneunt, libellis, et per folia, diaria, et per publicas vel clandestinas ephemerides ad hoc confectas, ut virus erroris, corruptionis et calumniæ facilius omnium hominum classem, et incautam præsertim juventutem pervadere possit, ea omnia eidem prohibitioni subjecta declaramus. Unde fideles nostros monemus, ac pro Deo et propter Deum obtestamur ne illa legant, aut, quod summam peccato gravitatem adderet, propria sustentent pecunia.

VIII. Non pauci enim sunt catholici qui hoc malum faciunt, minime cogitantes se, sive curiositate legendi illecti, sive ex humanis considerationibus, fautores et cooperatores esse inimicorum Christi et Ecclesiæ, pecunia sua folia prohibita vel damnatione digna sustentantes. Cogitent, et resipiscant.

IX. Nec in his solum inferioris ponderis scriptis, nec in philosophicis tantum elucubrationibus, noxii reperiuntur errores; unde monitos etiam volumus fideles nostros, quosdam nostro tempore historicarum scriptores, frequenter falsis narrationibus rerum veritatem pervertere, aut dolosis et iniquis judiciis homines deformare. Istis solemne est, vel summos Pontifices, vel sanctos, aut alios pietate conspicuos et veneratione dignos viros probris lacescere, malos autem, vel infensissimos Ecclesiæ hostes laudibus extollere, et benigno semper favore prosequi. Hos ergo, etsi expresse prohibiti non fuerint, nec legere sine magna cautela prudens est, nec laudare decorum.

(1) Matth. XXVIII, 20.

X. Qui, lucri consequendi gratia, libris vel foliis hæreticis, per-versis, calumniosis, aut lascivia refertis scribendis vel diffundendis dant operam, videant an justum sit, aliorum fidem, honorem, et bonos mores quæstui habere, et ex animarum ruina res domesticas augere, atque inexorabile timeant judicium Domini dicentis: *Ve homini illi per quem scandalum venit* (1).

XI. Nemini absque facultate, justa et rationabili de causa petita et legitime obtenta, licet eos perlegere vel retinere libros qui ab Apostolica Sede, vel ab Episcopo damnati et reprobati fuerunt. Ut proscripsi vero et damnati habendi sunt etiam ii libri aut folia quæ propter legentis scandalum, ac subversionis, errorisque periculum a jure ipso naturali ac divino prohibentur, uti profecto sunt omnes de obscœnis, vel contra religionem et bonos mores ex professo tractantes.

XII. Si quis scripta quomodocumque publicata, quæ ad fidem labefactandam, vel prava desideria excitanda, comparata sint, absque legitima causa legat, peccatum amare, et odio habere animam suam deprehenditur; cum scriptum sit: qui tetigerit picem inquinabitur ab ea (2), qui spernit modica, paulatim decidet (3), et qui amat periculum in illo peribit (4). Si autem de ejusmodi scriptorum pravitate Sedis Apostolicæ vel Episcopi judicio ac sententia admonitus ab eorum lectione non absteineat, sed Ecclesiæ prohibitionem temere transgrediatur, nullus ei prorsus excusationi locus superest, sed mortalis culpæ reatum incurrit, et excommunicationis pœnam Romano Pontifici specialiter reservatam, si agatur de libris apostatarum et hæreticorum hæresim propugnantium, vel cujusvis auctoris per Apostolicas litteras nominatim prohibitis (5).

XIII. Sciant fideles, qui libros vetitos habent, licet sint de illis qui prohibiti sunt *donec expurgentur*, se, juxta Pontificias Constitutiones, teneri sub obedientiæ præcepto quamprimum Episcopo illos tradere sive per se, sive per parochos vel confessarios. Qui renunt id facere, vel saltem eos tradere habenti licentiam illos retinendi, in easdem incurrunt pœnas, et absolvi nequeunt in confessione sacramentali.

XIV. Admonemus in Domino confessarios, quibus facta sit potestas eos a peccato et censura absolvendi qui prohibitos libros typis mandare, aut publicare, aut aliis commodatum dare, aut retinere et legere non erubescunt, ne in absolutionis beneficio impertiendo faciliores se præbeant, nisi Ecclesiæ mandatis transgressores statim obtemperent.

(1) Matth. XVIII, 7. (2) Eccli. XIII, 1.

(3) Id. XIX, 1. (4) Id. III, 27.

(5) Constit. *Apostolicæ Sedis* n. 2,

XV. Ii etiam, quibus licentia largita fuerit prohibitos libros retinendi et legendi summa cautela se gerant, non nisi ex necessitate, vel saltem ex evidenti utilitate, numquam vero curiositate tantum permoti illos legant, ne in laqueum diaboli incidant. Diligenter illos custodiant, ne facile ad aliorum manus perveniant, et ex propria incuria occasionem scandali præbeant aliis, qui curiosius inquirentes a fide vel honestate fortasse decident.

XVI. Ne ignorantiam quis valeat allegare, et ut scripta sive hæretica, sive pietati ac morum honestati adversa facilius dignoscantur, librorum prohibitorum catalogus seu index summorum Pontificum cura confectus omnibus proponitur, et ad ejusdem frontem regulæ, ut facile sciatur, qui libri etsi non expresse in catalogo descripti, uti prohibiti censi debeant. Hunc indicem parochi et confessarii in promptu habeant. Episcopi vero eundem in finem per diocesanæ Ephemerides, vel ad calcem kalendarii quotannis conficiendi, notos clero faciant libros noviter ab Apostolica Sede vel ab ipsis prohibitos.

XVII. «Eousque progressa est iniquitas, ut præter colluviem perniciosorum librorum religioni per se infestam, in religionis detrimentum vertere nitantur (hæretici et impii) etiam sacras litteras ad religionis ipsius ædificationem divinitus nobis datas (1).» Quum igitur fieri constet, ut per versiones sacrorum Bibliorum in vernacula lingua, ipsi veritatis fontes, hominum temeritate vel inscitia, in erroris occasionem sæpe pervertantur, Ecclesia Catholica, cujus est depositum fidei in verbo Dei custodire, et judicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sacrarum (2) et cui unice debemus integram Bibliorum conservationem, earum versionum impressionem ac lectionem indiscriminatim non permittit. Monemus ergo, et a parochis et confessariis moneantur fideles, tamquam omnino prohibitas habendas esse versiones ab hæreticis factas, quæ hodie ubique disseminantur, et ultro offeruntur. Doceantur præterea, et alias omnes prohiberi quæ legitima ecclesiastica approbatione careant. Eas tantum legere et retinere licet, quæ ab Apostolica Sede approbatæ fuerunt, vel cum adnotationibus desumptis ex Sanctis Ecclesiæ Patribus, aliisque doctis atque catholicis viris, approbante Ordinario, editæ. Abunde quidem suppetunt versiones istæ, legitima auctoritate approbatæ, ac sapientissimis ditatæ adnotationibus: tamen cum neque obvius plane esse possit illarum, in nonnullis saltem, intellectus, iis qui in rerum sacrarum studio versati non sunt (3), consulendum est fidelibus, ut pro illis legendis, retinendisque a parochis seu confessariis consilium expostulent.

(1) Leo XII, Const. *Ubi primum* 5 Mai 1824. (2) Conc. Trid. sess. IV.

(3) Gregor. XVI. *Encycl. Inter præcipuas* 6 Mai. 1844.

XVIII. Ingemiscendum etiam summopere est, gravissima nunc temporis pericula pietati et morum honestati structa esse quibusdam artium productis, præsertim turpibus imaginibus et obscœnis schematibus, quæ per urbes et oppida, vicosque ipsos sparguntur, palamque exponuntur. Omnia ergo quæ de libris ac libellis et foliis dicta sunt, eadem potiori ratione de imaginibus intelligi debent, sive pictis, sive alio quocumque modo confectis, quæ aut turpia facta repræsentant, aut sacras personas et religionis mysteria ludibrio objiciunt, quæque graviorem ut plurimum perniciem afferunt, quam ipsi libri.

XIX. Maxima itaque vigilantia utantur parochi et confessarii erga parochianos et pœnitentes; patres familias et magistri erga filios et alumnos; domini erga famulos, ut in eorum manibus numquam inveniuntur hujusmodi imagines, libri aut scripta quælibet perniciose vel suspecta. Vigilantissimam pastores animarum curam gerant admonendo, increpando, nullique labori parcendo, ut a populo christiano, et in primis a juventute, pestifera hujus furfuris opera arceantur. Adversus ejusmodi operum auctores et diffusores gladio spiritus, quod est verbum Dei, christiana fides ac pietas similiter propugnanda est, et quo studiosius inimicus homo seminat zizania, eo solertius servi Patris familias vigilare debent, ac divini eloquii semen spargendum est, ut errori veritas, improbitati honestas, impietati pietas opponatur.

§ II.

De conversatione fidelium cum alienis a fide.

Aliud pergrave periculum exoritur ex commercio cum acatholicis, vel cum iis qui nomine tantum catholici sunt. Hoc præcipue timendum est, eo quod, mœrentibus ac ægre ferentibus Episcopis cum fideli populo, expoliata fuit Hispania nostra maximo bono unitatis religiosæ, quæ per tot sæcula, plaudente Ecclesia, et aliis invidentibus nationibus, illius singulare privilegium et stemma fuerat, atque licentia elargita est errorum doctrinas palam profitendi, et hæreticorum sectas in catholica per antonomasiam gente introducendi. Gementes cum propheta, levamus oculos nostros in cœlum unde auxilium nobis tantum venturum speramus, et non possumus, quin clamemus: «Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus!» (1). Cecidit corona de capite nostro: Væ nobis, quia peccavimus; propterea mœstum factum est cor nostrum: ideo contenebrati sunt oculi nostri. Intuere, Domine, et respice opprobrium nostrum, innova dies nostros sicut a principio (2).

(1) Thren. IV, 1. (2) Id. V, 1, 16, 21.

I. Etsi per misericordiam Dei paucissimis in locis provinciæ nostræ damnatæ protestantium sectæ stabili modo constitui potuerunt, et faxit Deus ut numquam possint, et ut evanescant omnino: disseminantur tamen doctrinæ quæ pedetentim religiosam populorum conscientiam corrumpunt, morumque contaminant honestatem, uti sunt perniciosi indifferentismi, naturalismi, materialismi et spiritismi systemata, atque huc illuc unus vel alter protestantismi fautor rete spandit ad capiendos incautos, vel jam seductos in hæresi retinere adlaborat. Ut ergo quantum in nobis est, pro debito muneris nostri fidelium pastoralis nostræ curæ concreditorum pedes de laqueo evellamus qui ipsis paratus est, eos paterna voce monemus, illud Pauli ad Titum in memoriam revocando: *Hæreticum hominem post unam et secundam monitionem evita* (1).

II. Tristissima sane experientia evincitur frequentiori ac intimiori commercio cum ejusmodi hominibus, fidei vigorem sensim debilitari, nisi cum peculiari divinæ gratiæ auxilio sustentetur, tum quia continuata conversatio animos et corda facile nectat, tum quia humana imbecillitas eo vehementius errore allicitur, quo magis perversis inclinationibus blanditur. Eapropter Ecclesia quæ sine intermissione preces ad Deum fundit, ut adveniat regnum ejus (2), et juxta divini sui Sponsi promissionem, in toto orbe terrarum quam primum et in perpetuum fiat unum ovile et unus pastor (3); quæque uti amantissima omnium mater, filiis suis continuo commendat, ut, in omnibus sese præbentes exemplum bonorum operum (4), caritatis officia constanter adimpleant non tantum erga domesticos fidei, sed etiam erga eos qui thesauro carent catholicæ veritatis, vel a recto tramite desciverunt, non minus materna sollicitudine ac vigilantissimo studio, a filiis suis amovere conatur omnia quæ prætiosum fidei donum in discrimine adducere possint, eisque præcipit ut a periculoso alienorum consortio caveant.

III. Sciant ergo fideles nostri nullo pacto ipsis licere actus religiosos, quibus cum hæreticis fidei participatio seu communio in sacris habetur, atque omnino prohibitum esse in illorum cœtibus concionibus interesse, aut eorum cultui quasi simul cum ipsis agendo assistere.

IV. Qui hoc faciunt hæreticis credentes sicut et eorum receptores, fautores, et generatim quilibet eorum defensores excommunicationi latæ sententiæ subjiciuntur Romano Pontifici; speciali modo reservatæ (5).

(1) Tit. III, 10. (2) Matth. VI, 10. (3) Joann. X, 16. (4) Tit. II, 7.

(5) Const. Apostolicæ Sedis, n. 1.



V. Invigilent parochi, ne qui viri in suis parœciis exurgant, qui in cathedra pestilentiae sedentes, loquantur perversa contra catholicam fidem ut abducant discipulos post se (1), et proselitismum exercent. Si quem ex his seductoribus advenire vel exurgere deprehenderit, quam primum ad suum quisque Episcopum deferat, ut huic tanto scandalo totis viribus occurrant, ne forte venenum latius diffundatur. Nec sibi interea desint parochi ipsi, cæterique sacerdotes; sed conatus conatibus opponant, depellant hæreses, arguant, obsecrent, increpent in omni potentia et doctrina (2), firmentque in omnium mentibus veram et salutiferam fidem. Nullus tamen e clero, inconsulto Episcopo, publicam cum hæreticis disputationem instituat.

VI. Si parochus deprehendat aliquem e suis parochianis animo moliri, ut catholicam religionem deserat, prudenter simul et permanenter de errore suo et de apostasiae scelere eum edoceat: admoneat præcipue propinquos qui in Dei timore vitam ducunt, inquiret de prava causa, quæ ipsum ad defectionem allicit, eamque amovere studeat; Episcopum certiores faciat; oret tandem, curetque ut etiam pii fideles preces fundant, ne tantum scelus adveniat, pereatque illius seducti anima.

VII. Ex misera hujus ætatis conditione multis in locis dura catholicis subest necessitas cum excommunicatis conversandi, et familiariter agendi. Sciant ergo oportet, quod, quamvis ex veteri Ecclesiae disciplina omnem cum ipsis participationem et communionem fuisse prohibitam; ex Concilii Constantiensis canone a Martino V approbato, ea tantummodo communicatio et participatio vetatur cum excommunicatis, qui nominatim et expressa denuntiatione ab Ecclesiae catholicae sinu per legitimam praelatorum auctoritatem dejecti fuerint. Sciant pariter excommunicationem Romano Pontifici reservatam incurrere communicantes cum excommunicato nominatim a Papa in crimine criminoso, ei scilicet impendendo auxilium et favorem (3).

VIII. Verum non solum a religiosa cum hæreticis communionem sine mora expedire se debent fideles, sed a privatis quoque amicorum consortiis, in quibus intellexerint res fidei stulte ac malignanter tractari, vel sanctitati morum præjudicium afferri. Et non tantum fugiantur qui ejusmodi sunt extra Ecclesiam, sed omnes omnino quicumque, etiamsi nostri sint, catholicorum tamen cognomine indigni se reddunt, perfide blasphemantes quod intelligere nolunt: «Denuntiamus vobis, fratres, in nomine Domini nostri Jesu Christi, scribebat Apostolus, ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate, et

(1) Acta XX, 30. (2) 2 Tim. IV, 2. (3) Const. Apostolicæ Sedis, n. 16.

non secundum traditionem quam acceperunt a nobis (1).» Hos oportet redargui, et saltem per aversionem audientium doceri quantopere inhonorent Deum, et fideles scandalicent. Ac si aliquando similia audire contingat, et opportunità sit corrigendi, meminerint Sancti Augustini præclara verba: «consentientes ne sitis malis, ut approbetis; neque negligentes, ut non arguatis; neque superbientes, ut insultantes arguatis (2).»

IX. Curam maxime gerant patres familias, ne suos famulari patiantur apud talem herum, qui fidem vel mores adoritur, aut religionis cultum, vel etiam præceptorum Ecclesiæ observantiam impedit.

X. Omnes denique hortamur, ut stantes in fide fortes et robusti, mansuetudinem, benevolentiam, christianam caritatem, et urbanitatem simul exercent erga omnes, speciatim erga illos qui ignorant et errant. Errores reprobent, homines diligant, ita ut incolumitate fidei caritatem servantes, precibus, moribus et beneficiis subsequantur peculiarem, nostris temporibus, gratiæ Dei operationem, qua movente, tot errantes, ad gremium sanctæ Matris Ecclesiæ redeunt, tot lapsi in meliorem frugem veniunt, et multo plures venire speramus.

§ III.

De scholis acatholicis et laicis.

Tertium gravissimumque periculum denunciare oportet, quot in modernis scholis, tam elementaribus quam superioribus plerumque invenitur. Proverbium est: Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea. (3) Hoc probe noscentes inimici crucis Christi, pravarum doctrinarum fautores et propagatores, mundum ad religionis contemptum efformaturi, «nihil intentatum, nihilque inespertum relinquunt, ut omnem Ecclesiæ potestatem, ejusque salutarem vim, quam ipsa ecclesia ex divina sua institutione exercere debet, vel magis in diem coarcent, vel ab eisdem institutis arceant, et ipsa instituta pleno civilis politicæque auctoritatis arbitrio subjiciant, ad imperantium placita et ad volubilem ætatis opinionum rationem.

Propterea consilia conatusque arcendi a popularibus scholis Ecclesiæ potestatem proficiscuntur ex animo eidem Ecclesiæ summo-pere adverso, atque ex studio extinguendi in populis divinum sanctissimæ fidei nostræ lumen (4).»

Hoc est asseclarum liberalismi opus qui Ecclesiam despoliaverunt scholis, ab ipsa, vel sub ipsius auspiciis fundatis, ac præcipue Masso-

(1) II. Thesal, III, 6. (2) De verb. Dom. Serm. 18. (3) Prov. XXII, 6.

(4) Pius IX. Epist. *Quam non sine* ad Episc. Friburg. 14 Jul. 1864.

num sectæ, «ex quo inferendo sese per audaciam et dolos in omnes
»reipublicæ ordines, tantum jam posse cœpit, ut prope dominari in ci-
»vitatibus videatur.» «Et sane disciplina morum quæ Massonum fami-
»liæ probatur unice, qua informare adolescentem ætatem contendunt
»oportere, ea est, quam et *civicam* nominant et *solutam ac liberam*;
»scilicet, in qua opinio nulla sit religionis inclusa. At vero quam inops
»illa sit, quam infirmitatis et ad omnem auram cupiditatum mobilis,
»satis ostenditur ex iis qui partim jam apparent, pœnitendis fructibus.
»Ubi enim regnare illa liberius cœpit, demota loco institutione chris-
»tiana, ibi celeriter deperire probri integrique mores, opinionum tetra
»portenta convalescere, plenoque gradu audacia ascendere maleficio-
»rum. Quod quidem vulgo conqueruntur et deplorant: idemque non
»pauci ex iis, qui minime vellent, perspicua veritate compulsi haud
»raro testantur» (1).

I. Studio igitur sacrosanctam religionem nostram incolumem ser-
vandi, atque Ecclesiæ jura tuendi in filiorum suorum recta institutio-
ne procuranda flagrant, rejicimus ac reprobam declaramus a Pio
Papa IX doctrinam dicentem, «totum scholarum publicarum regimen,
in quibus juvenus christiana instituitur, posse ac debere attribui
auctoritati civili, alia quacumque exclusa;» atque optimam societatis
civilis rationem postulare, ut tam populares scholæ, quam publica in-
stituta eximantur ab omni Ecclesiæ auctoritate; nec non et in primis
propositionem quæ asserit «catholicis viris probari potest ea juvenu-
tis instituendæ ratio quæ sit a catholica fide et ab Ecclesiæ potestate
sejuncta, quæque rerum dumtaxat naturalium scientiarum ac ter-
renarum socialis vitæ fines tantummodo, vel saltem primario spec-
tet» (2).

II. His innixi principiis damnamus et reprobamus omnino scholas,
sive protestantes, sive *liberas*, seu *laicas*, fidelibus ob oculos ponen-
tes, canonicas pœnas adversus fautores et cooperatores disseminan-
dæ hæresis inflictas incurrere omnes qui directe vel indirecte, opera
vel pecunia, vel favore nefandum opus adjuvant, inter quos habendi
sunt qui proprias ædes concedunt vel locant, aut alienas conducunt
ad prædictas atheismi, seu hæresis scholas stabiliendas. «Eo magis
magisque rei fiunt enormissimi peccati patres et matres, qui, vere
crudeles in animas filiorum suorum, eosdem mittunt ad scholas pro-
testantium; et etiam deterius si illos ire cogant. Res evidens est, pa-
rentes hujusmodi esse in illorum crimine reprobandos et detestandos
et omnibus modis possibilibus eorum emendationem curandum esse,

(1) Leo XIII, Encycl. *Humanum genus*.

(2) Syllab. Prop. XLV. XLVII. XLVIII.

et interdum tenendos esse longe a Sacramentis, utpote incapaces, et indigni, donec filios suos revocaverint ab ejusmodi scholis» (1).

III. Parochi crebro inculcent parentibus, tam in publicis sermonibus, quam privatis colloquiis, ne proles ad has scholas non catholicas mittant; non enim licet cum periculo æternæ salutis, sive litteras, sive artes, sive alia emolumenta temporalia quærere. Memores sint sibi ex proprii officii conditione demandatum esse, ut puerorum institutioni solertissime invigilent. Ubicumque igitur deprehenderit scholas institui, in quibus juvenus exponitur damno circa fidem aut bonos mores, non omittant parentes monere, ne ipsi alienæ negligentiae affines esse videantur.

IV. Lamentamur, eam detestantes, perniciosam parentibus necessitatem, qua odie fere compelluntur filios suos ad Instituta et Universitates allegare, ubi una cum litteris et humanis scientiis noxias de religione et societate doctrinas pleno ore hauriunt; atque quantum nobis est, detrimenta inde provenientia vel adimere, vel minuere cupientes, in eorum memoriam revocamus ipsis Deo de prole severissimam rationem reddendam esse; nam eorum studiis et curis Deus sanctissime commisit in filiis sartam tectam servare gratiam qua in baptismo filii Dei effecti sunt, ideoque depositum fidei, morum honestatem, vitæque integritatem, quæ nefariorum hominum opera illis in scholis, vel educationis Institutis labefactantur, ubi salutaribus revelatæ doctrinæ disciplinis rejectis, et calumniose reprobatis, per perditas institutiones perniciosissimi errores edocentur, unde christiani mores corrumpuntur, et incauta juvenus summo animarum detrimento a supernaturali assequendo fine amovetur.

V. Fatemur quidem sanctum et religiosum esse filios ad artes et ad scientias erudire, idque natura simul et religio postulant; impium vero arbitramur et dicimus, institutionem magistris omni vento doctrinæ exagitatis committere, institutisque allegare ubi doctrinæ traduntur ab auctoribus Ecclesiæ censuris notatis desumptæ, atque a nonnullis moderatoribus nulla religione commendatis, et fidei catholicæ publice adversantibus. In Domino itaque parentes iterum ac centies exhortamur ac serio monemus, ut filiis ac sibimetipsis consulentes, ab iis scholis et magistris filios retrahant, ne ipsis sint in dedecus et condemnationem.

VI. Auctoritate qua fungimur, moderatoribus omnibus præcipimus, si ulla pietatis ratio, et sacræ religionis nostræ amor tangit, ut ad sanam doctrinam edocendam incumbant removendo semper suis

(1) Instruct. Emi. Card. Vicarii pro Parochis Romæ 1 jul. 1878. cum approhatione Leonis XIII.

ab scholis auctorum libros, quos Ecclesia catholica, autoritate a Christo Domino sibi commissa, reprobat, proscribit et damnat. Quod si onus ac præceptum a religione commissum in tanti ponderis re despectum habere audeant, perniciosissimum in terris exercebunt apotolatum, illius favendo operibus, quem ab initio animarum fuisse homicidam Sacræ Litteræ testantur (1) et se ex illius parte esse ostendent (2). Væ illi qui scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, ait Dominus (3): mihi vindicta, ego retribuam in tempore (4).

§ IV.

De societatibus clandestinis.

Timendus quoque est alter christianæ religionis infensus hostis, de quo jam antea mentionem fecimus, qui blandis fictisque sermonibus loquens, rete expandit gressibus eorum (5) quos amicos, immo servos vult et procurat; secta Massonum, scilicet, qui «latebras commodum quærunt, sumpta sibi literatorum sophorumve persona eruditionis causa sociatorum; habent in lingua cultioris humanitatis studium, tenuioris plebis caritatem; unice velle se meliores res multitudini quærere, et quæ habentur in civili societate commoda cum quamplurimis communicare;» sed «ex certissimis indiciis... erumpit illud, quod est consiliorum suorum ultimum, scilicet evertere funditus omnem eam, quam instituta christiana pepererunt, disciplinam religionis rei que publicæ, novamque ad ingenium suum extruere, ductis e medio *Naturalismo* fundamentis et legibus» (6).

Indubium quidem est, quod in adscriptorum «numero possunt esse, nec pauci, qui quamvis culpa non careant quod sese istiusmodi implicuerint societatibus, tamen nec sint flagitiose factorum per se ipsi participes, et illud ultimum ignorent, quod illæ nituntur adipisci» (7). Ut tamen hi malum sectæ agnoscentes, quam primum huic valedicant, et ad rectum redeant tramitem, et qui in discrimine sunt in laqueum incidendi, longe fugiant, nec insidiis capi se patiantur, « nostrum est, dicere debemus cum Sanctissimo Patre et Domino nostro Leone XIII, indicare periculum, designare adversarios, horumque consiliis atque artibus quantum possumus resistere, ut æternum ne pereant quorum nobis est commissa salus» (8).

I. Notum ergo sit omnibus, gravissimum peccatum admittere qui nomen dat clandestinis societatibus, quæ omnes cum Massonum secta

(1) Joann. VIII, 44. (2) Sap. II, 25. (3) Matth. XVIII, 6. (4) Rom. XII, 19.

(5) Prov. XXIX, 5. (6) Leo XIII, *Encycl. Humanum genus*.

(7) Id. id. (8) Id. id.

cohærent, quæque a Summis Pontificibus multoties reprobatae ac damnatae fuere (1) et novissime a Smo. Domino Leone XIII; qui earum indolem et perniciosissimum finem perlucide demonstravit.

II. Sciant pariter in excommunicationem Romano Pontifici speciali modo reservatam incidere «*nomen dantes sectæ Massonicæ, aut Carbonariæ, aut aliis ejusdem generis sectis, quæ contra Ecclesiam, vel legitimas potestates, seu palam, seu clandestine machinantur, necnon iisdem sectis favorem qualemcumque præstantes; earumve occultos coriphæos ac duces non denuntiantes, donec denuntiaverint*» (2).

III. Sciant etiam nefanda perjuria esse juramenta quæ in ipsis societatibus præstantur, eaque quantumvis prolata, nullo modo obligare, utpote de re illicita, Deoque valde injuriosa.

IV. Parochi, omnesque sacerdotes necnon pii laici Christi fidelibus patefaciant hæc omnia, quot et quam gravia mala religioni, reipublicæ ac saluti animarum ex præfatis societatibus deriventur, illarumque summum injiciant horrorem, quæ ad fidem ac religiosam vitam convellendam tot insidiis utuntur, ut incautus decipiant, totæque in eo sunt, ut juvenes suis diabolicis laqueis irretitos habeant. Hac de causa «non inepte fecerint, si adducant singulos, ut statuam ac recipiant, inscientibus parentibus, aut non auctore vel curione, vel conscientia judice, nulla se umquam societati obligaturos» (3).

§ V.

De superstitionibus et artibus illicitis.

Ætati huic nostræ illud plane contingit, quod cunctis fere superioribus contigisse accepimus, ut a contrariis in contraria feratur, et amissa fide, in superstitionem incidat. Talis est enim hominis conditio, ut aliquo supernaturali commercio carere non possit: ideoque si hac in re a vera et divinitus tradita ratione discesserit, aliam sibi rationem excogitat, et suam sibi religionem effingit; atque hinc infanda illa *Mesmerismi, tabularum rotantium, magnetismi et spiritismi* aliaque ejusdem generis portentia, quæ tot homines fidem Deo ejusque Ecclesiæ negantes, nolentesque intelligere ut bene agant (4), in su-

(1) Clem. XII. Const. *In eminenti* 24 Apr. 1738. Bened. XIV. const. *Providas* 13 Martii 1751. Pius VIII. const. *Ecclesiam a. I, c. 13* Sept. 1821. Leo XII. Const. *Quo graviora* 13 Mart. 1825. Pius VIII. encycl. *Traditi* 21 Majii 1820. Gregor. XVI. encycl. *Mirari* 15 Aug. 1832. Pius IX. encycl. *Qui pluribus* 9 Nov. 1846. alloc. *Multiplikes inter* 25 Sept. 1865. (2) Const. *Apost. Sedis* n. 4.

(3) Leo XIII, Encycl. *Humanum genus*. (4) Prov. XXXV, 4.

perstitutionem deducunt, atque per delusoria vel diabolica præstigia ad insaniam convertunt.

I. Laudabile sane prædicamus scientiarum naturalium studium, sed quum iisdem nonnulli abutantur, caveant fideles, ne nimia et cæca credulitate omnia complectantur. Quod si ea quæ evulgantur, quocumque modo catholicæ fidei adversentur, omnia ut falsa rejicienda sunt; quum Deus tum revelationis, tum legum naturalium auctor sit, neque in illo, qui ipsa veritas est, ulla contradictio haberi possit.

II. Hoc præsertim dicendum est de magnetismo animali, de quo hæc pauca sufficiat transcribere ex epistola Encyclica Sacræ Romanæ Inquisitionis ad omnes Episcopos: « Applicatio principiorum et » mediorum pure phisicorum ad res et effectus vere supernaturales, » ut phisice explicantur, non est nisi deceptio omnino illicita et hæreticalis » (1).

III. Abhorreant fideles, studiis ac vigiliis nostris concrediti, a perniciosissimo spiritismi systemate, quod e paganorum figmentis iterum in lucem evectum, revelationis doctrinas evertere conatur, familiarumque tranquillitati nocet. Hoc reprobamus et proscribimus: omnia enim quæ de ipso prædicantur catholicis dogmatibus adversari cognoscimus; vel enim quæ apparent sunt ementitæ fictiones quibus « dæmones ingerunt se, ut mentes hominum implicent vanitati » vel « dæmon expresse invocatur ad futura (seu occulta) manifestanda, » et in utroque casu ex operatione dæmonum procedit » (2), et quidquid procedit ex societate dæmonum et hominum, superstitiosum est (3), ideoque vitium religioni oppositum (4).

IV. Quoniam vero illorum impietas est coercenda, qui cultum uni Deo debitum quacumque superstitione pervertunt, aut tenebrarum principi tribuunt, illoque expresse vel tacite adjutore utuntur, ut hujusmodi contagionem a nostris Diœcesibus arceamus, ipso facto excommunicatos declaramus, omnes qui cum maledicto dæmone pacta inire non reformidant, quique magicis cujuscumque generis artibus operant navant; Nobisque has censuras reservamus.

V. Explorent præterea Parochi, ne quæ forte præsertim inter rudiores subreptant superstitiosæ opiniones, quæ tunc præcipue habentur dum rei cuiquam major, vel prorsus alia tribuitur virtus, quam sive ex se, sive ex divina institutione adnexam habet, et omnem curam adhibeant, ut superstitiosos ritus, mores et actus, prudenter quidem, sed efficaciter depellant. Prospiciant tamen ne ulli audientium scandalum afferant, dum contra superstitiones verba faciunt, atque

(1) 4 Aug. 1856. (2) S. Thom. 2. 2. quæst. 95 art. 2.

(3) S. Aug. Lib. 2. De Doctr. Christ. cap. 23. (4) Thom. 2. 2. quæst. 92. art. 1.

idcirco numquam distincte exponant quonam modo exerceatur quæque superstitio.

VI. Ne quis vero sacerdos turpis lucri vel ambitionis causa vulgi credulitate abutatur, foveatque superstitionem. Si quem hujusce criminis reum deprehenderit Episcopi, pœnis canonicis proprio arbitrio puniant. Superstitiones enim fidem sæpe moresque corrumpunt, ac insuper causam præbent Ecclesiæ sanctæ hostibus sive eam impugnandi, sive pietatem religionemque in ludibrium vertendi.

VII. Absit quoque ut fideles et eo magis Sacerdotes, qui thesauri Sacrarum Litterarum sunt custodes, earum verba ad scurrilia, vana, fabulosa, aut superstitiosa ausu temerario convertant. Isti omnes verbi Dei violatores, si qui fuerint, juxta Decretum Concilii Tridentini, justis pœnis per Episcopos coerceantur (1).

VIII. Nemo denique audeat falsas revelationes, aut nova miracula, propria auctoritate evulgare, quod parum abest a superstitione, et expresse vetitum est a Concilio Tridentino (2).

TITULUS VII.

De mediis ad fidem tuendam ac fovendam.

Nobis satis haud esse ducimus inimicorum insidias detegere, eorumque machinationes et artes omnibus patefacere, sed depositum ipsius fidei incolume custodientes, eam in populis vividam atque frugiferam in bonis operibus reddere peroptamus, ne vel ignorantia obscuratur, vel tepore languescat; quum ea tantum vera et salutaris sit quæ per charitatem operatur (3).

I. In primis valde oportere censemus de instructione fidei ejusque integritate ac puritate in omnibus scholis, collegiis, institutis, atque universitatibus promovenda vel tuenda sollicite curare, et præcipue ut in ipsis monita præceptaque Smi. Domini nostri Leonis Papæ XIII rite serventur, cum in suis Encyclicis de disciplinis philosophicis, historicis et de liberalibus artibus sapientissime pulchreque disserit. Summus Pontifex, tamquam vigilantissimus pastor Antistites, omnes animarum rectores, ac catholicos magistros, ut in iis disciplinis restaurandis ac fovendis summopere se intentos exhibeant, suadet, monet, ac præcipit. Propterea cum admodum lamentabilem instructionis statum judicemus in multis scholis, ac institutis, seu universitatibus, sicuti de acatholicis et laicis scholis pertractantes diximus,

(1) Conc. Trid. Sess. IV. Decret. de usu Sacror. Libror.

(2) Sess. XXV, decret. De Invocat. Sanctor. (3) Galat. V, 6.

necessitas urget, vel ea meliorandi, vel nova, sed vere et omnino catholica erigendi. Præsules ergo, animarum rectores, et fideles omnes exhortamur ac monemus, ut pro suo posse et juxta media sibi benevisa, sive collective, sive separatim, tum Gubernii auxilio et protectione fruentes, tum propriis et particularibus sumptibus utentes, illarum restaurationem, vel novarum erectionem iterum iterumque intendant; nam sollicitudo nostra, quamvis magna sit et jugis, numquam sufficiens erit, et populi christiani concursus necessitatem, hac in re, non satis ponderabimus ad fidei jura utiliter sustinenda.

II. Opportuna etiam ad hunc christianæ vitæ fructum obtinendum sunt catecheses ad pueros informandos in fide et in sincera pietate, ut dilatato corde et inoffenso pede a primæva ætate viam mandatorum Dei cucurrant, necnon divinæ doctrinæ frequens prædicatio; ita tamen ut non aerem verberet inanibus verbis, sed juxta Pii IX et Smi. Domini Leonis XIII sapientissima monita, dirigatur præcipue ad veritates fidei stabiliendas, clarisque argumentis confirmandas, quantum captus mentis audientium patiat et sinat «Concionatores in »exponendis sanctissimæ religionis mysteriis, in beatissimæ Virgini- »nis et sanctorum laudibus dicendis, non solum virtutes christianas »animis audientium instillare studeant, sed etiam inde arripiant occa- »sionem qua veritates fidei commemorent, explicant, aut ostendant (1). »Deinde assiduitate dicendi hortandique protrahere multitudinem »oportet ad præcepta religionis diligenter addiscenda cujus rei gratia »valde suademus, ut scriptis et concionibus tempestivis elementa re- »rum sanctissimarum explanentur, quibus christiana philosophia con- »tinetur (2). Quum autem ratio divini cultus ex hisce duobus constet, »piis dogmatibus et actionibus bonis, neque doctrina sine operibus »bonis accepta sit Deo, neque opera recipiat Deus a religionis dog- »matibus sejuncta, neque in solo opere virtutum, aut in sola obser- »vantia mandatorum, sed etiam in tramite fidei angusta et ardua sit »via (3),... ea omnia peragite quibus ipsi fideles populi magis in dies sa- »lutaris catholicæ veritatis ac doctrinæ pabulo enutriti, Deum ex toto »corde diligant, ejusque mandata apprime servent, sanctuarium ejus »frequenter ac religiose adeant, sabbata ejus sanctificent, ac sæpe qua »par est veneratione et pietate tum divini sacrificii celebrationi inter- »sint, tum ad sanctissima pœnitentiæ et Eucharistiæ sacramenta ac- »cedant, et singulari devotione sanctissimæ Dei Genitricem immacu- »latam virginem Mariam prosequantur et colant, ac mutuam inter se

(1) Pius IX, Encycl. *Nostis* 8 Dec. 1849.

(2) Leo XIII, Encycl. *Humanum genus*.

(3) S. Cyrill. Hyerosol. catech. IV, illuminand. n. 2.—S. Leo Serm. 5. De nativitat. Dom.

»continuum caritatem habentes, et precibus instantes ambulent digne
»Deo per omnia placentes, et in omni opere bono fructificantes (1).

III. »In hunc finem non parum profecto conferet pias illas conso-
»ciationes moderari et provehere, quæ magno rei catholicæ bono
»nostra maxime hac ætate constituta sunt (2). Constanti enim expe-
»rientia compertum est, mutuis exemplis singulorum animos incendi,
»et multorum in unum collatis viribus et consiliis plura ac majora
»perfici opera bona: frater enim qui a fratre adjuvatur, quasi civitas
»firma» (3). Hac evidenter de causa ad hæc collegia et sodalitia vel
instituenda vel instauranda omnes hortatur Episcopus Smus. in
Christo pater Leo XIII, cujus mandatis et adhortationibus pleno
animi obsequi cupientes, parochos, sacerdotes omnes, zelantesque
laicos monemus, ut in auxilium nobis veniant. Optamus enim, ut ubi-
que instituantur, quæ in aliquibus locis erectæ jam fuere societates
et scholæ operariorum catholicorum, juventutis catholicæ, scholæ
dominicales pro puellis, necnon aliæ pro diebus festis colendis et san-
ctificandis, et pro extirpanda blasphemia.

IV. Singularem modo promovendum statuimus tertium Sancti Fran-
cisci ordinem a Smo. Domino nostro Litteris Apostolicis commenda-
tum uti speciale et aptissimum necessitatibus ætatis nostræ reme-
dium (4); itemque confraternitatem sanctissimi Rosarii ab ipso zelan-
tissimo pastore laudatam ac sæpius inculcatam (5); associationem ma-
trum christianarum sub patrocinio S. Monicæ a Pio IX summopere
commendatam, ad hoc ut piæ matres tot filios deperditos suis preci-
bus et lacrymis in viam salutis reducant, et societatem S. Vincentii a
Paulo, opus eximium a Gregorio XVI primum probatum, laudibus ac
indulgentiarum thesauro a Pio IX auctum, et de quo ita loquitur
amantissimus pater Leo XIII. «Silere hoc loco nolumus illam specta-
»culo, exemploque insignem de populo inferioris ordinis tam præclare
»meritam societatem quæ a Vincentio patre nominatur. Cognitum est
»quid agat, quid velit: scilicet tota in hoc est, ut egentibus et calami-
»tosis suppetias eat ultro, idque sagacitate ac modestia mirabili: quæ
»quo minus videri vult, eo est ad caritatem christianam melior, ad
»miseriarum levamen opportunior» (6).

V. Nec possumus de hoc finem loquendi facere quin omnibus et
summopere commendemos cum eodem Smo. Domino alia prægran-
dia a summis Pontificibus laudata opera catholica *Propagationis Fi-
dei nempe, et Sanctæ Infantia, ac Scholarum Orientalium*. Qui

(1) Pius IX, Encycl. *Singulari quidem* 17 Mart. 1856.

(2) Leo XIII, Encycl. *Inscrutabili* 21 April. 1878.

(3) Prov. XVIII, 19. (4) Encycl. *Auspicato* 17 Sept. 1882.

(5) Encycl. *Supremi Apostolatus* 1 Sept. 1883. (6) Encycl. *Humanum genus*.

per Dei misericordiam inæstimabile fidei donum accepimus et gloriamur in spe filiorum Dei (1), nullimode melius debitas Deo rependere possumus gratiarum actiones, quam hoc ipsum beneficium omnibus hominibus, quantum nobis est, procurantes verbo et opere, oratione scilicet, et eleemosyna. Quis patrem orans vere et ex corde dicit: *sanctificetur nomen tuum, adveniat regnum tuum* (2), si in nullo cooperare vult, ut ad hoc regnum veniant, qui in tenebris sedent, et in umbra mortis? (3). Si quis viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo; quomodo charitas Dei manet in eo? (4). In extrema spirituali necessitate positi sunt tot homines, quibus lumen adhuc non effulsit veritatis: in extrema necessitate parvuli a crudelibus derelicti parentibus: in extrema necessitate qui a Deo vocati, parentes, domum, patriam, omnia relinquentes barbaras pergunt regiones ad evangelizandos populos qui Deum ignorant. Eis igitur subveniamus, nobisque ipsis lucrum pergrande faciamus; «amplissima» profecto merces illum manebit, qui insumpto in sacras missiones »ære vel exiguo, precibusque adjectis, plura simul et varia charitatis »opera, exercet, et quod divinorum omnium divinissimum sancti patres »dixerunt: adiutor fit Dei in salutem proximorum (5).»

TITULUS VIII.

De bonis libris disseminandis.

I. Sicut ex debito pastoralis officii perversos libros et libellos, omni qua pollemus, vi e medio tollere debemus, omnesque fideles hortari, ut eos procul a se et a sua unusquisque domo et familia rejiciat, nihil pariter ex parte nostra prætermittendum est, ut libri salubres, sanæ doctrinæ, et qui vere prosint legentibus propagentur et disseminentur. Hoc tanto majori studio procurandum nobis est, quo magis in diem augentur conatus et prope incredibilis diligentia hæreticorum et sectariorum hominum, qui tempus, ingenium, pecunias et labores eo conferunt, ut detestabiles contra Deum, sanctam Ecclesiam, catholicam fidem, moresque honestos libellos pene infinitos ubique locorum palam vel subdole introducant, ut quod diabolus insidiis suis, artibusque nondum est assecutus, ipsi libellis suis, perficiant, animasque catholicorum, fide deleta, moribusque corruptis, in perpetuum interitum aucupentur. Documento igitur nobis sint hostes ipsi, qua diligentia, quo animi ardore, qua constantia bonum certamen fidei certare

(1) *Encycl. Sancta Dei Civitas*. 3 Dec. 1880. (2) *Luc. XI, 2.* (3) *Id. I, 79.*

(4) *S. Joann. III, 17.* (5) *Leo XIII. Encycl. Sancta Dei Civitas* 3 Dec. 1880.

debeamus (1). Haud multum sane laudis in eo est, ut quod impii homines in causa pessima faciunt, nos in optima faciamus, quemque hi in perdendis animabus impendunt laborem, nos eundem in salvandis impendamus: at eos ne ulla quidem ex parte æmulari, turpissimæ ignaviæ est.

II. Ne ergo de nobis dicatur: «filii hujus sæculi prudentiores filiis lucis sunt in studiis suis (2), omnes tum pietate, tum doctrina præstantes hujus ecclesiasticæ provinciæ viros, ac præsertim sacerdotes obsecramus in Domino, ut contraria contrariis curando, parvæ molis scripta, ab Episcopis antea probata, edant in ædificationem fidei, ac salutarem populi instructionem, ac ut eadem scripta, uti et alii incorruptæ pariter doctrinæ probatæque utilitatis libri ab aliis conscripti, prout locorum aut personarum ratio suggesserit, inter fideles diffundantur (3).

III. Quum vero non desint in Hispania societates et typographi editores, qui evulgationi libellorum sanæ doctrinæ zelantes adlaborant, eosque exiguo prætio dant, ut ab omnibus facile comparari queant, illos magnopere commendamus. Parochi cæterique sacerdotes fideles adhortentur ut libros, opuscula, folia quæ ab illis eduntur, comparare studeant. Eos insuper viros sive clericos, sive laicos, qui facultatibus dotibusque necessariis pollent, in Domino provocamus et invitamus, ut quocumque modo potuerint, sive adjuvando scriptores et editores, sive typographias catholicas stabiliendo, præsertim in civitatibus episcopalibus, sive quotquot possint comparando libellos et folia catholica, illaque distribuendo et disseminando, præcipue inter pueros et ruricolos, in propugnationem fidei et morum honestatis vires, ingenium, pecuniam impendant, scientes magnam sibi benedictionum segetem reservatam habere a Domino dicente: *qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates* (4).

IV. Optandum foret, ut tam fidelium, quam sacerdotum zelus studiaque concurrerent ad erigendas in variis parœciis, maxime oppidorum, bibliothecas ad mutuandos libros, opuscula et ephemerides, unde omnes, absque periculo salutis, legendi cupiditati, quæ omnes ubique invadit, possent fieri satis per scripta vere utilia tum de sacris et religiosis, tum de profanis rebus et ad relaxandos quoque animos, vel gratis, vel exiguo prætio eis tradita. Oporteret saltem in unoquoque ex oppidis aliquem pium designare virum, qui cum catholicis editori- bus relationem instituens, mediator sit inter eos et loci fideles ad præfatos libros et opuscula prompte et commode habenda et diffundenda.

(1) 1. Timoth. VI, 12. (2) Luc. XVI 8.

(3) Pius IX Encycl. *Nostis*. (4) Dan. XII 3.

Eo sane modo implebuntur vota sanctissimi Domini nostri Leonis Papæ XIII feliciter regnantis, cum ad Episcopos Lusitaniæ eisdem in adjunctis versantes nuperrime scribat ac pie animadvertat: *Plurimum juverit, si cura ductuque vestro diaria publicentur, quæ malis venenis undecumque oblati opportune medeantur, suscepto veritatis, religionis patrocinio.*

V. Non minore studio procurandum est in omnibus provinciæ Diocesibus, prout fit jam in Salmantina, piam ephemeridem titulo *Hebdomada Catholica*, vel alio simili in lucem prodere, quæ gratis fidelibus distribuatur, in qua utilia et practica quoad fidem, pietatem et honestatem inveniant et legant. Bonum semen seminabitur, quod benedicente Domino fructum afferret uberrimum. Ad hoc sanctum opus perficiendum, charitatem et piam divitum largitatem invocamus eisque dicimus: *Honora Dominum de tua substantia (1) potens est autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis, ut in omnibus semper omnem sufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum (2).*

VI. Ut abundantius lux fidei diffundatur, solliciti sint Christi sacerdotes, ut sive in scholis, sive in catechesis exercitiis, sive in congregationibus quarum cura ad ipsos pertineat libri conspicui, folia religiosa et piæ imagines præmio sint virtuti et scientiæ.

TITULUS IX.

De censura et approbatione librorum.

Fidei iudices, doctrinæ, morumque integritatis magistri, custodes et defensores cum sint Episcopi, quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei (3), certum est omnino ad ipsos de jure pertinere librorum examen ad religionem spectantium, eorumque approbationem, si Ecclesiæ doctrinæ conformes inveniantur, vel illorum reprobationem qui eidem repugnent aut contradicant. Imponderabile enim præmium veritatis catholicæ, et vitæ christianæ sanctimonia poscunt omnino, ut omnis error, vel mendacium aut venenum ab ore et oculis christianorum amoveantur.

Hinc ex constanti Ecclesiæ disciplina jure cautum est (4) ne præfati libri typis demandentur, et ad usus publicos in lucem prodeant, nisi prius ab Episcopis vel eorum delegatis examinati et probati fuerint.

(1) Prov. III, 9. (2) 2. Cor. IX, 8. (3) Act. XX, 28.

(4) Leo X Decr. *Inter sollicitudines*.—Conc. Trid. ses. IV De editione et usu Sacrar. Scriptur.

Ut ergo legitimæ auctoritati debitum præstetur obedientiæ obsequium, ut animarum pastoribus qui solertes in grege dominico vigilias instituunt, cunctorum rem bonam promovere conantium studia pateant, atque superiorum approbatione libri majus pondus coram fidelibus, amplioremque benedictionem pro legentibus a Deo obtineant, ad normam sacrarum canonum sequentia decernimus.

I. Sacræ Scripturæ vulgatæ editionis libros nullus typographus imprimat absque auctoritate proprii Episcopi, cujus est invigilare, ut exemplaris Vaticani forma omnino et fideliter servetur (1).

II. Similiter sub statutis pœnis vetitum est Missale, Rituale, Breviarium, Benedictionale, aliosque quoscumque libros liturgicos typis mandare sine expressa Episcopi licentia, in illorum prodromo inserenda.

III. Catechismi, orationum formulæ, cantica spiritualia, libri ad religiosam in scholis institutionem, omnia in genere quæ ad pietatem pertinent, quocumque nomine vocentur, quamvis speciosos titulos exhibeant, nec imprimantur, nec vendantur nisi prævia Ordinarii licentia in scriptis.

IV. Nullus sive clericus, sive laicus, absque Ordinarii permissu, libellos aut pagellas imprimi faciat, et diffundat, quibus narrentur et commendentur fideli populo nova, insolita et hactenus in Ecclesia incognita, seu non probata pietatis exercitia, aut novæ sodalitates, aut indulgentiæ, quarum authenticitas non canonicè constet, neque in fidem proponat prophetias, visiones, miracula absque sui Episcopi recognitione et approbatione.

V. Clerici omnes religiose observent quæ a sacris conciliis sancta sunt, ideoque nemo illorum publici juris faciat librum quemcumque de sacra theologia, divina Scriptura, historia ecclesiastica, jure canonico, theologia naturali vel morali, necnon de philosophia tractantem, antequam a diocesano Antistite, vel si Regularis sit, a legitimo superiori Regulari, si de illis est cui de jure pertinet, licentiam rite obtineat.

VI. Operis sui examen et approbationem petant etiam laici, si de rebus prædictis libros evulgare cupiant, tum ut sese fideles Ecclesiæ filios exhibeant ejus præcepta servantes, tum ut nulla in aliorum piorum animis oriatur suspicio de illorum doctrina, dum in libri prodromo non videant illam examinatum, et a legitimo superiore probatam fuisse.

VII. Solliciti ne qui militant Deo quotidianis opinionum conflictibus, cum sacerdotalis honoris et proprii ministerii detrimento, se im-

(1) Conc. Trid. sess. IV, loc. cit.

plicent, prohibemus ne clerici, absque prævia Episcopi licentia, diarium seu periodicum scriptum suscipiant edendum aut dirigendum, atque hortamur ne quoque in prædictis foliis operam exhibeant, Episcopo inconsulto.

VIII. Ad examinanda scripta, quæ auctores in vulgus emittere cupiant, opportunum est, ut Episcopi adhibeant viros ingenio, prudentia, zelo ac pietate probatos, quorum erit manuscripta ipsis, jubente Episcopo, delata examinare, atque ea cum adnotationibus congruentibus ad eundem remittere. Huic examinerum consilio præscribant Episcopi regulas pro suo munere recte fungendo; nihilque sapientius invenire poterunt, quam quod hac de re a summo Pontifice Benedicto XIV institutum legitur.

IX. Iisdem examineribus committant Ordinarii examen censuramque scriptorum seu librorum, qui jam typis evulgati fuerint, de quorum sententiis in rebus fidei et morum suspicio habeatur, ut ipsi, illas ponderose perpendentes, in scriptis votum referant Episcopo, qui juxta sacros canones judicium suum pronuntiet.

X. Si de foliis, seu levis momenti scriptis agatur, sufficiat licentiam imprimendi apponere cum simplici formula: *potest prælo mandari*, vel alia simili. Si vero agatur de libris majoris momenti, imprimantur in fronte libri examinerum votum et licentia Ordinarii (1), cujus vis ac sensum tantum erit, nihil in libro haberi quod fidei ac doctrinæ catholicæ, vel morum disciplinæ repugnet; minime vero ejusdem *in omnibus* expressa approbatio et commendatio. Judicium tamen et licentia non censeatur definitive tradita, donec liber in integrum typis mandatum fuerit, atque certo constiterit impressum a manuscripto non discrepare.

TITULUS X.

Monita ad scriptores catholicos.

In tanta opinionum hodierna conflictatione, cum omnes de omnibus tam humanis quam divinis disserere non dubitant, laudandi sunt certe scriptores qui recto spiritu ducti, ac sincero veri et boni amore flagrant, omni ope et arte litteras, scientiasque excolunt et prosequuntur, humani ingenii culturam augentes et honestantes; sed illi in primis qui, religionis assertores, dogmata fidei, Ecclesiæ jura ac libertatem, morumque catholicorum sanctitatem vindicare ac tueri conantur. Dividens singulis, prout vult (2), largitor omnium donorum

(1) Conc. Trid. sess. IV. (2) 1. Cor. XII, 11.

Deus, hos elegit, spiritu intelligentiæ replevit (1), deditque eis linguam eruditam, ut possint sustentare eum, qui lassus est, verbo (2), exhortari omnes in doctrina sana, et eos qui contradicunt arguere (3). Felices, si danti eis sapientiam, dant gloriam (4), et requirentes quæ beneplacita sunt ei (5), lucent sicut luminaria in mundo (6), et Ecclesiæ sunt adjutores ad consummationem sanctorum in ædificationem corporis Christi (7).

Hos igitur scriptores catholicos laudantes, rem opportunam et pastoralis sollicitudinis dignam existimamus, monita quædam, vi auctoritatis divinæ nobis traditæ, ac in spiritu charitatis, qua omnes in Christo amplectimur, illis tradere, non quidem ea mente, ut scribendi studium comprimatur, vel recidatur legitima in dubiis opinandi libertas, verum ut via securior pateat, ut scopulos undequaque imminentes declinent, in quos nonnulli, minus caute ambulantes, sæpe sæpius impingunt, atque inde ex eorum scriptis uberiores Ecclesia fructus percipiat. Ad hoc summopere nos allicit adhortatio et exemplum sanctissimi in Christo Patris et Domini Leonis XIII, qui pluries monita catholicis tam librorum quam ephemeridum scriptoribus, per Episcopos dare dignatus est, quæ, «si utiliter in commune bonum elaborare velint, præ oculis habeant et fideliter sequantur oportet» (8).

I. In primis ergo rectissima in scribendo sit intentio, non quærendo quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi, cujus regnum et imperium, laborantes ut boni ipsius milites (9), omnes propugnare tenemur, non quærentes ab hominibus gloriam (10) sed in hoc gaudentes, quod annuntietur Christus (11), et quod omnes intelligant veritatem, et fideles in dilectione acquiescant illi (12).

II. Sciant præterea, ingenii robor aut venustatem minus prodesse quam cordis munditiem et sanam eruditionem. Eapropter se ipsos prius exerceant ad pietatem (13), attendant lectioni et doctrinæ, instent in illis (14), consilia a doctioribus et maturioris scientiæ et ætatis hominibus requirentes; humili in primis oratione ab eo illuminari postulent, qui dat sapientiam sapientibus, et scientiam intelligentibus disciplinam (15) ne forte, a conscientia et fide aberrantes, convertantur in vaniloquium, non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant (16), atque dicentes se esse sapientes, stulti fiant (17).

(1) Eccl. XXXIX, 8. (2) Isai. L, 4. (3) Tit. I, 9. (4) Eccl. LI, 23.

(5) Eccl. II, 19. (6) Philip. II, 15. (7) Ephes. IV, 12.

(8) Epist. ad Episcop. Belgii 3 Aug. 1881. (9) 2, Timoth. II, 3. (10) 1, Thes. II, 6.

(11) Philip. I, 18. (12) Sap. III, 9. (13) 1, Timoth. IV, 7. (14) Id. id. 13.

(15) Dan. II, 21. (16) 1, Timoth. I, 7. (17) Rom. I, 22.

III. Illos ergo qui de rebus fidei et morum tractare voluerint, monemus, ne sanctum hoc et difficile opus aggrediantur, antequam optime instituti *operarii inconfusibiles* (1) esse possint, ne fides ipsa labefactetur et locus detur retractationibus, quæ propter nativam mentis humanæ superbiam semper sunt asperæ, et scriptori eas edituro sæpius periculosæ. Accurate discernant fidem a ratione, opinionem a dogmate. Regulis fidei ita attentæ sint, ut non solum sacrorum dogmatum calleant mentem, sed etiam formam habeant sanorum verborum (2), ideoque semper et in omnibus sequantur doctrinam a Concilii, vel a Romanis Pontificibus definita, vel a sanctis Patribus tradita.

IV. De re philosophica tractaturi, præ oculis habeant rationem non esse fidei adversam, neque fidem rationi: veram philosophiam veramque religionem non esse æmulas, sed concordēs, sibi quæ invicem in indagatōne et demonstratōne veri naturalis opem ferre, lucem præstare, apprime consociari. At ubi ad divina, et ab Ecclesia definita vel probata ventum est, ita ratio partes agat suas, ut divinas non occupet; ut sequatur, non præeat, ut ancilletur, non imperet. Ipsi enim in iis sola obsequii gloria relicta est.

V. In rebus ecclesiasticis meminerint, quibus a Christo commissum sit munus docendi, arguendi et regendi potestas; ne nimiam in rebus religiosi auctoritatem usurpare, et ad Ecclesiæ gubernaculum re ipsa manum admovere videantur, minime cogitantes, in militanti etiam Ecclesia milites haberi et duces, neque ex eo quod quis animo atque ingenio excellat, ei continuo fas esse imperare; sed illis tantum quibus a Christo data est potestas, et promissa usque ad consummationem sæculi assistentia, Episcopis, scilicet, quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei (3). «Eos in suam quemque ditione jus est præese, corrigere, generatimque de iis, quæ e re christiana esse videantur, decernere» (4).

VI. Qui rebus politicis studia sua impendunt, civilis et politicæ potestatis primariam originem, quæ ab ipso Deo societatis auctore est, cum variarum regiminis formarum origine non confundant, neque ita formæ politicæ, cui sunt addicti, religionem adnectant, ut hujus sors ac virtus ab illa omnino pendere videatur. «Igitur oportet rem sacram atque civilem, quæ sunt genere naturaque distincta, etiam opinione iudicioque secernere..... Religionem, et quidquid est singulari quodam vinculo cum religione colligatum, rectum est superioris ordinis esse ducere. Ex quo consequitur, eam, ut est summum

(1) Tim. II, 15. (2) 2, Timoth. I, 13. (3) Act. XX, 28.

(4) Leo XIII, epist. *Cum multa* ad Episc. Hisp. 8 Decembris 1882.

»bonum, in varietate rerum humanarum, atque in ipsis commutationibus civitatum debere integram permanere: omnia enim et temporum et locorum intervalla complectitur» (1).

VII. Si ergo quandoque politicæ quæstiones religionem et spiritualia attingant, tunc pro norma sentiendi et scribendi assumant catholici quod in Ecclesiæ documentis, et in summorum Pontificum constitutionibus sancitum est; præsertim in encyclica Gregorii XVI *Mirari vos* 15 Augusti 1832, et in illa, numquam satis laudanda, Smi. Domini Leonis XIII *Immortali Dei opus* 1 Novembris 1885, sicut et aliis ejusdem ab initio pontificatus sui. Hoc semper præ oculis habentes, ut unitatem fidei propugnent; errores omnes illi oppositos, de quibus superius locuti sumus, omni studio impugnent; Ecclesiæ libertatem ac jura strenue defendant, et pro viribus procurent ut in moribus et in legibus, in familiis, in populis et in nationibus stabiliatur, et magis magisque in dies firmetur imperium Salvatoris nostri Jesu Christi, cui a Deo Patre data est omnis potestas in cœlo et in terra (2) ad salvandas omnes gentes, qui est rex regum et Dominus dominantium, et cui dictum est per prophetam: *Regnum tuum, regnum omnium sæculorum, et dominatio tua in omni generatione et generationem* (3).

VIII. Si vero scribant de rebus ad regimen Ecclesiæ, vel ad agendi rationem Episcoporum erga civiles potestates spectantibus, attendant summopere ne de summi Pontificis vel Ecclesiæ Antistitum sensu temere præjudicent, multoque magis ne iis agendi rationem præscribere, aut eos quæ sint muneris sui partes docere quodammodo videantur. «Si enim cum libri in lucem typis editi, tum ephemerides» Episcopis executionem sui muneris difficiliorem forte reddunt; si reverentiam atque obedientiam, quæ ipsis debetur, exinde minui contingant, si Hierarchici Ordinis in Ecclesia divinitus constituti læsio fiat ac perturbatio; quum laicis, eorum doctrinam atque agendi rationem, qui vere magistri sunt atque pastores, judicandi jus sibi arroganter usurpantibus, hujusmodi ephemeridum opera non modo ad bonum quodvis obtinendum sterilis, sed multis etiam de causis maxime perniciose evaderet» (4).

IX. «Munus quod ad ipsos scriptores (præsertim ephemeridum) spectat, in iis omnibus quæ religionis intersunt, quæque Ecclesiæ in societate humana actionem attingunt, hoc est, suis Episcopis, Romanoque Pontifici, sicut et cæteri fideles omnes, mente et voluntate plene subesse, eorum documenta sequi et publicare, impulsum plena

(1) Leo XIII, epist. ad Episcop. Hispan. (2) Matth. XXVIII, 18.

(3) Ps. CXLIV, 13. (4) Leo XIII epist. ad Nunt. Parisien. 4 Nov. 1884.

»animi submissione obsecundare, præceptionesque vereri et verendas curare. Qui secus ageret, ut quorum in hac epistola spiritum atque intentionesque reprobavimus, studiis commodisque inserviret, »nobili quam suscepit missioni deficeret, atque ita agens, Ecclesiae »bonum se prosequi causamque juvare frustra gloriaretur, non aliter »quam qui catholicam veritatem attenuare, vel dimidiare niteretur, »aut vero nimis timidum se ei amicum exhiberet» (1).

X. Experientia quotidiana compertum est, concertationes non solum de religione, sed etiam de scientiis, de historia ac præcipue de politica in æstuosas et contumeliosas disceptationes sæpissime inclinare; unde, ut optime ait S. Franciscus Salesius, *plus læditur charitas, quam illustratur veritas*. Summo igitur studio vitetur hæc disserendi ratio, quæ omnino aliena est a spiritu defensorum veritatis, quos dedecet esse contentiosos, imo et discipulorum Christi, qui non est dissensionis Deus, sed pacis (2). Opportunum itaque censemus in memoriam omnium revocare verba Benedicti XIV; «Cohibeatur »scriptorum licentia, qui, ut ajebat Augustinus, sententiam suam »amantes, non quia vera est, sed quia sua est (3), aliorum opiniones »non modo improbant, sed illiberaliter etiam notant atque traducunt. »Non feratur omnino privatas sententias, veluti certa ac definita Ecclesiae dogmata a quopiam in libris obtrudi, opposita vero errores »insimulari; quo turbæ in Ecclesia excitantur, dissidia inter doctores »aut feruntur aut foventur, et christianæ charitatis vincula persæpe »abrumpuntur» (4). Hæc sapientissimi Pontificis verba comemmorans Smus. D. Leo XIII ait: «Plena sapientiæ ac gravitatis præcepta doctis »tradidit..... imo etiam exemplar ad imitandum proposuit sanctum »Thomam Aquinatem, qui pacato semper stilo et gravi dicendi forma »utitur, non solum cum docet, veritatemque argumentis communit, »sed etiam cum adversarios urget et insectatur. Placet nobis hæc »eadem Decessoris nostri præcepta iterum sapientibus commendare, »idemque exemplar exhibere» (5). «Pulchrum est, eos qui catholicum »nomen scriptis quotidianis defendunt, præ se ferre amorem veritatis »constantem, minimeque timidum; sed simul oportet nihil eosdem suscipere, quod bono cuiquam viro jure displicet, neque ulla ratione »temperantiam deserere, quæ cunctarum comes debet esse virtutum. »In quo nemo sapiens probaverit, aut stilum vehementem plusquam »satis est, aut quidquam vel suspiciose dictum, vel quod temere a »personarum obsequio indulgentiaque discedere videatur» (6).

(1) Leo XIII epist. *Litteræ tuæ* ad Card. Archiep. Paris. 17 Jun. 1885.

(2) 1. Cor. XIV, 33. (3) Confess. lib. XII, cap. 25.

(4) Const. *Sollicita* 9 Jul. 1753. (5) Leo XIII ep. ad Episc. Belgii.

(6) Leo XIII epist. ad Episc. Prov. Taurin. etc. 25 Januarii 1882.

XI. Charitatem ergo in omnibus sectentur ii qui christiana mente scribere, imo et disceptare volunt; non quidem pavidam illam falsamque charitatem, quæ, ut hominibus placeat, Deo displicet, fovet errores, veritatem erubescit, sed eam quæ *veritatem simul et pacem diligens*, omnia pro veritate, omnia pro justitia, omnia pro Ecclesia et pro fratrum salute tolerare et libenter subire novit; quæ etiam *sine superbia de veritate* præsumens, *sine sævitia pro veritate* certans, errantes *sanare*, potius vult, quam oppugnare (1); quæ tandem quantum fieri potest cum omnibus hominibus pacem habet, quod ut assequatur de incertis non judicat, incognita non confirmat, proclivior est ad bene credendum de homine, quam ad male suspicandum, non se multum dolet errare, cum bene credit de malo, perniciose autem, cum male sentit forte de bono (2).

(1) S. Aug. de moribus Eccles. Catholic. lib. 1. n. 2 c. litt. Petill. lib. 1. cap. 29.

(2) S. Aug. id. in Ps. CXLVII n. 16.





PARS SECUNDA.

DE ECCLESIA EJUSQUE HIERARCHIA ET REGIMINE.

TITULUS I.

De Ecclesia Christi.

UMMORTALE Dei opus est Ecclesia Catholica, quam Christus Dei Filius, cui data est omnis potestas in cœlo et in terra (1), ædificaturum se dixit supra firmam petram, et adversus quam portæ inferi numquam prævalebunt (2).

I. Propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos Deus (3), qui vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire (4), cum essemus mortui peccatis (5), ideoque adoptione expoliati in Adamo, per quem peccatum in hunc mundum intravit, in quo omnes peccaverunt (6), misit filium suum factum ex muliere, ut eos qui sub lege erant redimeret, et adoptionem filiorum reciperemus (7), notum sic faciens sacramentum voluntatis suæ, secundum beneplacitum ejus, quod proposuit in ipso, in dispensatione plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo (8), qui est novissimus Adam factus in spiritum vivificantem (9), per quem maxima et pretiosa nobis donavit (10), ut simus initium aliquod creaturæ ejus (11), filii Dei, et hæredes (12), divinæ consortes naturæ (13).

(1) Matth. XXVIII, 18. (2) Id. XVI, 18. (3) Ephes. II, 4. (4) I, Tim. I, 4.

(5) Ephes. II, 5. (6) Rom. V, 12. (7) Gal. IV, 5. (8) Ephes. I, 9, 10. (9) I, Cor. XV, 45.

(10) 2, Pet. I, 4. (11) Jacob. I, 18. (12) Rom. VIII, 17. (13) 2, Pet. I, 4.

II. Mediator igitur Dei et hominum, homo Christus Jesus (1), Verbum caro factum, plenum gratiæ, et veritatis (2), in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ Dei (3), quia in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter (4) venit in hunc mundum quærere et salvum facere quod perierat (5), et ut filios Dei congregaret in unum (6), mundans lavacro aquæ in verbo vitæ (7) populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum (8), ut exhiberet sibi gloriosam ecclesiam, maculam non habentem neque rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta et immaculata (9).

III. Hæc est civitas Dei (10), ejusque cives et domestici (11), omnes qui renati ex aqua et Spiritu Sancto (12), et in Christo radicati et superædificati (13), membra sunt corporis ipsius, quod est Ecclesia (14), cujus caput ipsemet Christus (15), ex quo totum corpus compactum et conexum per omnem juncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscujusque membri, augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate (16).

IV. Corpus ergo Christi cum sit ejus Ecclesia, non nisi una esse potest, sicut ait Apostolus: unum corpus et unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ, unus Dominus, una fides, unum baptisma (17), unus mediator Dei et hominum Christus Jesus (18), qui minime divisus est (19), qui unum ovile et unum pastorem esse voluit (20), atque Patrem rogavit ut omnes sint unum (21). Unde qui extra Ecclesiam moriuntur ab æterno Pastore illud audient: vos non estis de ovibus meis (22), numquam novi vos: discedite a me, qui operamini iniquitatem (23).

V. Et sicut Jesus Christus heri, et hodie, et ipse in sæcula (24), ita ejus Ecclesia perpetuo durabit, dicente illo: Ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi (25), et portæ inferi non prævalebunt adversus Ecclesiam meam supra petram fundatam (26), et superædificatam super fundamentum Apostolorum et prophetarum, ipso angulari lapide (27), super quem qui ceciderit confringetur (28).

VI. Hanc Ecclesiam ad salvandas omnes gentes ex omni tribu, et lingua, et populo, et natione (29), instituens Filius Dei, qui descendit

(1) I, Tim. II, 5. (2) Joann. I, 14. (3) Colos. II, 3. (4) Id. id. 9.
(5) Matth. XVIII, 11. (6) Joann. XI, 52. (7) Ephes. V, 27. (8) Tit. II, 14.
(9) Ephes. V, 27. (10) Ps. LXXXVI, 3. (11) Ephes. II, 19. (12) Joann. III, 5.
(13) Colos. II, 7. (14) Id. I, 24. (15) Ephes. V, 23, Colos. I, 18. (16) Ephes. IV, 16.
(17) Id. IV, 5. (18) I, Tim. II, 5. (19) I, Cor. I, 13. (20) Joann. X, 16.
(21) Joann. XVII, 11. (22) Id. X, 26. (23) Matth. VII, 23.
(24) Hebr. XIII, 8. (25) Matth. XXVIII, 20. (26) Id. XVI, 18.
(27) Ephes. II, 20. (28) Matth. VII, 23. (29) Apoc. V, 9.

in inferiores partes terræ, et ascendit super omnes cœlos, ut imple-
ret omnia (1), posuit in ea (2), deditque quosdam apostolos, quosdam
autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et
doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerii in ædifi-
cationem corporis ejus (3). Jam enim transiturus de hoc mundo ad
Patrem (4) parare nobis locum (5), sciens quia omnia dedit ei Pater in
manus (6), Apostolis quos elegit (7) locutus est dicens: Ego rogabo
Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in
æternum (8), et cum venerit Spiritus veritatis, quem mittet Pater
in nomine meo (9), docebit vos omnem veritatem (10). Data est mihi
omnis potestas in cœlo et in terra (11): sicut misit me Pater et ego
mitto vos (12): euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in
nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, docentes eos servare om-
nia quæcumque mandavi vobis (13). Qui crediderit, et baptizatus fue-
rit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur (14)

VII. Jam vero Christus, qui suam ipsius potestatem dedit Aposto-
lis, ut pro eo legationem fungerentur (15) pro hominibus constituti in
iis quæ sunt ad Deum (16), ita illam per ipsos exerceri, continuarique
voluit usque ad consummationem sæculi, ut quam ipse in mundum
e cœlo doctrinam intulerit, eam illi annuntiarent omnibus, nomen
ipsius portantes coram regibus et gentibus (17); et quos gratiarum the-
sauros ipse morte sua nobis meruerat, eorum illi essent dispensato-
res; et quam ipse domum, regnumque Dei instituerat, id illi regerent
et gubernarent. Sicut ergo eadem doctrina, eademque sacramenta,
ita eadem regiminis potestas perpetua erit in Ecclesia. Hanc igitur
matrem nostram et magistram infallibilem agnoscimus, atque confi-
temur veram esse et perfectam societatem, supernaturalem, ac divi-
nam origine, fine, mediis, auctoritate, ideoque independentem et om-
nibus humanis societatibus superiorem.

VIII. Omnes proinde errores huic catholicæ doctrinæ adversantes
rejecimus et damnamus, sicut in suis apostolicis litteris, ac in Syllabo,
Encyclicæ *Quanta cura*, adnexo (18), damnavit, ven. mem. Pius IX;
atque omnes fideles, ac præsertim ecclesiasticos viros monemus,
ut plena mentis subjectione, ac toto cordis affectu, divinam Ecclesiæ
auctoritatem prosequantur ac revereantur, memoria retinentes, ut
opportune sibi subditos docere possint, atque errantes corrigere et

(1) Ephes. IV, 10. (2) I. Cor. XII, 28. (3) Ephes. IV, 11. (4) Joann. XIII, 1.

(5) Id. XIV, 2. (6) Joann. XIII, 3. (7) Id. XIV, 16. (8) Id. XIV, 16.

(9) Id. id. 26. (10) Id. XIV, 13. (11) Matth. XXVIII, 18.

(12) Joann. XX, 21. (13) Matth. XXVIII, 19. (14) Marc. XVI, 16.

(15) 2. Cor. V, 20. (16) Hebr. V, 1. (17) Act. IX, 15. (18) 8 Dec. 1864.

arguere, præclara Gregorii XVI verba: «Habet Ecclesia ipsa ex di-
»vina institutione potestatem, non magisterii solum ut res fidei et mo-
»rum doceat ac definiat, sacrasque litteras absque ullo erroris peri-
»culo interpretetur; verum etiam regiminis, ut quos semel gremio
»suo excepit filios in tradita doctrina contineat et confirmet, legesque
»ferat de iis omnibus, quæ ad animarum salutem, sacri ministerii
»exercitium, ac Dei cultum attinent; quibus legibus quisquis obsistat,
»gravissimi se reum criminis facit.» Sciant et doceant pariter ex ip-
»sius Summi Pontificis verbis: «docendi, jubendique potestatem, in iis
»quæ religionis sunt, a Christo sponsæ suæ tributam, non modo ita
»ejus pastorum ac præsulorum propriam esse, ut ad civilis reipublicæ
»magistratus nullo pacto possit pertinere, sed insuper liberam omni-
»no, et terrenæ cuiquam dominationi minime obnoxiam; non enim ex
»placito laicæ potestatis, sed ea etiam invita, Evangelium annuntia-
»verunt, Ecclesiam propagaverunt, disciplinam statuerunt Apostoli....
»Non nisi igitur lesa fide, planeque perturbata divinæ Ecclesiæ consti-
»tutione, naturaque regiminis, fieri potest ut ulla in eam sæculi domi-
»netur potestas, aut ejus doctrinam moderetur, vel impediatur quomi-
»nus leges ad sacrum ministerium, divinum cultum, et spirituale fide-
»lium commodum spectantes ferat ac promulget» (1).

. IX. Nec minore studio inculcandum est, Ecclesiam, etsi a civili so-
cietate diversam, non illi adversam esse: utriusque enim societatis,
licet modo diverso, pro diverso earum ordine ac fine, auctor cum sit
Deus, ex ipsa rerum natura non pugna, non oppositio haberi potest;
immo Ecclesia rempublicam maximo munimento firmat ac tuetur,
ejusque securitati prospicit. «Quamquam (ait sapientissimus Dom.
»Noster Leo XIII), per se et natura sua salutem spectat animorum,
»adipiscendamque in cœlo felicitatem, tamen in ipso rerum mortalium
»genere tot ac tantas ultro parit utilitates, ut plures majoresve non
»posset, si in primis et maxime esset ad tuendam hujus vitæ, quæ in
»terris agitur, instituta» (2); homines enim, ut vera mater, generans
Deo, eosque sanctificans ut ipsius hæredes efficiantur in cœlis, ad-
jicit simul gloriam, felicitatem et pacem, necnon quæcumque vera,
quæcumque sancta, et amabilia imperat, fovet et conservat; unde
ipsa virtute ac pietate christiana bonos cives facit, qui si tales sunt
quales esse præcipit doctrina catholica, absque dubio magna erit sa-
lus civilis societatis. «Qui doctrinam Christi adversam dicunt esse
»reipublicæ, scribebat Divus Augustinus, dent exercitum talem, qua-
»les doctrina Christi esse milites jussit, dent tales provinciales, tales
»maritos, tales conjuges, tales parentes, tales filios, tales dominos,

(1) Epist. ad Episc. Helvet. 17 Maii 1835. (2) Encycl. *Immortale*, 1 Nov. 1885.

»tales servos, tales reges, tales iudices, tales demum debitorum
»ipsius fisci redditores, et exactores, quales esse præcipit doctrina
»Christi, et audeant eam dicere adversam esse reipublicæ; immo vero
»non dubitent eam confiteri magnam, si obtemperetur, salutem esse
»reipublicæ» (1).

X. Tenendum denique atque docendum volumus, Ecclesiam, sicut nihil sibi, sed totum civili potestati tribuere circa ea quæ finem temporalis felicitatis unice respiciunt, et respectu hujus finis plenam independentiam civilis potestatis agnoscere, ita plenam libertatem et independentiam in iis quæ ad æternam salutem referuntur sibi vindicare. «Hæc cœlestis civitas, dum peregrinatur in terra, ex omnibus »gentibus cives evocat, atque in omnibus linguis peregrinam colligit »societatem, non curans quidquid in moribus, legibus, institutisque »diversum est, quibus pax terrena vel conquiritur vel tenetur, nihil »eorum rescindens nec destruens, immo etiam servans ac sequens..... »si religionem, qua unus summus ac verus Deus colendus docetur, »non impedit» (2). Hoc cum sancto Augustino tenentes et docentes, pariter tenere et docere debemus, quod ad Constantium Imperatorem scribebat magnus Hosius Corduensis: «Ne te rebus misceas ecclesiasticis; nec nobis his de rebus præcepta mandes; sed a nobis potius »hæc addiscas. Tibi Deus imperium tradidit; nobis ecclesiastica »concredit. Ac quemadmodum qui tibi imperium subripit, Deo ordinanti »repugnat; ita metue, ne, si ad te ecclesiastica pertrahas, magni criminis reus fias. Reddite, scriptum est, quæ sunt Cæsaris Cæsari, et »quæ sunt Dei Deo. (3) Neque nobis igitur terræ imperare licet, neque tu adolendi habes potestatem» (4).

XI. Quamvis vero Ecclesiæ et civilis reipublicæ potestas, sit distincta, amicam tamen consortium optat Ecclesia, «et non nisi infau- »sta et religioni et principatui ominatur ex eorum votis, qui Ecclesiam »a regno separari mutuamque imperii cum sacerdotio concordiam »abrumpi discipiunt. Constat quippe pertimesci ab impudentissimæ »libertatis fautoribus concordiam illam, quæ semper rei et sacræ et »civilis fausta extitit et salutaris» (5). Hinc cum sæculi potestatibus, intuitu relationes inter se et ipsas ordinandi, concordata libere init, quæ aptioribus, prout res ac tempora postulant, fundamentis innituntur, quæ uti legitima et saluberrima habenda sunt, et religiose servanda, tam in iis quæ civili potestati exercenda tribuit Ecclesia in rebus ad ipsam respicientibus, quam in iis quæ Ecclesiæ propriæ

(1) S. August. Ep. 138 ad Marcellin. n. 15. (2) Id. de Civitate Dei. Lib. XIX, cap. 17.

(3) Luc. XX, 25. (4) Epist. ad Constant. apud S. Athanas. Histor. Arianor. num. 44.

(5) Gregor. XVI Encyc. *Mirari vos*, 15 August 1832.

agnoscuntur ac profitentur, ne perversi homines de ipsius juribus ac libertate per vim ac præpotentiam quidquam detrahant.

XII. Contrarios igitur omnes errores ac sophismata damnantes, volumus ac monemus, ut hanc veram doctrinam de Christi Ecclesia discant et firmiter teneant fideles nostrarum diœcesium, ut Deo Patri gratias agentes (1), per quem vocati sunt in societatem Filii ejus Jesu Christi Domini nostri, idipsum dicant, et non sit schismata in eis; sint autem perfecti in eodem sensu, et in eadem sententia (2), ac in eadem permaneant regula (3), Christo adhærentes, et in ipso manentes sicut palmes in vite (4) atque matri Ecclesiæ, de æterna illorum salute sollicitæ obediens, tamquam Christo, qui dixit: Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus (5).

TITULUS II.

De Romano Pontifice.

I. Unigenitus Dei Filius Jesus Christus, quem Pater dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius et plenitudo ejus (6), dum in terris visus est, et cum hominibus conversatus (7), pertransiens benefaciendo (8), Ecclesiæ suæ dux ipsemet fuit et pastor, in eaque fovenda, docenda, pascenda atque regenda totus erat, spirans in ea spiraculum vitæ, ut usque ad extrema terræ crescere, dilatarique posset in augmentum Dei. Ad Patrem tandem reversurus, ascendens super omnes cœlos ut impleret omnia (9), suam minime dereliquit sponsam, sed invisibiliter in ea usque ad consummationem sæculi se permansurum promittens (10), visibilem sibi vicarium elegit, et caput Ecclesiæ constituit Simonem Petrum, cui suæ erga illam charitatis universa munera commendavit.

II. Et revera, etsi omnibus apostolis dixit; sicut misit me Pater, et ego mitto vos (11), quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo, et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo (12); sub gemina tamen fundamenti et clavium metaphora unum Petrum universæ domui suæ præposuit (13), dignum certe qui ædificandis in domo Dei populis lapis esset ad fundamentum, columna ad sustentandum, clavis ad regnum. Ecclesia enim, si civitatis imagine in Evangelio adumbratur, Petrus est fundamentum: *Tu es Petrus, et*

(1) Colos. I, 12. (2) I. Cor. I, 9, 10. (3) Philip. III, 16. (4) Joann. XV, 5.

(5) Matth. XVI, 17. (6) Ephes. I, 22. (7) Baruch. III, 38.

(8) Act. X, 38. (9) Ephes. IV, 10. (10) Matth. XXVIII, 20.

(11) Joann. XX, 21 (12) Matth. XVIII, 18. (13) Id. XVI, 18.

super hanc petram edificabo Ecclesiam meam (1); si cœli regnum declaratur, Petrus est ipsius clavicularis: *Tibi dabo claves regni cœlorum* (2); si appellatur ovile, Petrus est supremus pastor: *Pasce agnos meos, pasce oves meas* (3); si demum uti revera est, columna et firmamentum veritatis nuncupatur, Petrus est certum fidei munimen: *Ego rogabo pro te, ut non deficiat fides tua: et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos* (4). Sic statuit Christus, ut capite constituto, schismatis tolleretur occasio (5), et unitas ab omnibus servaretur. «Hujus enim unitatis sacramentum, ita Dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, ut in beatissimo Petro, Apostolorum omnium summo, præcipue collocavit, et ab ipso quasi quodam capite dona sua velit in corpus omne manere, ut exortem se mysterii intelligeret esse divini, qui ausus fuisset a Petri soliditate recedere» (6).

III. Quoniam vero ad Ecclesiam supra Petrum fundatam portæ inferi non prævalebunt, immortale ipsius Ecclesiæ fundamentum perpetuo manere necesse est, ut pura et indivisa semper conservetur: proindeque in ipsius Petri successores jure divino ejus pertransiit et permanet primatus. Petrus igitur in Ecclesia semper vivit, Petrus in singulis successoribus semper loquitur, ut in omnem terram exeat vox ejus, et ipsius verba in fines orbis terræ (7).

IV. Primatus itaque honoris et jurisdictionis Petro collatus, ipso in Urbe Roma, tamquam illius Ecclesiæ Episcopo, pro fide Christi in cruce martyrium passo, in ejus successores, illius locum tenentes, pertransit, et ad finem usque sæculi per Romanæ Sedis Antistitem exercetur. Ea enim ipsa civitas, quæ tot regna sub suo complectebatur imperio, divinæ providentiæ consilio electa fuit, ut imperium longe latius et gloriosum obtineret, et per «sacram beati Petri sedem caput orbis effecta, latius præsideret religione divina quam dominatione terrena» (8). Hac de causa ad Romanam Ecclesiam, in qua est integra et una religionis soliditas (9), propter potiorem principalitatem, necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, omnes qui sunt undique fideles (10). Deus quippe in cathedra unitatis doctrinam posuit veritatis (11), ibique universis murus est et securitas: ibi portus expers fluctuum, et bonorum thesaurus innumerabilium (12).

(1) Matth. XVI, 18. (2) Id. id., 19. (3) Joann. XXI, 15, 17. (4) Luc. XXII, 32.

(5) Cyprian. *De Unitate Eccles.* (6) S. Leo epist. Jo. ad Episc. (7) Ps. XVIII.

(8) S. Leo serm. I, in Nativ. SS. Apostolor. (9) Conc. VIII, Generale Constantinop. IV.

(10) S. Irenæus advers. Hæres. lib. III, cap. 3.

(11) S. August. Ep. CV, Ad Donat, n. 16.

(12) S. Joann. Chrisost. Epist. ad Inocent. seu epist. XI Inocent. I.

V. Hæc quæ in sacris litteris continentur, quæ constans tenuit et tenet Catholicæ Ecclesiæ traditio, quæ sancti Patres unanimiter docuerunt, et sacrosancta sanxerunt Concilia, credimus et docemus; ideoque cum Vaticano Œcumenico Concilio catholicam asserentes doctrinam, damnamus omnes qui dicere audeant, «beatum Petrum Apostolum non esse a Christo Domino constitutum Apostolorum omnium Principem, et totius Ecclesiæ militantis caput; vel eundem honoris tantum, non autem veræ propriæque jurisdictionis primatum ab eodem Domino nostro Jesu Christo directe et immediate accepisse (1); vel non esse ex ipsius Christi Domini institutione seu jure divino, ut beatus Petrus in primatu super universam Ecclesiam habeat perpetuos successores; aut Romanum Pontificem non esse beati Petri in eodem primatu successorem (2).

VI. Firma fide credentes, Romanum Pontificem verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, et omnium christianorum Patrem et Doctorem existere, et ipsi in beato Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse (3), cum laudato Vaticano Concilio damnamus dicentes, «Romanum Pontificem habere tantummodo officium inspectionis vel directionis, non autem plenam et supremam potestatem jurisdictionis in universam Ecclesiam, non solum in rebus quæ ad fidem et mores, sed etiam in iis, quæ ad disciplinam et regimen Ecclesiæ per totum orbem diffusæ pertinent; aut eum habere tantum potiores partes, non vero totam plenitudinem hujus supremæ potestatis; aut hanc ejus potestatem non esse ordinariam et immediatam, sive in omnes et singulas ecclesias, sive in omnes et singulos pastores et fideles.» «Damnamus similiter et reprobamus illorum sententias, qui hanc supremi capitis cum pastoribus et gregebis communicationem licite impedire posse dicunt; aut eandem reddunt sæculari potestati obnoxiam, ita ut contendant, quæ ab apostolica sede, vel ejus auctoritate ad regimen Ecclesiæ constituuntur, vim ac valorem non habere, nisi potestatis sæcularis placito confirmentur» (4).

VII. Et quoniam divino Apostolici Primatus jure Romanus Pontifex universæ Ecclesiæ præest, docemus etiam et declaramus, eum esse judicem supremum fidelium (5), et in omnibus causis ad examen ecclesiasticum spectantibus ad ipsius posse judicium recurri (6). Se-

(1) Conc. Vatican. Constit. Dogmat. de Eccl. Christi cap. I. can. I.

(2) Id. cap. II, can. 2. (3) Conc. Florent.

(4) Conc. Vatican. Constit. Dogm. de Eccl. Christi cap. III.

(5) Pius VI. Breve *Super soliditati* 28 Nov. 1786. (6) Concil. Œcum. Lugdun. 2.

dis vero Apostolicæ, cujus auctoritate major non est, judicium a ne mine fore retractandum, neque cuiquam de ejus licere judicare iudicio (1). Quare a recto veritatis tramite aberrant, qui affirmant, libere a iudiciis Romanorum Pontificum ad Œcumenicum Concilium tamquam ad auctoritatem Romano Pontifici superiorem appellare (2).

VIII. Doctrinam denique tenemus ac docemus ejusdem Vaticani Concilii dogmatice definientis: «Romanum Pontificem, cum ex cathedra loquitur, id est, cum omnium christianorum pastoris et doctoris munere fungens, pro suprema sua Apostolica Auctoritate doctrinam de fide et moribus ab universa Ecclesia tenendam definit, per assistentiam divinam, ipsi in beato Petro promissam, ea infallibilitate pollere, qua Divinus Redemptor in definienda doctrina de fide et moribus instructum esse voluit; ideoque ejusmodi Romani Pontificis definitiones ex sese, non autem ex Ecclesiæ consensu irreformabiles esse,» et huic definitioni contradicentes anathemate damnatos declaramus (3).

IX. In hac igitur fide stabiles perseverantes, plenissimam obedientiam exhibebimus semper, et ab omni clero et populo nostro exhiberi decernimus omnibus et singulis constitutionibus et decretis a Romano Pontifice, pro suprema universalem Ecclesiam docendi ac regendi potestate, vel jam editis, vel in futurum edendis, utque pronissima semper fide et obsequio in hujus provinciæ diœcesibus executioni mandentur, pastorem vigilantiam et auctoritatem sedulo et continuo adhibebimus. Vigens Ecclesiæ disciplina a Sancta Sede approbata ceu indeclinabilis norma in diœcesium regimine nobis erit, atque Apostolicas Litteras quas supremus pastor pro universali, vel speciali nostrarum ecclesiarum bono erit daturus, et publicare et rite fidelibus explanare curabimus, atque providebimus ut antiquiores Apostolicæ Constitutiones in diœcesanis synodis denuo publicentur et executioni mandentur, quarum iterata promulgatio, attentis peculiaribus circumstantiis, utilis reputetur.

X. Utinam etiam his infaustis temporibus, ut media ætate Sancta Sedes foret tribunal excelsum constitutum ad bella vitanda, controversias componendas, tuendamque rempublicam christianam adversus principum aut guberniorum ambitiosos ausus. Nam cum Romani Pontificis specialis cura sit et salutis animarum et publici boni, antiqua et recens etiam experientia felicem ipsius interventus succesum demonstrat in litibus inter nationes dirimendis.

(1) Ep. S. Nicol. I, ad Michæl Imperatorem.

(2) Concil. Vatic. loc. cit.

(3) Conc. Vatican. Constit. *De Eccl. Christ.* cap. IV.

XI. Quum autem per sacras Congregationes sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium ab ipsamet Apostolica Sede constitutas ad faciliorem et promptiorem universæ Ecclesiæ causarum et negotiorum expeditionem, exerceat Romanus Pontifex supremam suam potestatem (1), illarum decretis et decisionibus summa pietate adhærendum est et parendum. Illæ siquidem de levioris momenti et frequentioribus quæstionibus nihil decernunt aut definiunt, nisi secundum disciplinam apud Sanctam Sedem vigentem et probatam, nihilque statuunt de gravioribus negotiis, nisi de mandato Summi Pontificis, cujus ad iudicium causam referre tenentur ex apostolicarum constitutionum præscriptis. Sacrarum proinde Congregationum decreta, quæ præsertim Supremus Pastor expresse confirmaverit, habere vim legis cuique perspectum est. Curabunt ergo Episcopi ut decisiones istæ, sive cum pro urbe et orbe feruntur, sive cum diœcesim propriam aliquo modo attingunt, sive cum pro casibus particularibus datæ, regulam tamen agendi generalem exhibent, ad sui cleri notitiam adducantur, et ab omnibus juxta earum vim ac tenorem religiose serventur.

XII. Probe etiam noscentes, jure merito statutum fuisse, ad unitatem in omnibus servandam, ut Episcopi omnes, præfixo tempore, Sacra Apostolica Limina visitantes, Romano Pontifici relationem de statu suæ ecclesiæ exhibeant, per nosmetipsos, vel per nuntios hæc omnia præstabimus juxta canonicas præscriptiones, et a nobis præstitum juramentum (2).

XIII. Agnoscimus denique ac declaramus, «in præsentis rerum humanarum statu civilem Sanctæ Sedis principatum pro bono ac libero Ecclesiæ animarumve regimine omnino requiri» (3); necnon «singulari prorsus divinæ providentiæ consilio factum esse, ut quum romanum corrui imperium, et in plura fuit regna divisum, Romanus Pontifex, quem Christus totius Ecclesiæ suæ caput centrumque constituit, civilem assequeretur principatum. Quo sane a Deo ipso sapientissime consultum est, ut, in tanta temporalium principum multitudine ac varietate, Summus Pontifex ea frueretur politica libertate, quæ tantopere necessaria est ad spiritualem suam potestatem, auctoritatem et jurisdictionem toto orbe absque ullo impedimento exercendam. Atque ita plane decebat, ne catholico orbi nulla oriretur occasio dubitandi, impulsu fortasse civilium potestatum, vel partium studio duci quandoque posse in universali procu-

(1) Sixt. V, cons. *Immensa* 22 Januar. 1588.

(2) Pontif. Rom. *De consecrat. Episc.*—Sixtus V, Constit. *Romanus Pontifex*.

(3) Episc. Romæ adunator. ad Pium IX obtestatio 8 Jun. 1862.

»ratione gerenda sedem illam, ad quam propter potiorē principali-
»tatem necesse est omnem Ecclesiam convenire» (1). Improbamus
eapropter, et totis viribus detestamur impia illorum facinora, qui hac
nostra illacrymanda ætate dolo ac vi Romanæ Sedis civilia jura ac
principatum aggressi sunt ac usurparunt, quique, ob sacrilegum ipso-
rum crimen, in pœnas et censuras ecclesiasticas gravissimas inci-
disse jure meritoque declarati sunt (2). Cum sanctissimo domino no-
stro Leone XIII lamentamur acerbissimos nefariæ in Ecclesiam con-
jurationis fructus in Romanum Pontificem maxime redundantes, «cui
»quidem legitimis juribus suis dejecto, atque in exercendis maximis
»muneribus multimodis impedito, figura quædam regiæ majestatis,
»quasi per ludibrium, relinquitur (3), atque palam obtestamur acer-
»bissimis afflictionibus SSmi. Patris, sic nos conjungi, ut quæ ipse
»pati contingat, eadem nos amoris consensu patiamur. Deum interea
»supplices invocamus, ut tam iniquæ rerum perturbationi finem po-
»nat, Ecclesiamque Filii sui Sponsam, tam misere expoliatam, ac
»oppresam pristino decori ac libertati restituat» (4). Plenissimo de-
nique animo adhæremus, et nostras facimus «declarationes et prote-
»stationes omnes, quas sa. me. Pius IX..... tum adversus occupatio-
»nem civilis principatus, tum adversus violationem jurium ad Roma-
»nam Ecclesiam pertinentium pluries edidit ac iteravit,» quasque in
suis apostolicis litteris SSmus. Dom. Leo XIII omnino renovavit et
confirmavit (5).

XIV. Ut una nobiscum ad Patrem cœlestem preces pro capite
Ecclesiæ ex toto corde fundant, et in ejus auxilium pro sua quisque
facultate veniant, clericos ac fideles nostros enixe hortamur. Pergant
sacerdotes, post absolutum Missæ sacrificium, flexis genibus ex altari
recitare pias orationes a Smo. Dmo. Leone præscriptas: Parochi
omni opportuna occasione populum sibi commissum excitent ad Deum
pro Romano Pontifice orandum, ad ejus indigentiam eleemosynis
subveniendum, piissimum et catholicum opus *oboli sancti Petri* fo-
vendo, ac amorem et pietatem erga Romanam Sedem summo studio
in fidelibus inflamment. Jura quippe Romani Pontificis ad universa
Ecclesiæ bonum spectant, ideoque ipsorum defensio, tuitio ac libera
explicatio omnibus catholicis cordi esse debet.

(1) Pius IX Litt. Apost. *Cum catholica Ecclesia* 26 Mart. 1860. (2) Ibid.

(3) Leo XIII, Enc. *Militans Jesu Christi Ecclesia* 12 Marzo 1881.

(4) Obtest. Episc. ad Pium IX, 8 Jun. 1862.

(5) Leo XIII, Encycl. *Inscrutabili*, 21 April. 1878.

TITULUS III.

De Metropolita.

Metropolitaram dignitas et officium antiquissima Ecclesia ætate instituta est, et probabilius ab ipsis Apostolis. De illa scribebat S. Leo Magnus. «Quoniam et inter beatissimos Apostolos in similitudine honoris fuit, quædam discretio potestatis, et cum omnium par» esset electio, uni tantum datum est ut cæteris præmineret. De qua » forma Episcoporum quoque est orta distinctio, et magna dispositio» ne provisum est, ne omnes omnia sibi vindicarent, sed essent in » singulis provinciis singuli, quorum inter fratres prima haberetur » sententia» (1) ad unitatem sacerdotum in vinculo pacis, et vigorem ecclesiasticæ disciplinæ conservandum. Ad hoc enim ut efficacius prospiceretur, «Episcopi quidam sollicitudinem susceperunt amplio» rem, per quos ad unam Petri Sedem universalis Ecclesiæ cura con» flueret, et nihil usquam a suo capite dissideret (2).

Qui ea dignitate insigniti erant, primi Episcopi (3) vel Episcopi primæ Cathedræ (4), aut primæ sedis nomen habebant (5). Metropolitanus titulum in Conciliis Niceno et Antiocheno illis datum legimus, sicut et in Hispania nostra a sæculo V (6).

I. Jam vero cum ven. mem. Pius IX per suas Apostolicas Litteras *Vicariam* 4 Julii 1857, Episcopalem Ecclesiam Vallisoletanam ad Metropolitanum gradum eveherit, juxta quod in Concordato anni 1851 statutum fuerat, ejusque pro tempore Antistitem nomen, titulum, præminentiam, dignitatemque Archiepiscopi Metropolitanus præ se ferre, atque Metropolitanam jurisdictionem, præidentiam et auctoritatem exercere decreverit super suffraganeas Ecclesias illi in eisdem Litteris assignatas, scilicet, Segoviensem, Abulensem, Asturicensem, Salmanticensem (cui in Concordato aggregata fuerat Civitatis diocesis, nunc a Smo. Dno. Leone XIII separatim ab illa Episcopo Administratori Apostolico commissa) ac denique Zamorensem, Nos omnes Suffraganei hujus provinciæ Episcopi in hac prima Synodo Provinciali in Domino congregati, omnia jura et prærogativas agnoscimus et reveremur quæ Vallisoletano Archiepiscopo ex prædictis Apostolicis Litteris, ex Sacrosancto Tridentino Concilio, et ex præsentis Ecclesiæ disciplina competunt.

(1) S. Leo Magn. Epist. ad Anast. Thessal. c. 11. (2) Ibid.

(3) Can. Apostol. 33. (4) Conc. Illiber, can. 58. (5) Conc. III, Cartag. cap. 56.

(6) Hilar. Pap. Epist. ad Ascan. Tarracon.

1. Metropolitæ itaque est, concilium Provinciale convocare, eique præsidere, æc dirigere, atque sedulo invigilare ne quis illius decreta servare negligat (1).

2. Suffraganeorum suorum absentia a propriis Ecclesiis causas cognoscere, atque illegitimæ absentes Apostolicæ Sedi denunciare (2).

3. In causas appellationum jurisdictionem exercere in subditos suffraganeorum (3).

4. Diöceses comprovincialium visitare, causa tamen cognita et probata in Concilio provinciali (4).

5. Episcopos comprovinciales juxta Sacrosanctæ Tridentinæ Synodi decretum ad seminaria erigenda et conservanda cogere (5).

6. Sede Episcopali vacante Vicarium capitulare constituere, si capitulum intra tempus præstitum eum non elegerit (6).

II. Suæ potestatis insignia habet pallium quo per totam provinciam utitur in sacris faciendis, diebus et solemnitatibus designatis, necnon crucem archiepiscopalem, quæ in omnibus provinciæ locis, etiam exemptis, ante ipsum defertur. Jus quoque benedicendi per totam provinciam Archiepiscopo tribuitur.

III. Quia vero Diöcesium hujus provinciæ unitatem in Metropolita fixam esse scimus, Episcopi cum ipso in Domino congregati de eo maxime delectamur quod per illum arctiori optatissimoque nexu conjungi mutuo atque uniri possumus, ut junctis per omnia viribus Dei gloriam et commissi gregis salutem incessanter promoveamus: *Frater enim qui a fratre juvatur, quasi civitas firma* (7). Quapropter quam maxime optamus, ut quod usque nunc viguit, et viget inter Metropolitanum et Coepiscopos sanctæ amicitia et charitatis vinculum, arctius in dies per frequens commercium, et per mutua in rebus præsertim gravioribus consilia foveatur.

TITULUS IV.

De Episcopis.

Sicut Pontifex Romanus totius est Ecclesiæ magister et princeps, ita Episcopi, rectores et capita sunt Ecclesiarum, quas rite singuli ad gerendum susceperunt, pro patribus Apostolis Ecclesiæ nati constitutique principes super omnem terram (8). Eos Spiritus Sanctus posuit

(1) Conc. Trid. sess. XXIV, cap. 2, De ref.

(2) Ib. Ses. XXIII, cap. 1. De ref. Bened. XIV, Constit. *Ad universæ* 3 Sept. 1476.

(3) Cap. I. *Cum non ignoretis*. De offic. Legati. (4) Conc. Trid. sess. XXIV cap. 3. De ref.

(5) Conc. Trid. sess. XXIII, cap. 18. De ref. (6) Id. Sess. XXIV, cap. 16. De ref.

(7) Prov. XVIII, 19. (8) S. Aug. in Ps. XLIV, n. 32.

regere Ecclesiam Dei (1). Ecclesia igitur est in Episcopo, et si quis cum eo non sit uni cathedræ Domini voce fundatæ adherenti, non est in Ecclesia (2). Unde Clerici et fideles omnes audiant Sanctum Ignatium martyrem doctorem apostolis supparem: «Sine Episcopo nemo »quidquam faciat eorum, quæ ad Ecclesiam spectant..... Qui hono- »rat Episcopum a Deo honoratus est: qui clam Episcopo aliquid agit, »diabolo præstat obsequium» (3). «Talis est christianæ reipublicæ con- »stitutio, eaque immutabilis et perpetua: quæ nisi sancte servetur »summa jurium et officiorum perturbatio consequatur necesse est, »discissa compositione membrorum apte cohærentium in corpore Ec- »clesiæ, quod per nexus et conjunctiones, subministratum et con- »structum crescit, in augmentum Dei (4). Ex quibus apparet adhi- »bendam esse adversus Episcopos reverentiam præstantiæ muneris »consentaneam, in iisque rebus, quæ ipsorum potestatis sunt obtem- »perari oportere (5).»

I. Hæc serio meditantes Antistites in præsentī Synodo congregati, ut quæ legis et traditionis ecclesiastica auctoritate ad disciplinam catholicæ religionis stabiliendam sancita sunt, in hac provincia, ad cleri, populique utilitatem, conserventur aut innoventur, ante omnia quæ suæ sunt partis libentissime agnoscunt, ideoque iterata et sincera professione palam faciunt, nihil sibi habituros esse antiquius, quam ut ipsimet in gravissimo et angelicis humeris formidando gregis Domini pascendi atque regendi negotio, sacrorum canonum auctoritate dociles gratique dirigantur; præ oculis semper habere curantes quæ apostolus Paulus, quæ sacrosancta Concilia, Tridentinum in primis, quæ Sancti Ecclesiæ Patres inculcant iis, qui in Ecclesia præsent, quæque sanctissimi Antistites Carolus Borromæus, Franciscus Salesius, Thomas a Villanova, Thuribius Asturicensis, Alphonsus de Liguorio præclarissimis docuerunt exemplis, ut virtutibus omnibus præfulgentes, cunctis fidelibus verbo pariter et opere proficiant, et in via salutis præeant, tamquam boni pastores se ipsos impendentes et superimpendentes pro illorum animabus.

II. Episcopis dictum est: *depositum custodi* (6). Strenuo ergo ac invicto prorsus animo se gerere debent in docenda ac tuenda catholica fide, ac summa cura vigilare ut grex sibi commissus in ea stabilis et immotus persistat, quam nisi quisque integram inviolatamque servaverit, absque dubio in æternum peribit (7), ideoque diligenter incumbere ne quid puritati atque integritati doctrinæ adversum in Diœ-

(1) Act. XX, 28. (2) S. Cyprian. Epist. 40 et 63. (3) Epist. ad Syrmin. cap. 8 et 9.

(4) Coloss. II, 19. (5) Leo XIII. Epist. ad Episc. Hispan. 8 Dec. 1882.

(6) 1. Tim. VI, 20. (7) Symbol. Athanas.

cesi diffundatur, omni opera multiformes inimicorum hominum errores et fallacias fidei populo detegere, sanam doctrinam proponere, atque apostolica libertate tum ore, tum scriptis adversarios repercutere. Id vero magis etiam præsent cum a Supremo Pastore, cujus numquam deficiet fides, excitantur ut vigiles custodias agant, et ubique latentes insidias ab ovium pernicie prohibeant; eos enim in specula constituit Dominus ut venientem hostem prospicientes, tuba canant, populosque moneant, ne pereuntium sanguinem de manibus illorum requiratur (1).

III. Doctores igitur fidei cum sint Episcopi, præcipuum illorum munus est prædicatio verbi divini ad sanam doctrinam in populo disseminandam, eumque ad optima virtutum exercitia excitandum. Unde Tridentina Synodus definivit, Ecclesiæ prælatos teneri per se ipsos, nisi legitime impediti fuerint ad prædicandum sanctum Jesu Christi evangelium. Si vero legitimo impedimento detineantur, juxta formam ejusdem sacrosancti Concilii, viros idoneos assumere tenentur ad hujusmodi prædicationis officium salubriter exequendum (2).

IV. Quoniam vero clericorum et inferiorum sacerdotum indigent Episcopi ut fidelium necessitatibus spiritualibus fiat satis, et divini cultus conservetur, immo augeatur splendor, juxta concilii Tridentini monitum et præceptum, tales omnino ad clericalem et præsertim sacerdotalem gradum evehant, qui Ecclesiæ utiles fore videantur, moribus et sapientia sint ornati, atque præliis Domini præliandis, ovibusque pascendis, custodiendis, moderandis, pro sua quisque parte opitulare valeant (3). «Vobis summopere cavendum (verba sunt ven. mem. Pii IX) ne cuiquam, juxta apostoli præceptum, cito manus imponatis; sed eos tantum sacris ordinibus, ac sanctis tractandis admoveatis mysteriis, qui accurate exquisiteque explorati, ac virtutum omnium ornatu et sapientiæ laude spectati, vestris diocesisibus, usui et ornamento esse possint..... melius enim est, (ut sapientissime monet immortalis memoriæ Benedictus XIV decessor noster), pauciores habere ministros, sed probos, sed idoneos atque utiles, quam plures, qui in ædificationem corporis Christi, quod est Ecclesia, nequidquam sint valituri» (4)..... «Intelligitis nimirum parochis, aliisque sacerdotibus officii sui ignaris vel negligentibus, continuo et populorum mores prolabi et christianam laxari disciplinam, et religionis cultum exolvi, atque convelli, ac vitia omnia et corruptelas in Ecclesiam facile invehit» (5).

(1) Pius IX Allocut. 9 Dec. 1854.

(2) Conc. Trid. sess. XIII, cap. 1. De ref. sess. XXIV, cap. 4. De ref. Cap. *Inter cætera* 15. De offic. judicis ex conc. Rom. sub Innocen. III. (3) Conc. Trid.

(4) Constit *ubi primum* 3 Dec. 1740. (5) Encycl. *Qui pluribus* 9 Nov. 1846.

V. Quod vero ad idoneos et optimos Ecclesiæ ministros efformandos attinet, ante omnia ecclesiastica seminaria ut pupillam oculi custodiant Episcopi (1). De hac certe gravissima re Pius IX: «Pergite vigitur, ven. Fratres, omnem impendere industriam atque operam, »quo sacræ militiæ tyrones a teneris annis, quoad ejus fieri poterit, »in ecclesiastica seminaria recipiantur, atque inibi, tamquam novellæ »plantationes succrescentes in circuitu tabernaculi Domini, ad vitæ »innocentiam, religionem, modestiam, et ecclesiasticum spiritum conformentur, simulque litteras, et minores majoresque disciplinas, »præsertim sacras addiscant a selectissimis magistris, qui scilicet doctrinam sectentur ab omni cujusque erroris periculo alienam» (2). His monitis obsequentes Antistites hujus provinciæ singulari studio ad seminaria animum adjiciant, atque juxta sacrorum canonum rationem illa informant, et cuncta, quæ erunt inferius præscribenda, diligentissime præsent.

VI. Quum sacri canones, ac præsertim Tridentinum Concilium frequentem diœcesis visitationem summopere commendent ac præcipiant, idque ut, præter Sacramenti Confirmationis administrationem, sana Ecclesiæ doctrina, expulsis erroribus, conservetur, pravi mores corrigantur, populus exhortationibus et admonitionibus ad religionem vitæque probitatem accendatur, aliaque ad salutem animarum opportune constituentur, Episcopi diœceses suas visitare, atque, si non omnem, saltem notabilem earum partem per se ipsos intra præfinitum tempus, alteram per archipresbyteros, vel alios specialiter deputatos invisere non intermittant (3).

VII. Verum ut omnibus muneribus suis perfungi queant, omnino necesse est, ut, tamquam boni pastores et parentes, gregi et familiæ constanter assistant, et penes ipsos resideant (4). Nos igitur sacri Concilii Tridentini decreto obsequentes, (quo mandatum est, ut in Provincialibus conciliis decreta de residentia publicentur, iterumque evulgentur, ne ulla temporum injuria et hominum oblivione ac consuetudine aboleantur) (5), ea omnia jura quæ huc spectant, ac præcipue ipsius Sacrosanctæ Synodi decreta sub Paulo III, et Pio IV, sancita de residentia, in præsentī provinciali conventu proponimus, evulgamus ac perpetuo servari mandamus. Antistites præterea Benedicti XIV Constitutioni *Ad universæ* (6) inhærentes numquam ultra tres menses, nisi ex Romani Pontificis venia absint a diœcesi. Quod si quis

(1) Leo XIII Encycl. *Charitate Christi* 25 Dec. 1725.

(2) Encycl. *Nostis* 8 Dec. 1849. (3) Conc. Trident. sess. VI, cap. 1 De ref.

(4) C. *Qualiter* 9. De cler. non resid. Conc. Trid. sess. VI, cap. 1, et sess. XXIII, cap. 1 De ref. (5) Conc. Trid. sess. XXIII, cap. 1 De ref. (6) 2 Sept. 1746.

ultra annum ulla legitima causa et facultate obtenta abesse aude-
ret, suffraganeum Metropolitanus; hunc vero antiquior ex illis, Ro-
mano Pontifici denuntiet (1).

VIII. Completa autem ad normam sacrorum canonum pastorali
diœcesis lustratione (2), quarto quoque anno antiquissimæ observan-
tiæ ac Constitutioni Sixtinæ inhærentes (3), sanctorum Apostolorum
limina visitent Episcopi, atque status Ecclesiæ suæ rationem Supre-
mo Pastori reddant juxta instructionem Ben. XIII (4), sicuti solemn-
i juramento promiserunt.

IX. Hæc omnia munera, gravissimaque officia humeris nostris im-
posita commemorantes Episcopi, qui in hac Synodo Provinciali con-
gregamur, nihil cordi potius habemus quam ea pro viribus fideliter
exequi, ideoque dum de nostra insufficientia et pusillitate conscii et
in spiritu humiliato constituti, omnipotentis Dei auxilium imploramus,
clerum et populum in Domino hortamur, ut suis nos precibus adju-
vare non desinant; nam arduum pastoralis regiminis ministerium,
gravius ac difficiliter redditur misserrima hac nostra ætate, ob sævis-
simum bellum quod contra Christum ejusque ministros indesinenter
agunt filii tenebrarum. At ubi pericula crescunt, animus etiam augea-
tur necesse est eorum, qui confidentiam omnem ponunt in auxilio cœ-
lesti. Adjuvet ergo nos Deus salutaris noster, ut quæ illo auctore fa-
cienda cognovimus, ipso operante impleamus.

TITULUS V.

De foro Episcopali.

Spiritus Sanctus posuit Episcopus regere Ecclesiam Dei (5), ideo-
que ad eos pertinet non solum docere, et exhortari in doctrina sana (6),
legesque ferre ac promulgare ad fidei depositum custodiendum, ad
disciplinam Ecclesiæ servandam, et bonum spirituale populi christia-
ni promovendum, sed etiam eos qui contradicunt arguere (7), et ju-
diciaria potestate transgressores coercere, ut et ceteri timorem
habeant, et scandalum de medio tollatur (8); quamvis modernæ leges
civiles, jura Ecclesiæ impetentes, vix eis permittant in rebus mere
spiritualibus propriam gerere actionem.

(1) Conc. Trid. sess. VI, c. 1 De reform. et sess. XXIII.

(2) Can. Relata 9 et seq. caus. X. 9, 1. Cap. cum Apostolus de censibus. Conc. Trid.
sess. XXIV, cap. 3. (3) Const. Romanus Pontifex.

(4) Instruct. ad Cong. Concil. jussu Bened. XIII, edita 1725.

(5) Act. XX, 28. (6) Tit. 1, 9. (7) Id. id. (8) 1 Tim. V, 20. 1 Cor. V, 2.

Optandum certe esset, ut Episcopi paterna prorsus more sese gerentes, et cohortationibus et objurgationibus tantum insistentes, possent cunctos sibi subditos in officio continere; ast humana malitia efficit ut non semper mansuetudine, sed aliquando virga uti oporteat, unde baculum pastoralis officii ipsis traditur, ut iudicium sine ira teneant, in tranquillitate severitatis tamen censuram non deserentes (1). Et quoniam ob tantum quo obruuntur curarum pondere, omnia per se ipsos agere impediuntur, aliorum adjutorio utuntur, qui tribunal ecclesiasticum constituunt.

I. Primus post Episcopum in fori negotiis absolvendis, est Vicarius generalis, qui ita personam illius gerit, ut quos jurisdictionis actus pro munere suo exercet, Episcopi sint et censeantur in iis omnibus quæ vel ab ipso jure, vel ab illo speciali modo ejus curæ et officio commissa sunt. Magni igitur momenti in universæ diœcesis negotiis expediendis est Vicarii generalis officium, quod quidem iis deferri oportet viris, qui præter ea a jure requisita, prudentiæ laude, puritate morum, totiusque vitæ integritate pro amplo dignitatis gradu præfulgeant, ac rerum gerendarum peritia commendentur.

II. Meminerit quanta sit ipsi in administrandis et expediendis negotiis adhibenda diligentia, ut justitia semper præluceat, et omnis contraria suspicio prorsus amoveatur. In omnibus causis, quæ ad forum Ecclesiæ spectant, et præsertim matrimonialibus cautissime agat, oppositorum partes et rationes cum charitate audiat, ponderet et discutiat, cavillationes artesque dilatorias litigantium amputet; (2), causas miserabilium personarum expediendas summopere curet, et omnia, ac præcipue criminalia, ne afflictio afflicto addatur, majori qua fieri possit brevitate expediat.

III. In processualibus actis conficiendis, caveat regulæ adamussim serventur a jure canonico traditæ, vel constanti Ecclesiæ tribunalium praxi sancitæ. Solummodo silentibus sacris Canonibus, Constitutionibus, vel Ecclesiastica praxi, ad normam civilis curiæ procedi potest; sed in iis tantum quæ ab Ecclesiasticis tribunalibus admissa sunt, utpote canonici juris, pro rerum adjunctis suppletoria, et dum ab Ecclesia minime reprobentur; ait enim Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium in decreto pro causis criminalibus: «Sciant Curia Episcopales per novissimas leges, quæ ad investiganda et coerenda crimina pro tribunalibus laicis promulgatæ sunt, nihil detractum esse de formis et regulis canonicis, quæ proinde sequi omnino debent, non modo in conficiendo processu, ad quem spectant hæc verba Edicti diei 5 Novembris 1831: *Nihil innovetur quantum ad*

(1) Pontif. Rom. (2) Conc. Trid. sess. XXV, cap. 12 De ref.

judicia ecclesiastica pertinet; verum etiam in pœnis decernendis, quemmadmodum in appendice ejusdem edicti ita cautum est. Tribunalia jurisdictionis mixtæ clericos et personas ecclesiasticas iis pœnis mulctabunt, quas secundum canones et Constitutiones apostolicas tribunal ecclesiasticum iisdem irrogaret» (1).

IV. In causis clericorum disciplinaribus et criminalibus, si infauste et contra spem evenerint, ac solemnem processum confici minime expedire videatur, volumus ut diligentissime serventur regulæ quas ad processus æconomicos recte conficiendos, ab eadem Sacra Congregatione præfixæ sunt in Instructione pro ecclesiasticis curiis a Smo. Domino nostro Leone XIII approbata et confirmata (2).

V. «Iis in locis in quibus fori privilegium per Summos Pontifices derogatum non fuit (ideoque in Hispania) si in eis non datur (foro gaudentibus) jura sua persequi nisi apud judices laicos, tenentur singuli prius a proprio ipsorum Ordinario veniam petere, ut clericos in forma laicorum convenire possint; eamque Ordinarii nunquam denegabunt, tum maxime cum ipsi controversiis inter partes conciliandis frustra opera dederint. Episcopos autem in id forum convenire absque venia Sedis Apostolicæ non licet. Et si quis ausus fuerit trahere ad judicem seu judices laicos vel clericum sine venia Ordinarii, vel Episcopum sine venia Sanctæ Sedis, in potestate eorumdem Ordinariorum erit in eum, præsertim si fuerit clericus, animadvertere pœnis et censuris ferendæ sententiæ, uti violatorem privilegii fori, si id expedire in Domino judicaverint» (3).

VI. Si quando adversus matrimonii alicujus validitatem disceptari contingat, serventur religiose constituta a Benedicto XIV (4), neque novi conjugii ineundi facultas concedatur, nisi præstitis iis, quæ ab eo præstari jubentur, ideoque in unaquaque diœcesi constituatur ab Episcopo idonea persona, et si fieri possit ex ecclesiastico cœtu, juris scientia pariter et vitæ probitate prædita, quæ *matrimonii defensoris* nomen habet, ut sacramenti vinculum pro viribus defendat ad normam juris, et illius summi Pontificis constitutionis. Ejusdem pariter Pontificis præscriptionibus exacte insistendum est in causis, quæ religiosæ professionis validitatem respiciunt (5).

VII. Fiscalis, qui sacerdos probatæ vitæ et juris doctrinæ esse debet, Ecclesiæ jura tam in personis, quam in rebus studiose diligen-

(1) 1 Aug. 1835 approbante Greg. XVI.

(2) Instruct. 11 Jun. 1880. (*vide in Appendice.*)

(3) Litter. circular. S. Congr. S. R. V. Inquisit. 23 Jan. 1886.

(4) Const. *Dei miseratione* 3 Nov. 1741.

(5) Const. *Si datam hominibus* 4 Mart. 1748.

terque proponat, ac tueatur, causas in quibus iudicium ejus exquiratur accuratissime ponderet, et ad normam Sacrorum canonum et synodaliū Constitutionum, quarum observantiam defendere ac promovere tenetur, omnia peragenda pro viribus satagat.

VIII. Curet etiam, ne prætextu, vel occasione alimentorum et depositi mulieris, causæ matrimoniales nimium protrahantur, et nunquam patiatur conjuges separatos manere, nisi interjecta legitime iudicis auctoritate.

IX. Vicarius generalis advigilet, ut omnes fori administri suo munere naviter scienterque fungantur. Antequam aliquis suum officium suscipiat, coram illo de hoc fideliter explendo juramentum præstet, necnon fidei professionem, quemadmodum ipse Vicarius in manibus Episcopi præbere debet.

X. Quum omnes fori ministri juxta et legitima stipendia habere debeant pro labore et opera quam impendunt, taxam pro æquitate præscribant Episcopi, atque admodum oporteret, ut collatis consiliis, eadem statueretur pro omnibus provinciæ diocesis, præ oculis, quantum fieri possit, habendo mensuram taxæ Innocentianæ, præsertim in iis quæ ad præparandas dispensationes matrimoniales referuntur; nam etsi ob executionem litterarum apostolicarum pro dispensandis impedimentis, quæ matrimonii celebrationi obstant, nihil omnino Vicario generali accipere liceat (1), juxta taxam tamen tam ipse, quam ceteri qui opera præstant, percipere possunt ratione processus conficiendi antequam preces pro dispensatione impetranda ad Sanctam Sedem deferantur, ut de causa allegata, aliisque de jure clare ac lucide constet, ne quid vitii in re sit, et validitati officiat (2).

XI. In archivio Episcopali acta omnia ad forum ecclesiasticum pertinentia, ordine digesta recondantur, ut inde, cum usu venerit, promi possit quidquid in eodem foro pertractatum fuerit. Fidelissime vero sub clavi custodiantur, et nemini exemplaria præbeantur, nisi licentia habita in scriptis ab Episcopo, vel Vicario generali.

XII. Omnes denique curiæ ministros hortamur, ut propria officia religiosissime exercentes, nemini unquam ullam offensionem præbeant, sed omnes, ac præsertim rudes et pauperes, ac vel ipsos accusatos seu reos, omni humanitate et charitate prosequantur, ne eorum opera et auctoritas in destructionem, potius quam in ædificationem vertatur.

(1) S. Congr. Concil. 28 Jan. 1882.

(2) Ead. S. Congr. 18 April. 1885.

TITULUS VI.

De Concilio Provinciali.

Dolentes animo revolvimus quod ob temporum vicissitudines in nostra Hispania jam diu omissa fuerint provincialia concilia, quæ tamquam efficacissimum medium fidei custodiendæ et propagandæ, disciplinæ promovendæ et vindicandæ, unitatis servandæ ac fovendæ sacri canones commendant, præcipue vero Tridentina Synodus, quæ malis quibus eo tempore affligebatur Ecclesia, et ab inde premitur, salubriter occurrere volens, provide constituit: «Provincialia concilia sicuti omissa sunt, pro moderandis moribus, corrigendis excessibus, controversiis componendis, aliisque ex sacris canonibus permissis renoventur» (1).

Singulari igitur ac sincerissima exultamus lætitia, atque Deo Patri per Dominum nostrum Jesum Christum gratias agimus, qui huic nostræ provinciæ, omnium recentiori, nobisque inter fratres minimis, communis et ardentissimi voti provinciales conventus instaurandi fecit compotes, atque fuis præcibus ab eodem Patre luminum, a quo omne datum optimum et omne donum perfectum descendit (2), enixe postulamus, ut copiosissimum de hoc primo concilio fructum nobis percipere concedat, et auxiliante Domino, et ad maximam ecclesiæ et populorum utilitatem junctis Episcoporum studiis conserveat, atque conservata gratæ posteritati custodienda credatur.

I. Unde juxta quod a sacrosancta Tridentina synodo statutum legimus, curandum erit a Metropolita, vel illo legitime impedito ab antiquiore ex comprovincialibus, ut quolibet triennio synodus provincialis habeatur (3). Qua præsertim occasione de iis, quæ ad sollicitudinem pastoraalem pertinent, pro uniuscujusque diœcesis, totiusque provinciæ necessitatibus et conditione, mutuo conferent Episcopi, deque agendi ratione, quantum fieri possit, communi et uniformi in gravioribus saltem ecclesiasticæ administrationis negotiis, invicem tractabunt, et opportuna capient consilia.

II. Sicut convocare, ita Metropolitanæ est præsidere concilium. Ipso legitime impedito, vel, Sede Metropolitana vacante, illius jura ad Episcopum suffraganeum antiquiorem, licet inter convocandos habeantur Præsules dignitate eum præcedentes.

(1) Sess. XXIV, cap. 2 De ref. (2) Jacob. I, 17.

(3) Conc. Trid. sess. XXII, De reform. c. 2.

III. Legitime vocati, absque causa gravi a Patribus Synodi probanda non absint. Vocandi sunt in primis, atque concilio interesse debent Episcopi suffraganei, qui voto utuntur decisivo: capitulum Metropolitanum, cathedralia capitula, prima dignitas capituli collegialis, cæterique, qui vocari possunt, uti theologi et canonistæ qui voto tantum consultivo utuntur.

IV. Qui suffraganei decisivo jure gaudent, si legitima causa abfuerint, procuratores mittere possunt ac debent; qui utrum decisivum, an consultivum sint laturo, concilium ipsum de casu ad casum decernet.

V. Capitulum Metropolitanum per tres, cathedralia per duos procuratores suffragiis absolute majoribus eligendos comparent; sed in sessionibus publicis capitulum Ecclesia Metropolitanæ, vel illius Cathedralis in qua concilium celebrare contigerit, capitulariter procedens aderit.

VI. Omnes concilii patres curabunt secum adducere viros doctrina et rerum gerendarum experientia claros, quorum consilio in decretis præparandis utantur.

VII. Quæ in concilio provinciali ab Archiepiscopo, suo nomine cum consilio et consensu Episcoporum suffraganeorum, statuta ac decreta fuerint, non antea promulganda erunt quam a Sancta Sede sint recognita (1).

VIII. Post recognitionem a Metropolita promulgabuntur, et tunc per totam provinciam ecclesiasticam vim legis habebunt. Si quid dubii de alicujus decreti sensu obortum fuerit consulatur Antistes diocesanus, qui rem, si gravius vel difficilius quidpiam habeat, ad Metropolitanum deferat. Huic autem comprovincialium consiliis adhibitis definitionem edat, ad proximam usque Synodum valituram, salva semper Apostolicæ Sedis auctoritate.

IX. Peropportunum erit, ut annis quibus concilium provinciale non celebretur, et graves non obstant difficultates, Episcopi ad Metropolitanam conveniant, ut de rebus ecclesiasticis facilius, et efficacius quam epistolarum ope, consilia fraterna conferantur.

TITULUS VII.

De Synodo Diocesana.

Quum inter Episcopum et Sacerdotes quos in Dominico sibi concredito grege pascendo adjuutores habet, nexus quam maxime intimus intercedere oporteat, ex antiquissimis Ecclesiæ temporibus Antistites

(1) Const. Sixti V. Immensa.

suæ diœcesis clericos, præsertim in animarum curam laborantes, frequenter congregare usi sunt, ut eos salutaribus monitis instruerent, desideria patefacta paterne exciperent, corrigenda corrigerent, et quæ ecclesiasticis rebus profutura cognoverint, decernerent et promulgarent. Hæc sunt origines synodorum diœcesanarum, quæ ut quotannis habeantur decrevit sacrosanctum Tridentinum concilium (1). De his alloquens Episcopus Italiæ et insularum adjacentium, ajebat Alexander VII: «Persuasissimum vobis esse non dubitamus, nihil frequentiori animarum recognitione, synodorumque celebratione, populorum salutem, ac veteri disciplinæ constituendæ, nihil catholicorum Principum paci a Deo impetrandæ accomodatius esse: quo intermisso, magna in moribus continuo ad omnem improbitatem, ac peccandam licentiam facta est immutatio» (2). «Est generalis quædam visitatio synodus, dicebat præclarissimum Ecclesiæ decus sanctus Carolus Borromæus; alias enim per annum particulares quasdam Ecclesias visitamus; hinc vero generatim sacerdotes omnes et clericos, atque in ipsis, suo etiam modo, populos eis commissos» (3). Sed «si perutile fuit semper (verba sunt ven. mem. Pii IX) clerum interdum convenire ad constringenda mutuæ charitatis vincula, agendumque de disciplina, ac tuendis promovendisque Ecclesiæ negotiis, id multo opportunius est hodie, atque adeo necessarium, dum omnes adhibentur artes ad disgregandos animos, ad clerum abducendum a proprio pastore, populum a clero, ad subvertendas leges, ipsamque constitutionem Ecclesiæ, ad unitatem plane dissolvendam» (4).

I. Pari itaque solertia qua conciliorum provincialium salutarem usum revocare intendimus, celebrandæ etiam synodi diœcesanæ proximè diutina desuetudine, ob temporum vicissitudines, et pergraves oppositas difficultates, interromptam instaurare in hac provincia toto corde peroptamus.

II. Ad hanc Synodum vocandi sunt, eique interesse debent Metropolitanæ seu Cathedralis Ecclesiæ dignitates et canonici, ecclesiarum collegialium prima dignitas, parochi, alique omnes, qui juxta doctrinam Benedicti XIV, *de Synod. Diœc. Lib. III, cap. 1. et seqq.*, de jure vel consuetudine vocari debent; alii vero sacerdotes Diœcesani vocari possunt juxta numerum et modum ab Ordinario determinandum, et quum vocantur, ad Synodum accedere tenentur, si de reformatione morum, sive de aliqua re concernente totum clerum, vel de insinuantibus decretis factis in Synodo Provinciali agatur, vel hujusmodi con-

(1) Sess. XXIV, cap. 2 De ref.

(2) Const. XX.—Ben. XIV, De syn. dioc. l. I, cap. 2.

(3) Act. Eccles. Mediolan. part. VII. (4) Epist. ad cler. Vigeban. 4 Sept. 1876.

suetudo existat, salvo decreto S. Congregationis Concilii de non admittendis ad votum ferendum de confirmatione Judicum et Examinatorum Synodaliū. Providendum tamen est (per Indultum a Sede Apostolica petendum) ut ubi diœceseos amplitudo, aliæve causæ majorem exhibent difficultatem ad omnes congregandos, minor ex illis qui addere tenentur, numerus ab ordinario determinandus vocetur. Delectus autem ita habeatur, ut cura animarum detrimentum non capiat, neque vocatorum numerus ultra ducentos facile ascendat.

III. Suam leges ferendi potestatem in Synodo diœcesana Episcopus solemniori exerit ratione; ipse enim solus judex est et legislator, suoque nomine decreta facit et promulgat (1). Expedi quidem, ut paterno affectu sacerdotum consiliū exquirat, non tamen tenetur illud sequi; immo sciant omnes ad synodum accedentes, se nullum habere jus quo debeant ab Episcopo consuli, multoque magis se carere omni potestate, sive voce deliberativa, sive decisiva decernendi; contrariamque sententiam tum sæpius fuisse ab Ecclesia reprobam, tum a summo Pontifice Pio VI diserte rejectam (2).

IV. In synodo convocanda et celebranda, ea omnia servari debent, quæ sacri canones præscribunt, ac inhærere quantum fieri possit, iis omnibus que in Pontificali Romano, et in cæremoniali Episcoporum de ordine ad synodum continentur. In prima vero sessione omnes qui ei intersunt, et numquam antea interfuerunt, emittere tenentur fidei professionem (3), juxta formulam præscriptam de qua supra locuti sumus.

V. Non ignorantes synodorum diœcesanarum celebrationes per singulos annos in hac provincia difficultate non carere ob exiguum ministrorum numerum, aliasque rationes quæ minime sinunt pastores diu abesse a suis populis, etsi nobis cordi sit eas convocare, non tamen absolute necessarias affirmamus, juxta Benedicti XIV sententiam dicentis: «Quemadmodum enim concilia generalia, quamvis summo opere utilia, non sunt tamen absolute et simpliciter necessaria pro Ecclesiæ universalis regimine..... ita Episcopales synodi, etsi maxime fructuosæ non tamen absolute necessaria dicendæ sunt pro recta diœcesium administratione, quum alii suppetant modi assequendi eundem finem, ad quem synodi tendunt» (4). Si ergo quandoque ob temporum locorumque circumstantias Synodus haberi nequeat solemniter ac legitima forma, tum utilissimum erit archipresbyterorum vel sacerdotum doctrina ac prudentia præstantium congregationem

(1) Ben. XIV. De syn. diœces. lib. III, cap. 12, n. 7.

(2) Bull. *Auctorem fidei*. (3) Conc. Trid. sess. XXV, cap. 2. De ref.

(4) Bened. XIV. De syn. diœc. lib. I, cap. 2, n. 5.

convocare, in qua tractentur, et Episcopi auctoritate statuuntur quæcumque in Domino pro bono ecclesiastico et fidelis populi regimine videbuntur expedire.

TITULUS VIII.

De Capitulis.

A presbyteriis ecclesiarum Episcopaliū originem repetunt capitula cathedralia, et quamvis temporum vicissitudo pristinam canonicorum vitam communem, ad religiosæ seu regularis vitæ normam attemperatam, dissolverit, illorum tamen essentiam et finem non immutavit; ita ut retentis canonicalis vitæ vestigiis, in presbyteriorum, ex quibus orta sunt, locum successisse conseantur. Sunt enim collegia virorum ecclesiasticorum legitime instituta, honorifico senatus Ecclesiæ nomine a Concilio Tridentino insignita (1), a quibus cultui divino decor ac splendor, Episcopo in rebus gravioribus consilii ubertas, et fidelis in negotiis Ecclesiæ gerendis, si postulaverit, opera (2), ac universæ diœcesi, sede vacante, administratio canonica repetatur. Hanc Capitulorum cathedralium destinationem et conditionem præsentem respicientes, eorum jura et privilegia lubentes, quantum nobis sit, tuebimur; sed et canonum sacrorum custodes, quæ sequuntur, præcipienda et monenda censemus.

I. In primis quæ a sacris canonibus, ab Apostolicis decretis, ac præcipue a Tridentina synodo, quoad vitam et honestatem clericorum præscripta sunt, ea omnia capitularibus collegiis adscripti singulari observantia præstare tenentur. Cum enim ipsi in diœcesana hierarchia reliquos ordines officiis et honore superent, quippe cum Episcopo unum corpus censeantur efficere, illum, ex S. Ignatii martyris sententia, cingentes sicut Apostoli Jesum Christum (3), quum ejusdem Episcopi coadjutores (4), consilarii (5), et sui Ecclesiæ senatus nuncupentur (6), et ad conservandam augendamque disciplinam fuerint constituti, præfulgeant etiam oportet cæteris omnibus; tum virtutum omnium, tum prudentiæ et scientiæ laude, atque sacrarum legum custodia, fidei integritate, vitæ innocentia præcellant, et aliis tum clericis, tum laicis exemplo sint.

II. Quoniam vero inter ea quæ a conciliis provincialibus statui possunt ac debent, expresse jussum sit, ut pro regionis more et utili-

(1) Sess. XXIV, cap. 12. De ref. (2) Conc. Trid. sess. XXIV, cap. 12. De ref.

(3) Epist. ad Smyrnem. (4) Conc. Trid. loc. cit.

(5) Ben. XIV. De Syn. diœc. lib. XIII, cap. I, n. 5. (6) Conc. Trid. loc. cit.

tate, certa ad divinorum officiorum celebrationem, disciplinamque chori forma præscribatur, ut uniuscujusque provinciæ Ecclesiæ, quantum fieri poterit, eundem in psallendo teneant modum (1), præsentibus capitulorum cathedralium nuntiis hæc servanda proponimus: Quum præcipue canonicorum partes sint, divina officia publice, et quidem per se ipsos persolvere (2), serio ac frequentissime recogitent, se in conspectu Dei Omnipotentis, et in corona innumerabilium angelorum et sanctorum choro consistere, tamquam almæ Sionis æmuli, et catholiciæ Ecclesiæ nomine bona quæque a Deo deprecari. Divina itaque officia, et angelicum psallendi munus, angelico quodammodo spiritu persolvant, «hymnis et canticis Dei nomen reverenter, distincte, devoteque laudantes» (3).

III. Recta psallendi ratio postulat, ut omnes choro addicti, eidem statutis horis prompti intersint, sciant tamen non sufficere corporalem præsentiam; nam «Canonici choro quidem interesentes, assistentesque, minime vero canentes, psallentesque, nullo pacto ex præbendis ac distributionibus facerent fructus suos, atque restitutioni »obnoxii essent» (4). In canendo et psallendo concordēs semper sint, et a proposito tono numquam aberrantes, ne voces nimium aut deprimantur, aut efferantur, ac ut in medio versiculo, notato signo, distincta fiat intermissio (5). Omnes vero eodem tempore assideant, assurgant, caput detegant aut cooperiant, stent aut genuflectant, prout officii aut temporis ratio requirit. Nihil præceps in vocis modulatione, nihil oscitans in corporis habitu deprehendatur: omnia decora sint gravia et Deo, cui psallunt, digna. Collocutiones, risus, aut alia hujusmodi omnino devitent; litteras, aliave scripta non legant; nullus a proprio loco nisi justa de causa discedat, nec a choro Officio et Missa perdurantibus exeat, nisi urgenti motivo prematur, et usque in finem constantes et devoti permaneant.

IV. Hæc omnia impensius præstanda sunt dum Missa conventualis canitur, quæ divinorum officiorum nomine comprehendere comperitum est; immo illorum nobiliorem partem constituit (6). Quotidie pro benefactoribus applicanda est (7), etiam solemniter sacrum faciente Episcopo; tunc enim hebdomadarius, vel is, cui inest onus Missæ conventualis, illam celebret lectam ante vel post Missam pontificalem (8).

(1) Conc. Tol. in C. *Deiis*. 13 Dist. 12. (2) Conc. Trid. sess. XXIV, cap. 12. De ref.

(3) Id. id. (4) Ben. XIV, const. *Præclara*.

(5) C. *Dolentes*. 9. De celebr. miss. Clement. XI, Litter. ad Episc. Italiæ.

(6) C. de iis 13 dist 12 cap. *cum creatura* II de celebr. miss.

(7) Ben. XIV Encycl. *Cum semper*. 19 Aug. 1744.—De syn. diœc. lib. XIII, cap. 9 n. 12.

(8) S. R. C. 12 Nov. 1831 in una Marsorum.

V. De præcepto pariter canenda est, et post horas canonicas a Rubrica præscriptas, secunda, et in casu tertia conventualis Missa in feriis quadragesimæ, quatuor temporum, rogationum ac vigiliarum communium, quando occurrit festum duplex, aut semiduplex, aut dies octava (1), et pro benefactoribus applicanda est, ubi adest consuetudo, uti statuit Benedictus XIV (2).

VI. A chori officialibus, quam maxime pendet, ut cuncta probe et secundum ordinem fiant. Chori igitur præfectus, qui dignior de capitulo esse debet, rerum omnium, quæ ad divinum cultum spectant, sollicitus, ministros suo munere sedulo perfungi, et divina officia solemni ritu pro temporum ratione, ac pie semper ab omnibus agi curabit, negligentes arguet, et in casu ad Episcopum deferet. Magistro cæremoniarum in iis, quæ sui muneris sunt, omnes pareant, neque audeat quis ab illius ordinationibus, quavis auctoritate, vel prætextu abscedere (3). Præcentor psallendi rationem proponat ac moderetur, idque faciat diligenter et graviter, ut fideles tum libentissime audiant, tum mente ad cœlestia ferantur. Sacrarii custodes, seu sacristæ, quorum primus saltem sacerdos esse debet, attentissime pervigilent, ut omnia munda et pura sint, immo vero quo decet religioso cultu ac splendore niteant, atque laicos in sacristia non admittant nisi ex rationabili causa (4).

VII. Fidelissime adimpleantur onera missarum, officiorum et anniversariorum in cathedralibus celebranda, vel quia a jure imposita, vel quia a benefactoribus fundata, vel quia ab ipsis capitulis acceptata seu statuta fuere. In posterum tamen nulla admittantur in perpetuum facienda, nisi de licentia Episcopi (5). In primis celebretur quotannis anniversarium solemne pro ultimo defuncto Antistite, prout de jure fieri debet (6). Item juxta quod in Cæremoniali Episcoporum præscriptum legimus, infra octavam defunctorum celebretur Missa solemnis pro animabus omnium Episcoporum, et ipsius cathedralis canonicorum defunctorum (7). Celebretur etiam quotannis Missa solemnis tam in die anniversaria electionis, quam in illa consecrationis Antistitis pro tempore existentis, servatis rubricis, nisi dies sit juxta ipsas impedita (8).

VIII. Episcopo celebranti, aut alias pontificalia exercenti assistant et inserviant cathedralium dignitates et canonici (9), idque non tantum

(1) Rubr. Misal tit. III, n. 1.—S. R. C. 3 Aug. 1737.—27 Sept. 1817 in un null. prov. Compost.—3 Aug. 1839 in Bobien ad 1. (2) Const. *Cum semper*.

(3) S. Carolus Borr. Con. prov. 1.—S. R. C. (4) S. Carol. ibid. 1.

(5) S. Cong. Concil. de mandat. Urban. VIII, 25 Jun. 1625.

(6) Cærem. Episc. lib. 2, cap. 36, n. 1.—S. R. C. (7) Cærem. Ep. lib. 2, cap. 37, n. 1.

(8) S. R. C. 14 Aug. 1858. (9) Conc. Trid. sess. XXIV, cap. 12 De ref.

in cathedrali, sed etiam in aliis civitatis Ecclesiis (1), omnia adamas-
sim persolvendo quæ in Cæremoniali Episcoporum, hac de re, præ-
scribuntur. Immo ipsum ad Ecclesiam divinorum officiorum causa cum
cappa accedentem, in ædibus Episcopalibus, vel pro loci ratione in
porta primaria Ecclesiæ a capitulo est recipiendus modo et forma sta-
tutis, et post Missam reducendus, juxta quod in eodem Cæremoniali,
et in Sacrorum Rituum Congregationis decretis statuitur.

IX. Quoniam vero officiis his publicis nemo cooperari potest abs-
que residentia, hinc nemo clericorum ultra tempus a concilio Tri-
dentino definitum a sua Ecclesia abesse licet, ultra tres scilicet men-
ses, nisi capitularia statuta longius servitii tempus requirant (2); sal-
vis tamen privilegiis a Romano Pontifice concessis, sive legitima con-
suetudine firmatis. Poterunt tamen canonici recessibus suis uti sive
intra, sive extra civitatem, dummodo, in hac manentes, choro inter-
sint Dominicis et diebus festis. Ita etiam per vices disponantur vaca-
tiones, ut numquam ultra tertiam partem abeant, ne debita frequentia
chorus fraudetur, et divini cultus honor imminuatur. Tempore Qua-
dragesimæ et Adventus, necnon in amplioribus anni festivitibus ne-
mini liceat vacationibus uti (3).

X. Sacrorum canonum observantiam circa residentiam et chori
servitium, necnon circa distributiones ab interessentibus tantum lu-
crandas, invigilare tenentur, præter ipsa capitula, etiam Episcopi.
Videant ergo ne qui ex illis a choro absentibus tamquam præsentibus
habeantur umquam, nisi, juxta canonicas sanctiones, adsit vere legi-
tima causa. Abusus quoad hæc, si forte alicubi irrepserint, adhibito
omni juris remedio prorsus tollantur. Singuli enim choro addicti, si
absque justa causa, statutis diebus et horis, quemadmodum pro-
prium munus postulat, ad divina officia persolvenda minime acce-
dant, non solum pro negligentia ratione culpam admittunt (4); verum
etiam juxta absentia diurnitatem sunt mulctandi, quavis collusio-
ne aut remissione exclusa (5); nam neque capitulum, neque Episcopus
possunt distributiones jure amissas condonare (6). Punctatores itaque
eligantur, qui de officio fidelissime adimplendo juramentum præ-
stent (7).

(1) S. C. Con. apud Ben. XIV, Inst. CVII, § 6. n. 36,

(2) Conc. Trid. sess. XXIV, cap. 12 De ref.

(3) S. R. C. 12 Jul. 1631.—Ben. XIV, Inst. CVII.

(4) Conc. Trid. sess. VI, cap. 2.—Sess. XXII, cap. 3 De ref.

(5) Sess. XXIV, cap 12 De ref.

(6) Bend. XIV. Inst. CVII. § 42 et seq.—S. C. C. 14 Dec. 1624.

(7) S. C. C. 4 Dec. 1706.—26 April. 1664. Bened. XIV. Inst. CVII.—De Syn. lib. IV.
c. 4 n. 2.

XI. Universi et singuli de Capitulo Prælatum suum uti patrem reveantur et diligant, eique debitam observantiam et obedientiam impendant. Consensum sive consilium, prout de jure, petenti, fideliter respondeat capitulum, omni partialitate exclusa, Dei gloriam, Ecclesiæ bonum, animarum salutem tantum intendens. Singulis annis tenentur capitula rationem Ordinario reddere de fabricæ cathedralis administratione (1).

XII. Canonici capitulariter congregentur bis saltem in mense, vel sæpius si opus fuerit; non tamen diebus festis quibuscumque, nec feriatis quidem tempore divinorum officiorum, nisi ex urgentissima et gravi causa (2). In his conventibus sententiam suam circa negotia quæ tractantur aperiant; sed postposito partium studio, fraterno amore omnia pertractent. Majoris momenti negotia, si unico conventu expediri, uti par est, non possint, in aliud capitulum maturiori judicio decernenda remittantur. Episcopus præterea, quoties in Domino expedire censuerit, capitulum congreget, ea moniturus quæ pro pastoralis officio, et bono Ecclesiæ dicenda seu præcipienda judicaverit. Jus quoque eidem competit capitularibus conventibus assistere et præsidere (3).

XIII. Quæ ad capitulares conventus, et divina chori officia, universamque cujusque Capituli disciplinam spectant, in statutis disponi et ad normam juris determinari singillatim et exacte oportet. Antiqua igitur statuta capitularia, juxta quod in novissimo jure stabilitum est, infra sex menses post præsentis Concilii publicationem examinentur et reficiantur, si nondum factum fuerit, et Episcopo exhibeantur, ut ab ipso approbentur.

XIV. Jubemus insuper ut in ipsis constitutionibus, vel earum appendicibus, norma quædam perspicua adjiciatur de chori disciplina, et ratione divina persolvendi officia, ex sacrarum Congregationum decretis, et probatis auctoritatibus desumenda, atque ex laudabili uniuscujusque ecclesiæ consuetudine.

XV. Verum nihil quidem constitutionum proficiet emendatio, si earum desit notitia et observantia. Quamobrem ut in hac provincia divinorum disciplina semper floreat et augeatur, mandamus, ut statutorum hujusmodi, cum emendata et probata fuerint, exemplar quisque canonicus, antequam præbendæ suæ possessionem ineat, accipiat et apud se retineat. Opportunum quoque erit, ut quoties capitulariter congregantur dignitates et canonici, aliqua statutorum pars publice

(1) Conc. Trid. sess. XXII, cap. 9 De ref.

(2) Vid. Ferraris. *Capitulum*. art. 1.

(3) Concord. 1851, art. 14.

perlegatur, unde facilius et memoria teneant, et opera religiose perficiant.

XVI. Universos et singulos de capitulis hortamur, ut peculiarem Ecclesiæ suæ curam gerant, ejus honorem ac decorem zelanter promovendo. Quodlibet canonicorum collegium suum archivium diligenter custodiat. in eoque ecclesiæ suæ monumenta ad normam Decreti Concilii Romani sub Benedicto XIII (1), et apte servari, et in die recondi curet. Bonum præcipue spirituale fidelium fovere studeant, constanter sacris concionibus interveniendo, Missam, quoad poterunt, in ipsa Cathedrali, atque ea quidem temporis distributione celebrando, ut fidelibus occasionem præbeant eidem cunctis matutinis horis antechorum assistendi, tum diebus festis, tum etiam ferialibus, et ad pœnitentiæ Sacramentum administrandum, maxime diebus festis, et eorum vigiliis, se paratos exhibendo.

XVII. Sede episcopali vacante, si nemo est cui a Sancta Sede Ecclesiæ administratio fuerit demandata, ordinaria Episcopi jurisdictionis ad Capitulum transit, a quo tamen transmitti debet absque ulla limitatione ad Vicarium Capitularem infra octo dies majoritate absoluta suffragiorum eligendum (2). Si capitulum Ecclesiæ suffraganeæ in mora fuerit, jus Vicarium nominandi ad Metropolitanum, et si Ecclesia Metropolitana vacante, Capitulum metropolitanum negligens fuerit, ad Episcopum suffraganeum antiquiorem devolvitur (3).

XVIII. Vicario Capitulari nihil in Diœcesi innovare fas est, nec episcopalibus jûribus ullo modo præjudicium ferre illi licet, et de administratione tenetur rationem reddere novo Episcopo ad sedem vacantem promotò (4).

XIX. Capituli est de morte Antistitis, et postea electo Vicario, Metropolitanum, aut Episcopum antiquiorem pro casuum diversitate certiore facere. Episcopo vita functo, omnia peragentur, quæ de ejus exequiis in Cæremoniali Episcoporum præscripta sunt; et continue, juxta ipsum, preces ad Deum offerantur pro opportuna novi Episcopi electione impetranda, qua obtenta, et certa de ipsa habita notitia, publice gratias Deo agantur in Cathedrali (5).

XX. Monemus denique capitulares omnes, ut charitatem fraternitatis super omnia diligant (6), quod est vinculum perfectionis (7), et legis plenitudo (8); eo magis quo certius est primam canonicorum institutionem huic virtuti innixam fuisse: unde S. Carolus Borromæus hisce

(1) *De fide instrumentor.* tit. 12 cap. 6.

(2) Conc. Trid. sess. XXIV, cap. 16 De ref. (3) *Id. id. loco citato.*

(4) Sess. XXIV, cap. 16 De ref. (5) *Cæremon. Episc. lib. III, cap. 28.*

(6) Hebr. XIII, 1. (7) Colos. III, 14. (8) Rom. XIII, 10.

verbis suos canonicos monuit: «Omnia agite pace mutua, concordi voluntate, et charitate fraterna vos invicem diligite. Canonici enim estis, qui sicut pro collegii ratione et antiquo instituto una in collegiata Ecclesia, uno quoque deinde in canonicali domicilio collocati fuistis; ita uno pacis et charitatis fœdere, unaque animorum consensione conjunctissimi, sicut nascentis Ecclesiæ ministri quorum erat cor unum et anima una (1), experiendo videte, sicut in psalmo scriptum est, quam bonum et iucundum sit habitare fratres in unum» (2). Si vero, quod Deus avertat, aliquando inter canonicos evenerint dissidia, quæ pacem perturbent, antequam in iudicium deducantur, et ne crescant scissuræ, duo viri eligantur prudentia et canonicæ disciplinæ scientia ornati, qui simul cum alio ab Episcopo deputando, causam agnoscant, et ex æquo et bono decident; illis tamen minime acquiescentibus, unusquisque jus suum apud iudicem deducat.

TITULUS IX.

De Capitulo Collegiali.

Præter cathedralia capitula, alia ab antiquo constituta fuere in aliquibus Ecclesiis celebrioribus ad augendum decorem et fructum divini cultus, et fidelium utilitati prospiciendum, quin tamen de jure consilium Episcopi et senatus Ecclesiæ dici possint, ideoque nec consensum nec consilium Episcopo præstent in rebus ecclesiasticis gerendis.

I. Una tantum cum extet collegialis Ecclesia in hac nostra provincia, ipsius Capitulum sibi dicta reputet quæcumque de vita et moribus, de servitio chori, de residentia, de statutis, de Ecclesiæ suæ et populi bono promovendo, deque charitate fraterna, et proprio Antistiti obedientia et honore præstandis superiori titulo edicimus, utpote sibi a sacris canonibus vel præcepta vel commendata, non aliter ac Capitulis Cathedralibus (3); nam illa istis æquiparantur in cunctis ad Dei cultum et Ecclesiæ honorem spectantibus.

TITULUS X.

De Beneficiatis.

Quum canonicorum numerus in majoribus Ecclesiis minime sufficeret ad omnes cultus divini functiones peragendas, et ecclesiastica munia obeunda, nonnullæ dividebantur præbendæ, quæ duobus vel

(1) S. Carol. Borr. orat. synod. (2) Ps. XXXII 1. (3) Tit. VIII.

tribus clericis tribuebantur ad augendum ministrorum numerum; unde illorum beneficia *portiones* et ipsi *portionarii* nomen acceperunt, in Hispania autem *Racioneros*. Alia etiam in Cathedralibus et Collegiatis Ecclesiis, et eundem in finem, sive ab Episcopis, sive ab aliis erant constituta beneficia.

I. Post deplorandas civiles vicissitudines, quibus suis bonis exoliata fuit Ecclesia, Concordato inito, omnia antiqua suppressa sunt, novaque inducta disciplina. Statutum est enim, ut, «præter dignitates et canonicos, ex quibus solummodo efformatur capitulum, Ecclesiæ cathedrales habebunt Beneficiatos seu capellanos adsistentes, cum proportionali ministrorum et inservientium numero (1): erunt etiam in singulis collegiatis Ecclesiis sex Beneficiati seu capellani adsistentes» (2).

II. Beneficiati igitur ad communis normam juris se in omnibus conformari tenentur; extinctis antiquis *portionariis*, nihil de eorum privilegiis subsistit. Unde beneficiatorum munera et officia in capitularibus statutis præfigi debent.

III. «Cum beneficia ad divinum cultum, et ecclesiastica munia obeunda sint constituta» (3), et cappellanorum adsistentium nomen habeant qui in cathedralibus et collegiatis illa obtinent, arcto vinculo capitulis devincti sunt, utpote illorum in sacris functionibus adjutores. Eos ergo monemus, ut dignitatibus et canonicis debitum obsequium præsentent, ac plena cum iis concordia incedant, ut et obedientia obsequentes, et charitati addicti in divini cultus splendore zelantes omnes conspiciantur.

IV. Residentiæ legi adstringuntur Beneficiati (4), ideoque regula et monita superius statuta, tam circa illam, quam circa chori servitium, distributiones percipiendas vel amittendas, et Ecclesiæ servitium, et ipsi pro suo quisque munere, servatis servandis, exquantur.

TITULUS XI.

De Archipresbyteris.

Quum Episcopi in singulis Dioecesis partibus simul morari minime possint, neque per se ipsos rebus omnibus invigilare, quibus intendere pro munere suo debent, adjutores ab antiquis jam temporibus eligere consueverunt, qui non ex proprii officii jure, sed ex mandato

(1) Concord. 1851 art. 16. (2) Id. art. 22.

(3) Conc. Trid. sess. XXI, cap. 3 De ref. (4) Sess. XXIV, cap. 12 De ref.

seu delegatione, in assignata sibi Diœcesis parte aliquam exercebant jurisdictionem, vicariorum foraneorum, decanorum, archipresbyterorum nomen accipientes. Magni profecto momenti est illorum officium ad diœcesim bene administrandam; sunt enim velut speculatores domui Israel dati, qui sacrorum canonum et Episcopalium constitutionum observantiam urgeant; ecclesiasticam disciplinam pro viribus tueantur, minora ac frequentiora negotia, pro tributa sibi facultate expediant, majora ad Episcopum referant. Quo præstantius ergo est illorum officium, eo major esse debet in illo exequendo diligentia.

I. Tales ad hoc gravissimum officium eligantur viri, qui «sint doctrina, pietate, ac prudentia præditi, qui pro Deo et propter Deum evangelium non erubescant, sed de clericorum et laicorum vita ac moribus, et quomodo parochi aliique animarum rectores in pastoralis officio se gerant, diligenter inquirent, et in lanternis scrutentur, ad Episcopos fideliter delaturi, num clerus et populus, ut decet, vivant, num propriis in Ecclesiis cultus adhibeatur, num supellex sacra præcipue, debito nitore conservetur, et visitationum decreta suæ sint executioni mandata (1), aliaque omnia peragere quæ ipsis ab Episcopo demandentur pro faciliiori diœcesis regimine, et ecclesiasticæ disciplinæ observantia.

II. Archipresbyterorum electio ad Episcopum pertinet, et ad nutum sunt amovibiles, etsi opportunum sit eos constituere in locis ubi curia civilis pro prima judiciorum instantia habetur, uti statuitur in decretis, quæ pro Concordati executione data sunt collatis consiliis cum apostolico Nuntio (2). Antequam officium sumant electi Archipresbyteri, fidei professionem emittant coram Episcopo vel generali Vicario, necnon juramentum de munere recte fideliterque adimplendo.

III. Officium sibi demandatum diligenter et conscientiose sine personarum acceptione exequantur juxta Ordinarii instructionem et mandata, synodalia statuta, et legitimas consuetudines. Momentum sui muneris sedulo sæpiusque expendant, ut iis, quibus honore et potestate præsent, obedientia præire studeant, atque disciplinæ universæ ita sese præbeant executores, ut vere dicantur, et sint oculi et aures Episcopi, ejusque Vicarii, per quos Episcopus quæ ad religionis incrementum conducunt intelligat, quæque emendatione et ordinatione indigent, opportuno et salutari remedio sanet.

IV. In sua assidue vigilantes specula, parochorum vitam et mores jugi circumspectione custodiant (3), atque prospiciant an in

(1) Conc. Rom. tit. VII, cap. 2. (2) 21 Nov. 1851. (3) Cap. IV, de off. Archipresb.

prædicatione Evangelii, in doctrina edocenda, in Sacramentorum administratione, aliisque sui muneris partibus explendis recte, diligenterque se exercent.

V. Operam dantes ut omnes, qui in sortem Domini vocati sunt, ministerio respondeant, si quos in vocatione vel officio peccare cognoverint, summa charitate et prudentia prompte et libere admoneant; ac si res gravius remedium exigere videatur, eam ad Episcopum vel Vicarium Generalem referant (1). Unde eis vehementer commendamus, ut frequentem cum ipso Episcopo habeant rerum et consiliorum communicationem, ex qua unice fieri potest, ut, quæ ad parochiarum procurationem, cleri, populique morum sanctitatem spectant, fauste feliciterque procedant.

VI. Regionis seu districtus sibi concrediti visitationem quotannis exequantur, ut si ab Episcopo visitatio peracta fuerit, post sex menses ab hac lustratione transactos, ut quæ ab ipso notata et præcepta fuerunt fideliter observentur, abusus et excessus corrigantur, omniaque rite in Ecclesiis peragantur. Nihil tamen contra synodalia statuta, aut Episcopi præscriptiones disponant, et de ipsa sua visitatione huic post mensem rationem in scriptis reddant. Ut felicius ac facilius hoc munere fungantur, Archipresbyteros monemus, ut paterna charitate ac prudenti zelo omnes amplectantur, et modestissime se gerant in omnibus, ne cuiquam oneri aut scandalo existant (2).

VII. Quod si aliquo obstaculo impediuntur, quominus visitationem exequi possint, ipsis quidem non licet alium delegare, sed Episcopum tempestive de hac re certiores faciant, qui per visitatorem speciali mandato vocatum, vel prout opportunum censuerit providebit.

VIII. Singulis annis ab Episcopo convocati Archipresbyteri omnes, ut super ea quæ decursu anni observarunt opportunas dispositiones edat, curent exactam et plenam de rerum statu in suo uniuscujusque districtu relationem, tempore quo ante ipsam congregationem indicabitur, ad Episcopum transmittere.

IX. Parochos, aliosque sui districtus sacerdotes graviter ægrotautes visitent et consolentur, curamque gerant, ut sacramentis opportune muniantur, ac de stipendiis nondum persolutis, aliisque de re ecclesiastica, vel domestica ordinandis, mature et juxta sacros canones disponant.

X. Curent etiam ut, infirmitate durante, ab aliis regionis parochis turnatim visitentur sacerdotes ægrôtantes, ut mutuis adhortationibus et charitatis fraternæ verbis et auxiliis ædificentur, bonumque fidelibus præbeant exemplum.

(1) Cap. VII. *De off. Archidiacon.* (2) Conc. Trid. sess. XXIV. De ref.

XI. Cum aliquis ex parochis supremum diem obierit, convocatis, si fieri potest, cæteris sui districtus animarum curatoribus, Archipresbyter, cui nisi alia legitima viguerit consuetudo, vel probata concordia, jura sepeliendi et exequias celebrandi competunt, funeris justa peragat.

XII. Vacante parochia, Archipresbyteri est animarum curam sacerdoti approbato administrandum committere, atque Episcopum certiozem facere, ut ipsum confirmet, aut alium mittat ad parochiale munus adimplendum. Adscitis idoneis testibus, consignet res parochiæ; libros, scripta, supellectilem, aliaque omnia tuto loco deponat, duplicem indicem seu inventarium conficiens, cujus exemplar œconomus tradat, aliud vero in suo archivio custodiat.

XIII. Archipresbyteri erit parochos, et parochorum rectores in muneris rite adepti possessionem inducere, ea quæ in statutis synodalibus forma præscribatur.

XIV. Ubi aliqua necessitatis causa postulet, ut die Dominica, seu festo sacerdos bis sacrum faciat, quin tempus ad Episcopum recurrendi suppetat, facultatem istam tribuat Archipresbyter. Pro singulis tamen casibus quibus hac utatur potestate, statim ad Episcopum referre tenetur.

XV. Parochis, aliisque curam animarum gerentibus permittere possunt Archipresbyteri, ut ex rationabili causa, et provisione facta de sacerdote qui eorum vices suppleat, a parochia per sex ad summum dies absint. Ad Episcopum tamen de licentia concessa referant.

XVI. Eisdem etiam tribuimus, ut, necessitate urgente, presbyteris facultatem pœnitentiæ sacramentum administrandi, vel Missam celebrandi licentiam rite obtentam in quindecim dies prorogent, necnon ut extradiœcesano sacerdoti, litteris formatis Antistitis sui munito, celebrandi licentiam in octo dies tribuant, qui tamen omnes ad Episcopum illico recurrere debent.

XVII. Archipresbyteri facultatem habent absolvendi in casibus Episcopo reservatis, et intra districtus sui limites peragendi benedictiones in quibus de jure chrismatis unctio minime requiritur. Quoad alias facultates quæ ipsis tribui contingat, tam pro foro conscientiæ, quam etiam pro agendi ratione in aliquibus fori externi causis, quæ ab Episcopo vel Vicario generali ipsis Archipresbyteris committantur, specialis in unaquaque Diœcesi ab Episcopo fiet constitutio, peculiaribus attentis circumstantiis, et locorum necessitatibus.

TITULUS XII.

De Parochis.

Nobile atque fructuosum est officium parochorum, quibuscum Episcopi, jam multis abhinc sæculis curam animarum sibi creditam partiuntur (1).

I. Insignem inter Christi ministros et dispensatores mysteriorum Dei occupant locum, sed et maximis, gravissimisque tenentur officiis et obligationibus erga fidelem populum ipsi ab Episcopis commissum. Eorum munus in primis inde tam grave esse conspicitur, quod apud illam, cui præsent, gregis partem fere soli plerumque Ecclesiæ personam agant, et ipsi sint ex quibus fideles et infideles religionis vim et efficaciam metiri soleant. Hinc est, quod ven. mem. Pius IX frequenter de parochis in suis apostolicis litteris ad Episcopos sermonem habuerit, et ad mentem sacrosancti Concilii Tridentini dicentis «expedit maxime animarum saluti a dignis atque idoneis parochis gubernari» (2), omnes Ecclesiæ Præsules his gravissimis verbis admoneat: «Neque vero ignoratis, majori diligentia vobis in illorum præcipue mores et scientiam esse inquirendum, quibus animarum cura et regimen committitur,.... ut ipsi tamquam fideles multiformis gratiæ Dei dispensatores plebem sibi concreditam sacramentorum administratione, divini verbi prædicatione, ac bonorum operum exemplo continenter pascere, juvare, eamque ad omnia religionis instituta ac documenta informare, atque ad salutis semitam perducere studeant. Intelligitis nimirum parochis officii sui ignaris vel negligentibus, continuo et populorum mores prolabi, et christianam laxari disciplinam, et religionis cultum exolvi atque convelli, ac vitia omnia et corruptelas in Ecclesiam facile invehi» (3).

II. Summopere igitur nitendum est, ut de moribus et de sufficientia eorum quibus vacantes parochiæ conferendæ erunt, locorum Ordinarii certam sibi procurent cognitionem, quod fieri debet publico indicto concursu, et servatis præscriptionibus Tridentini Concilii, et Benedicti XIV (4). Hunc in finem ipsamet Tridentina synodus præcepit sex saltem examinatores per Episcopum proponi in Synodo diocesana, qui huic satisfaciant, et ab ipsa probentur, ut coram Episcopo, vel ejus Vicario Generali, atque Examinatoribus Synodalibus

(1) Ben. XIV. *De synod. diæces.* lib. V, cap. 4.

(2) Conc. Trid. sess. XXIV, cap. 18. De Ref.

(3) Encycl. *Qui pluribus* 9 Nov. 1846. (4) Const. *Cum illud* 14 Dec. 1742.

saltem tribus, quos ex prædictis illis sex libere eligit Episcopus, examen tam scientiæ quam vitæ et morum subire debeant omnes, qui vacans beneficium parochiale obtinere cupiunt (1).

III. Provisi de beneficio curam animarum adnexam habente, antequam investiantur, in manu Episcopi vel Vicarii Generalis tenentur publicam elicere professionem orthodoxæ fidei, juxta formulam præscriptam, et in Romanæ Ecclesiæ obedientiam permansuros (2), ac legitimo suo Ordinario parituros, munus parochiale fideliter adimpleturos, et temporalia beneficii et Ecclesiæ parochialis conservaturos juramento spondere.

IV. Canonice instituti ex constitutione S. Pii V (3), intra bimestre corporalem quoque sui installationem procurare obligantur, quam populo prævie significari debet, ac solemniter, quantum liceat, fieri per Archipresbyterum.

V. Ex quo parochiam sibi creditam ingrediantur, serio meditentur gravissima hæc sacrosancti Concilii Tridentini verba: «Præcepto divino mandatum est omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique divini prædicatione, sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere; pauperum, aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, et in cætera munia pastoralia incumbere (4).

VI. Ut boni pastores ovibus sibi creditis jugiter advigilantes, atque pro illis parati se ipsos impendere et superimpendere (5), animamque suam ponere (6), legem residentiæ fidelissime observent. Perpetuo igitur et personaliter in parochia resideant, nisi aut christiana charitas, aut urgens necessitas, aut debita obedientia, aut alia quævis legitima causa illos abesse sinant (7); tunc vero attente provideant, ne ex absentia, quantumvis brevi, ullum detrimentum patiantur parochiani.

VII. Si non plus quam sex dies abesse necesse habeant, licentiam ab Archipresbytero impetrent, idoneumque substitutum relinquant. Veniam longioris absentiæ, scripto et gravi dumtaxat ex causa dandam, ultra bimestre concedere neque Episcopo integrum est (8), et numquam sacris Adventus et Quadragesimæ diebus, ac in festis Ecclesiæ solemnioribus, quibus refici maxime et in Domino gaudere debent oves pastoris præsentia (9). Sciant etiam a residentia eos non

(1) Sess. XXIV. (2) Conc. Trid. sess. XXIV, cap. 2. De ref.

(3) Const. *In conferendis* 18 Mart. 1567. (4) Sess. XXIII, cap. 1. De ref.

(5) 2. Cor. XII, 15. (6) Joann. X, 11. (7) Conc. Trid. sess. XXIII.

(8) Ibidem. (9) Ben. XIV, Inst. XVIII.

eximere neque ætas senilis (1), neque parvus parochianorum numerus (2), nec aeris intemperies (3), studiorum ratio (4), nec pestilentia (5) neque inimicitia (6), nisi indulto apostolico dispensentur; alioquin, ut declaravit Tridentina Synodus, mortalis culpæ erunt rei, et fructus illius temporis quo abfuerunt jure percipere minime poterunt (7). Residentia denique non materialis dumtaxat, sed formalis, id est, laboriosa esse debet (8), ad quam tenentur Episcopi per censuras ecclesiasticas, etiam usque ad privationem beneficii, contumaces compellere (9).

VIII. Ex supra citatis Concilii Tridentini verbis, oves suas agnoscere debent parochi ad exemplum boni pastoris Christi Jesu, qui dicebat: *Ego cognosco oves meas* (10), et juxta quod in Proverbiis legimus: «diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosque greges considera» (11); ut omnes, videlicet, et singulos in parœcia degentes, eorumque conditiones, necessitates, indolem, vitam, moresque cognitos et exploratos habeant. Hanc cognitionem habentes poterunt, uti debent, quod est infirmum consolidare, quod ægrotum sanare, alligare quod confractum, quod abjectum reducere, et quod perditum requirere et recuperare (12).

IX. Quod facilius et exactius consequi poterunt, si quotannis accuratissime conficiant censum animarum, per se ipsos, et si legitima gravique causa impediti fuerint, per alium sacerdotem ab ipsis eligendum, omnes familias visitantes, ut sciant quod in unaquaque illarum adsint communicantes, vel confirmandi, vel in aliquo corrigendi, seu monendi et juvandi. Libros quoque baptizatorum, confirmatorum, nubentium, et defunctorum bene compactos habeant, in quibus, præscriptis verborum formulis, diligentissime de vice in vicem, et sine mora, nomina, cognomina, cæteraque annotanda describant.

X. Quum præcepto divino teneantur pro ovibus suis sacrificium offerre (13), mandamus, id religiosissime fieri ab omnibus, qui animarum curam, sive titulo perpetuo, sive ad tempus seu ut œconomi et vicarii, curam animarum exercent, Missam *pro populo* applicantes singulis Dominicis, aliisque de præcepto diebus festis (14), etiam

(1) S. C. C. 6 April. 1647. (2) Id. 3 Oct. 1661. Ben. XIV, loc. cit.

(3) S. C. C. 7 Jul. 1646. (4) Id. 1 Dec. 1594.

(5) Ben. XIV. De Syn. Diœc. lib. XIII, cap. 19, n. 1.

(6) S. C. C. 7 Sept. 1757, 4 April 1851.

(7) Conc. Trid. sess. XXIII, cap. 1. De ref. Ben. XIV, Inst. XVII.

(8) Ben. XIV, Inst. cit. n. 16. (9) Conc. Trid.... (10) Joann. X, 14.

(11) Prov. XXVII, 23. (12) S. Car. Borr. Conc. Prov. I. Ezech. XXXIV, 4.

(13) Conc. Trid. sess. XXIII, cap. 1 De ref.

(14) Ben. XIV, const. *Cum semper* 19 Aug. 1744. S. C. C. 28 Mart. 1801 et pluries.

suppressis (1). Hæc autem gravissima obligatio ita parochi propria est, ut tantummodo in casu infirmitatis per alium satisfacere possit; nec ei fas sit alicui benefactori Missam applicare, et in alium sacerdotem transferre onus celebrandi pro populo (2), cum hæc applicatio recensatur inter pastoralia munera, quæ parochi ratione officii incumbunt (3); neque diebus festis, præsentem cadavere, celebrare Missam pro defuncto, neque pro functione alicujus confraternitatis, in aliam diem transferendo Missam *pro populo* applicandam (4). Debet etiam parochus Missam hanc celebrare in propria parochiali Ecclesia (5), et tantum, cum ob causas graves legitime absit, poterit ibi pro populo applicare ubi actu commoretur, dummodo in Ecclesia parochiali non desit alius sacerdos, qui Missam celebret, et fidelibus explicet Evangelium (6). Numquam ergo licebit parochis Missam propria auctoritate in alium diem transferre; sed si quis huic obligationi adimplendæ impar sit absque gravi incommodo, Episcopum adeat, qui ejus inopiæ, juxta propositum a Benedicto XIV modum consulere poterit (7).

XI. Episcopi vero juxta Sacrarum Congregationum decreta instruant parochos, qui duas parœcias regunt, et illos quibus legitima de causa bis in diebus festis Missam celebrare concesserint, quomodo se gerere debeant tam in celebratione, quam in applicatione. Effundant insuper parochi quotidianas ad Deum preces et orationes pro grege sibi commisso, ut vere deprehendantur ministri et cooperatores Sacerdotis Æterni, qui et semetipsum quotidie offert hostiam pro peccatis, et semper vivit ad interpellandum pro nobis (8). Unde eos cum Tridentino Concilio monemus, ut tam frequenter, etiam per hebdomadam, Missam celebrent, ut muneri suo satisfaciant (9).

XII. Gravissima inter parochorum munera adnumeratur verbi divini prædicatio, ad quam, diligenti studio et pastorali zelo peragendam tenentur diebus saltem Dominicis et festis, ac frequentius in Quadragesima et Adventu (10), quin in contrarium valeat consuetudo, quæ damnanda potius dicenda est corruptela (11). Sedulo igitur cogitent, hoc esse vitæ spiritualis pabulum, fidei principium, bonorum operum fundamentum, ex quo incrementum recipiunt fideles, ut uberiores poenitentiae ac pietatis fructus in christiano populo fieri videamus.

XIII. Hanc ergo urgentissimam obligationem ab omnibus, qui curam animarum gerunt, diligentissime adimpleri præcipimus in virtute

(1) Pius IX Const. *Amantissimi* 3 Maji 1858. (2) Ben. XIV Const. *Cum semper*.

(3) Innoc. XII Const.... 24 April 1699. (4) S. C. C. 16 Jun. 1770.

(5) Id. 15 Sept. et 17 Nov. 1629. (6) S. C. C. in pluribus decretis.

(7) Const. *Cum semper*. (8) Heb. VII, 25.

(9) Conc. Trid. sess. XXIII, cap. 14 De ref. (10) Conc. Trid. sess. V, cap. 2 De ref.

(11) Innocent. XIII, Const. *Apostolici ministerii*.

sanctæ obedientiæ, ac sub pœnis ad juris normam infligendis (1), et quidem per se ipsos (2), nisi legitimo impedimento detineantur; tunc enim per alium sacerdotem idoneum proprium implere debent officium (3).

XIV. Ad prædicandi munus accedit officium pueros et rudes, immo fideles omnes christianam docendi doctrinam, quod Dominicis et festis diebus similiter urget omnes animarum curatores (4). Ut duo hæc gravissima munera fructuose perficiant, meditentur parochi, et ut sibi speciatim dicta habeant quæ suo loco de utrisque dicemus.

XV. In sacramentis administrandis diligentissime se gerant. Non difficiles aut tardi sint, nec aliquem inurbanis et asperis verbis deterreant et repellant (quod certe dolendum ac puniendum foret), sed libenter et alacres accedant, omnes paterna charitate excipiant, immo Jesu Salvatoris exemplum quodammodo imitantes, ipsi oves perditas quærant, et obviam eant.

XVI. Ideo diebus festis, et in solemniorum vigiliis, ad confessionales sedes ultro veniant, ibique per aliquod temporis spatium expectantes permaneant. Præ oculis vero habeant, Baptismum, Communionem paschalem, Viaticum et Extremam Unctionem ministrare proprii illorum muneris esse, et invalida esse matrimonia quæ coram proprio parochi, vel ejus delegato non fiunt.

XVII. Peculiari cura et charitatis sollicitudine præsto sint ægrotis, præsertim in vitæ discrimine constitutis. Ad sacramenta ipsis ministranda vocati promptissime accurrant: immo si aliquem scierint graviter infirmari, non spectent quod vocentur, sed ultro ad eum accedant, consolentur, instruant, et, quod maxime interest, sacramentis comuniant, cavendo ne hæc spiritualia subsidia, medicorum negligentia, aut cognatorum stulta commiseratione, tardius, et fere ob morbi ingravescentis excessum, inutiliter, vel minus fructuose percipiant. Nec obliviscantur, ubi extrema salutis necessitas intercedat, teneri etiam cum vitæ discrimine, ovibus suis sacramenta ministrare (5).

XVIII. Meminerint etiam, oportere ut ægrotis vita periclitantibus absolutio sacramentalis sæpius concedatur, quamvis jam pro suscipiendo Viatico confessi fuerint, et etiam Extrema Unctione roborati, et hoc, licet nullius lethalis culpæ conscientiam habeant, vel loquendi usu sint privati, juxta quod doctores docent, præsertim S. Alphonsus de Ligorio.

(1) Conc. Trid. sess. XXIV, cap. 4 De ref.

(2) Id. id. S. Cong. Conc. 27 Jul. 1626. 16 Sept. 1645.

(3) Conc. Trid. sess. V, cap. 2 De ref. (4) Id. sess. XXIV, cap. 4 De ref.

(5) Ben. XIV De Syn. Diœc. lib. XIII, cap. 10. S. Carol. Borr. Con. Prov. V.

XIX. Neque se pastoris muneri satis functos existiment parochi, nisi «pauperum, aliarumque miserabilium personarum paternam curam gerant» (1). Pro reddituum igitur facultate, eleemosynam præbeant petentibus; immo inquirent studiose de pauperibus occultis, præsertim puellis, ægrotis, et senio confectis, et ab stipe roganda pudore deterritis, atque hisce ultro pro viribus subveniant, ac si per se impares inveniuntur necessitatibus sublevandis, egenorum causam agentes enixe pro iis divitum subsidia implorent.

XX. Omnibus demum omnia fiant, ut omnes Christo lucrifaciant, et quo consilio, qua consolatione, qua opera satagant, ut tam animæ quam corporis miserias, quantum possint, extenuent et auferant.

XXI. Caveant summopere parochi ad inordinato parentum et cognatorum amore, unde «multorum malorum in Ecclesia seminarium stat» (2). Quamvis igitur ex illis sint quos in parochialem domum excipere sacri canones et synodalia statuta permittant, non tamen recipiant, nisi bonis moribus commendentur, et pastoralium munerum implemento, debitoque parœciæ regimini impedimenta non inferant. Meminerint, per ecclesiasticas leges «omnino interdicti studium augendi consanguineos et familiares ex Ecclesiæ redditibus» (3); sed si pauperes sunt, iis ut pauperibus, sicut et cæteris parochianis egentibus distribuant, Ecclesiæ redditus non distrahentes nec dissipantes illorum causa.

XXII. Illud etiam præ oculis habeant, qui, nulla interveniente legitima causa, translationem ad pinguiora beneficia non raro petunt, eos non gregem, ut boni pastores, sed mercenariorum more, lac potius et lanam diligere facile convinci: unde ut ab omni avaritiæ specie, et ab improbandis sane hujusmodi petitionibus abstineant, omnes in Domino hortamur.

XXIII. Ecclesiam, cui præfecti sunt, ut sponsam diligant, curamque gerant ut nihil ex illius bonis et redditibus dispereat, aut indebite insumatur; ut sacræ functiones rite obeantur, iisque horis, quæ non tam parochi quam populi commodo, et quantum fieri potest, honestis desideriis respondeant; ut ecclesiastica suppellex conservetur et augeatur, memoria tenentes quod quotidie ore proferunt: *Domine, dilexi decorem domus tuæ* (4).

XXIV. Nec possumus hic, quin redarguamus illorum desidiam et negligentiam, qui, arduis quibusque officiis in coadjutorem rejectis, inertio otio indulgent, faciliora sibi vindicant, et dum per se ipsos, uti cum Tridentinis Patribus ediximus, animarum curam, tamquam boni

(1) Cond. Trid. sess. XXIII, cap. 1. De ref. (2) Id. sess. XXV, cap. 1 De ref.

(3) Conc. Trid. sess. XXV, cap. 1 De ref. (4) Id. id.

pastores exercere tenentur, alieni laboris spectatores magis quam Ecclesiæ rectores existunt. Liceat illis adiutorem habere: habeant omnino ubi frequentia populi id requirat; at munera quæ sibi, fideique suæ concredita fuere, quantum cujusque vires ferre poterunt, ipsimet obeant.

XXV. In sua agendi ratione maximam prudentiam præ se ferant parochi, considerantes non omnia quæ licent et bona sunt semper expedire. Hinc nec usus receptos immutare, nec ipsos abusus, si inveniati sunt, corrigere aggrediantur, nisi admodum caute, et consulto antea Episcopo. «Quos in mandatis Domini delinquentes, atque a veritatis via et justitiæ aberrantes invenerint, haud omittant eos in spiritu lenitatis et mansuetudinis, paternis monitis et consiliis, corripere atque arguere, obsecrare, increpare in omni bonitate, patientia et doctrina, quum sæpe plus erga corrigendos agat benevolentia quam austeritas, plus exhortatio quam comminatio, plus charitas quam potestas (1). Illud etiam totis viribus præstare contendant, ut fideles charitatem sectentur, pacem inquirent, et quæ charitatis et pacis sunt sedulo exequantur, quo cunctis dissentionibus, inimicitis, æmulationibus, simultatibus penitus extinctis, omnes se mutua charitate diligant, atque in eodem sensu, in eadem sententia perfecti sint, et idem unanimes sentiant, idem dicant, idem sapiant in Christo Jesu Domino nostro» (2).

XXVI. Frequenter demum secum recogitent, nihil animarum curatori profuturum esse universos lucrari, si se ipsum perderet; ideoque ut se ipsos salvos faciant, et fideles qui eos audiunt, juxta monitum Apostoli, attendant sibi et doctrinæ (3). Attendant primum sibi, atque in via Domini ambulare studeant, ut verbo et exemplo possint quibus præsumt proficere, ne illis, ad justitiam alios erudientibus, dici liceat: *medice, cura te ipsum* (4). Sint in oratione assidui, ut divinæ gratiæ lumen eis semper affulgeat. Non a malo tantum, sed ab omni etiam specie mali abstineant (5), nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum (6). Caveant non modo ne quid contra committant, sed etiam ne quid omittant: quum in sacerdotali vita, pro muneris ratione, graviore longeque plures quam in cæteris esse possint omissionis culpæ. Justitiam, pietatem, charitatem, patientiam, mansuetudinem sectentur (7): virtutes, uno verbo, quas in populo cupiunt inserere, ipsi antea suo exemplo referant, et studiosius colant, ut unicuique eorum fidelibus dicere fas sit: *imitatores mei estote, sicut et ego Christi* (8).

(1) S. Leo Epist. XIV, C. 1. (2) Pius IX, Encycl. *Qui pluribus* 9 Nov. 1846.

(3) I. Timoth. IV, 16. (4) Luc. IV, 16. (5) I. Thes. V, 22.

(6) 2. Cor. VI, 3. (7) I. Tim. VI, 11. (8) I. Cor. IV, 16.

TITULUS XIII.

De Coadjutoribus.

I. Etsi parochi, nisi senio aut infirmitate impediuntur, muneris sui partes implere debeant, ea per se ipsos præstantes quæ privative ad eos pertinere jus ecclesiasticum decrevit, nec non alia quæ ex pastoralis officii ratione eisdem incumbunt, tamen si soli non sufficiant, tot illis sacerdotes adjungi oportet ex Concilii Tridentini præcepto, quod pro parochianorum numero, et locorum conditione, ad curam animarum recte peragendam requirantur (1), ac ita fieri debet in regione nostra, juxta quod in novissimo Concordato, et regulis pro parochiarum ordinatione traditis statutum fuit.

II. Licet etiam parochis senio vel infirmitate confectis, quamvis minor sit populus ut ex Concordati jure coadjutor ei competat, coadjutorem seu Vicarium per se eligere, qui, approbante Episcopo, et juxta conventionem cum parochio initam de mercede ab ipso percipienda, eidem in pastoralis munere exequendo auxilium præstet.

III. Sciant coadjutores non sibi sed parochi animarum curam directe esse concreditam, ipsorumque officium in eo consistere, ut parochi auxilientur in adimplendis suis obligationibus, et ut illius vices gerant cum necessitas aut justa ratio exigat. Nullam igitur sibi vindicent auctoritatem disponendo de iis quæ solum ad parochum pertinent. Obedientiam illi præstent in omnibus quæ ad pastorale munus spectant, et si plus æquo se gravari existiment, ipsi placide, humiliter et opportune rem exponant, ac si opus fuerit, ad Archipresbyterum, vel ad Episcopum deferant, quin interim ab obedientiæ debito se solutos credant.

IV. Lege residentiæ coadjutores non aliter ac parochos adstrictos declaramus. Etiam quum non usque ad triduum abesse a parochia, justa de causa, velint, licentiam a parochi impetrent; si ad sex dies ab Archipresbytero; ab Episcopo autem si diutius perdurare absentiam oporteat.

V. Quæ ipsis committantur, sive ab Episcopo, cujus erit eorum obligationes et jura, prout locorum et casuum adjuncta postulent definire, sive a parochi, solerter adimpleant. Sint in administrandis Sacramentis, et præsertim in audiendis confessionibus diligentes, et assidui: infirmorum visitationi speciali charitate incumbant: in doctrina christiana pueris et rudioribus explicanda solliciti: in prædicatione verbi divini veri parochi auxiliares. Missam hora a parochi statuta

(1) Sess. XXI, cap. 4 De ref.

in parochiali Ecclesia, numquam extra ipsam absque illius licentia celebrent, atque in promovenda fidelium pietate, et templi ac divini cultus decore omnem semper curam adhibeant. Hæc facientes, erunt de Ecclesia benemeriti, nosque, in parochiis publico concursu conferendis, labores eorum existimabimus, præ oculis habentes tempus, zelum ac diligentiam quibus in coadjutorum munere inservierunt.

VI. Erga parochianos humaniter et comiter se gerant, nec quidquam agant ex quo proprii ministerii honor et auctoritas in fidelium æstimatione decrescat. Illorum domus, nisi ex officio, aut cum parochio, ne nimium frequentent, præsertim eorum quos erga parochum minus bene affectos fortasse noverint.

VII. Utilissimum foret, ac summopere optamus, coadjutores quantum fieri possit cum parochis simul habitare; ejusmodi enim contubernio et assidua vitæ consuetudine, si charitas christiana viget, facile præcluditur via dissensionibus, unitas in regimine procuratur, et juniores sacerdotes, veluti quodam tyrocinio, ad ministeria omnia rite peragenda aptiores efficiuntur.

VIII. Ubi duo vel plures sint coadjutores, pari studio in id intendant, ut in omnibus se invicem auxilientur, fraterna concordia animarum bonum procurent sive turmatim, sive in parte unicuique assignata officium suum expleant, prompti alacrique animo alterius, quoties impeditus fuerit, vices agentes, ne detrimentum fidelibus obveniat.

IX. Parochi uti fratres ac filios coadjutores existiment et diligant, miti ad benevolo animo complectantur, ad sacerdotales virtutes et ad parochiale munus rite exercendum informant, consiliis juvent, in adversis consolentur, in difficultatibus ac laboribus omni charitate confirmant, maxime vero honore prosequendos coram populo curent.

X. Parochus denique, eorumque coadjutores in Domino hortamur, ut sicuti in unum finem, salutem scilicet animarum commune ipsis ministerium tendit, ita unus sit in eis spiritus, quo inter se mutuo juvamine et auxilio, fideli autem populo utilitati et ædificationi esse studeant in vinculo pacis.

TITULUS XIV.

De Capellanis monialium, hospitalium et carcerum, ac de cæteris presbyteris.

I. Cum parochi, etiam coadjutorem habentes nequeant omnibus institutionibus in parœcia existentibus sufficienter providere, capellani designantur, qui, ab Episcopo electi, vel probati a patronis nominantur, et peculiarem curam habent sive monasteriorum, sive juvenum

in religiosis collegii degentium, sive infirmorum et ægrotantium in xenodochiis, sive orphanorum vel senium in hospitiiis, sive detentorum in carceribus. Non quidem parochi sunt, sed in quibusdam parochis assimilati certa et determinata munia exercent, juxta quod ab Episcopo ordinetur pro sua prudentia et pro locorum ac institutionum natura, ideoque caveant ne præscriptos limites prætergrediantur.

II. In specie autem cappellanis monialium competit jus ministrandi Sacramenta (illo pœnitentiæ excepto, nisi earum confessarii simul fuerint) iis qui in monasterio degunt, iisdemque aquam, cineres, ramos candelas rite benedictas distribuendi, ac defunctorum monialium exequias peragendi (1); non tamen monasterium ingredi ut Missam celebrent (2), neque prætextu comitandi medicum, chirurgum, vel operarios (3), neque sepulturæ tradendi cadaver alicujus monialis, aut officia funeralia peragendi, nisi de Ordinarii licentia in singulis casibus (4) neque alia obire, quæ officium suum, scilicet functiones ecclesiasticas excedat, sub pœna remotionis (5).

III. Capellani pro hospitalibus, orphanotrophiis, et carceribus electi, magno zelo ac diligentia invigilent et pro viribus adlaborent ut qui corpore premuntur, animæ salutem in securo positam habeant. Ægrotos, et detentos sæpe invisant, et christianis adhortationibus solentur; si forte rerum fidei eos ignaros invenerint, patienter instruant de necessariis ad salutem; pueros paterna charitate edoceant, et omnia spiritualia peragant officia, quæ ad animarum curatores spectant, præsertim cum infirmis in extremo agone luctantibus.

IV. Uti vice-Parochi jus habent ministrandi Baptismum infantulis expositis (6); jus quoque habent ministrandi infirmis Sacramenta Pœnitentiæ, Eucharistiæ et Extremæ Unctionis; non vero Matrimonii, nisi specialiter in singulis casibus ab Ordinario, vel a Parocho fuerint delegati (7). Officium denique sepulturæ eis competit, ratione officii quasi parochialis, quo tenentur, pro infirmis tantum in hospitali, aut in orphanotrophio vel hospicio morientibus (8).

V. Presbyteri, quibus nullum speciale officium commissum fuerit, omnesque clerici cujuscumque ordinis ex antiquorum Ecclesiæ Hispaniæ canonum (9), Tridentinæ Synodus (10) et Innocentii XIII Bulla, *Apostolici ministerii* præscripto, alicui Ecclesiæ ab Ordinario adscribi

(1) S. Congr. Conc. 23 Aug. 1727. (2) S. Cong. Episc. et Reg. 16 Jul. 1683.

(3) Id. 13 Sept. 1583. (4) Id. 11 Aug. 1610. 2 Mart. 1855.

(5) Ferraris, *Capellan. Monial.* (6) S. Cong. Conc. 22 Febr. 1865.

(7) Sac. Cong. Conc. 11 April. 1651. Card. De Luca: *De parochis* Dissert. 24. n. 18.

(8) Card. De Luca loco citato.

(9) Conc. Tolet. (anno 400) can. V, Concil. Valentin. (546) Can. V et VI.

(10) Sess. XXIII, cap. 16. De ref.

debent, atque in ea, *tametsi beneficia vel officia ecclesiastica non habentes*, inservire tenentur, et diebus festis superpelliceo induti Missæ conventuali cum cantu celebratæ, aliisque functionibus assistere (1). Hæc stricte observanda decernimus, atque præterea, ut qui audiendi confessiones facultate præditi sunt, tempore præsertim quadragesimæ et paschalis præcepti, et in præcipuis festivitibus quotidie confessionali assideant, parochi auxilium in hoc gravissimo ministerio sedulo præstantes. Qui Missam celebrandi, confessiones audiendi, vel divinum verbum prædicandi licentiam obtinere vel sibi prorogare postulent, testimonium a parochi Ecclesiæ, cui adscripti fuerint, datum de horum præceptorum assidua adimpletione exhibere tenentur. Renuentes vero ab Episcopo meritis pœnis mulcentur.

TITULUS XV.

De Regularibus.

Christus Dei Filius, qui adolescenti sciscitanti, quid ad vitam æternam possidendam sibi faciendum esset, respondit: «si vis ad vitam ingredi, serva mandata» (2), de perfectioribus quærenti, dixit «si vis perfectus esse vade, vende quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo, et veni et sequere me» (3). Discipulis etiam non semel inculcavit: «Si quis vult venire post me, abneget semetipsum et tollat crucem suam et sequatur me» (4).

I. Hæc divina consilia tamquam sapientissimam vitæ regulam sibi proposuerunt sanctissimi viri qui religiosos ordines instituerunt, et quotquot a Deo vocati, et charismata meliora semper æmulantes (5), ipsis ordinibus nomen dederunt et dant, tribusque solemnibus votis se obstringunt ad perfectam et perpetuam rerum omnium sui que ipsius abnegationem, ut Christum pressius sequantur.

II. Ipsemet ergo Christus hanc religiosam vitam adumbravit, ideoque ab Ecclesia ejus sponsa semper probata fuit, et commendata. Et merito hæc enim vita, cui intima sui in omnibus abnegatio ad instar est animæ corpus animantis et regentis, vivum et vivificum documentum est fidei, cujus conversatio in cœlis est (6), et amoris, qui regnum mundi et omnem ornatum sæculi contemnit, ut Christum lucrificiat (7). Ipsa insuper potens est in omni opere bono, quo Deus coram hominibus glorificatur, et cohæredibus Jesu Christi misericordiæ

(1) Bulla *Apostol. ministerii*. n. 26 et 7.

(2) Math. XIX, 17. (3) Id. id. (4) Math. XVI, 24.

(5) 1 Cor. XII, 31. (6) Philip. III, 20. (7) Philip. III, 8.

officia exhibentur. Qui enim præter Deum nihil quærunt, expeditiores sunt ad fratrum necessitatibus subveniendum, et incensi charitate, quæ in externis etiam rebus auro et argento pretiosorem se præbet, unitisque per obedientiam viribus, majora facile efficiunt, quam homines, quibus pecuniæ et honoris augendi stimuli dominantur.

III. Ideo non dubitavit Pius IX contestari, quod religiosæ familiæ ad majorem Dei gloriam et animarum salutem procurandam, a sanctissimis viris, Divino afflante Spiritu, institutæ, atque ab Apostolica Sede confirmatæ, multiplici earum forma pulcherrimam illam varietatem efficiant, quæ mirrice circumdat Ecclesiam, ac lætissimas illas auxiliares Christi militum turmas constituent, quæ maximo tum christianæ, tum civili reipublicæ usui, ornamento, atque præsidio semper fuerunt. Et hoc quidem ideo quia ad evangelicæ sapientiæ consilia vocati, iis egregiis operibus insistere, gloriosisque laboribus perfungi semper visi sunt, quibus de catholica Ecclesia, civilique societate optime meruerunt (1).

IV. Quos ita magnificat, et quidem merito, Christi Vicarius, eos satanico prosequuntur odio, qui sunt crucis Christi inimici, et interne civum bellum in illos indixerunt ubique, sed singulari ac infando modo in hac catholica regione, unde tot prodierunt institutorum regularium clarissimi parentes, et ipsorum instauratores. Nec mirum tamen nobis esse debet, homines qui nihil nisi terrena sapiunt, qui nullum aliud sibi propositum habent, nisi scopum comparandi cumulandique opes, nullamque aliam in agendo legem sequuntur nisi indomitam animi cupiditatem inserviendi propriis voluptatibus et commodis, acerbo odio insectare religiosas familias, quamvis de re christiana, civili, ac litteraria summe permeritas, et blaterare eadem nullam habere legitime existendi rationem, atque ita hæreticorum commentis plaudere.

V. Nos vero, quos et speculatores in Ecclesia, omnisque boni custodes et patronos divina ordinatio constituit, paterna charitate, maxime præsentibus angustiis temporum excipiendas, juvandas, et commendandas declaramus religiosas virorum familias, ipsisque nova quasi fronde reviviscentem vitam nunc florere incipientibus læto animo gratulamur. Utinam quam primum in hac nostra provincia tam antiquorum ordinum, quam recentiorum congregationum domos multiplicari videamus! Indiget enim plurimum religiosorum auxilio ægra nostra societas; indiget et ipsorum orationibus ad divina avertenda flagella, ac Deum propitium hominibus prævaricantibus reddendum; indiget eorum exemplis, ut demissa religiosorum obedientia

(1) *Encycl. Ubi primum* Ord. 17 Jun. 1847.

erubescere faciat eos qui propria superbia jactati dominationem spernunt (1), et constitutis a Deo potestatibus subjici detrectant; ut immunditiam sæculi castitas virginalis condemnet; ut effrænem divitiarum cupiditatem sectatorum sæculi confundat evangelica paupertas.

VI. Quoniam vero Conciliorum generalium Decretis, Sedisque Apostolicæ Constitutionibus Regularium status rite ordinatur, et cum Episcoporum juribus ac prærogativis optime conciliatur, idcirco nihil in specie circa ipsos decernendum a nobis esse censemus. Serventur sacri canones, tum quoad veniam Episcopi ad novas institutas domos, tum quoad ministeria de illius consensu exercenda, tum quoad cetera quæ tam circa observantiam in illorum domibus, quam circa sacras functiones in ipsarum Ecclesiis sancita sunt.

VII. Verba Pii IX ad supremos ordinum moderatores (2) revocanda tantummodo opportunum judicamus. «Quum summpere optemus, ut omnes qui militant in castris Domini unanimes uno ore honorificent Deum (3) ac perfecti in eodem sensu atque sententia solliciti sint servare unitatem in vinculo pacis (4), a vobis etiam atque etiam efflagitamus, ut arctissime concordiam et charitatis fœdere, summaque animorum consensione, venerabilibus Fratribus Episcopis, et sæculari Clero conjuncti, nihil antiquius habeatis quam in opus ministerii in ædificationem corporis Christi, consociatis studiis, vires omnes intendere, atque æmulari semper charismata meliora. Quum enim una sit regularium et sæcularium, prælatorum, et subditorum, exemptorum et non exemptorum universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur, quorum omnium unus est Dominus, una fides, et unum baptisma (5), decet ut omnes qui ejusdem sunt corporis, unius etiam sint voluntatis, et sicut fratres ad invicem vinculo charitatis sint adstricti (6)»

TITULUS XVI.

De sacris virginibus.

Optima etiam in statu et gradu suo sperat Ecclesia a sacris virginibus, quæ juxta S. Cyprianum sunt «ecclesiastici germinis flores, decus et ornamentum gratiæ spiritualis, Dei imago respondens ad sanctimoniam Domini, illustrior portio gregis Christi (7). Ad illas

(1) Jud. 8. (2) Encycl. *Ubi primum*. (3) Rom. XV, 16. (4) Ephes. IV, 3.

(5) Ephes. IV, 5. (6) Clement. unic. *Frequens*. De excess. Prælat.

(7) Lib. *De habitu virg.*

igitur nostra pastoralis sollicitudo singulari modo respiciat oportet, ut digni ambulent vocatione qua vocatæ sunt (1), et corpora sua, mortificationem Jesu circumferentia (2), mentesque perfecta sui abnegatione divino sponso subjectas exhibeant hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, quo sibi, populis, nobis, Ecclesiæ catholicæ misericordiam, gratiam ac validissima auxilia a largitore omnium bonorum continuo impetrent.

I. Quibus se votis cruci Domini Jesu confixerunt memores usque in finem perseverent sponsæ agni immaculati, qui pascitur inter lilia (3): virginitatis ergo florem omni custodia servent, diligentissime caventes ab omni inquinamento carnis et spiritus (4), et ab omni sive interno, sive externo tam pretiosi thesauri insidiatore. Quam spondederunt obedientiam, præfectis et superioribus omnibus, ne retenta quidem voluntatis ac judicii libertate, prompto hilarique animo constanter præsentent, Christum imitantes, qui non venit facere voluntatem suam sed Patris (5), quique parentibus subditus erat (6). Religiosam paupertatem ita studiose sectentur, ut vere demonstrant, se ex corde omnibus renuntiasse, et sincero animo in profitendo dixisse: Quid mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram? Deus cordis mei, pars mea Deus in æternum (7).

II. Hæc, et quæcumque aliæ sint regulæ et ordinis vota et præcepta, ad trium votorum essentiam pertinentia, exacte et fideliter exequantur (8), necnon constitutiones ad perfectam observantiam stabiliendam et conservandam directas. Qua in re, cum S. Carolo Borromeo Superiorissas monemus, ut cæteras ad summam «earum legum observationem non minus exemplo suo invitent, quam auctoritate compellant (9). Eo enim magis monasterii disciplina et pax, atque singularum monialium sanctitas proficient, quanto perfectior erit regulæ et constitutionum observantia, ideoque precipimus, ut semel saltem in unaquæque hebdomada, præsentibus et audientibus omnibus professis, a quadam ex illis legatur caput aliquod regulæ et constitutionum, incipiendo a primo capite usque ad ultimum, et ad primum redeundo, ut eodem ordine servato, nunquam sanctæ hujus exercitationis usus intermittatur (10).

III. Magnum sane castitatis, immo et totius regularis disciplinæ munimentum est clausura, per quam a mundi consortio virgines Deo sacræ separatæ liberius orationi vacare, mentemque ad cœlestia

(1) Ephes. IV, 1. (2) 2 Cor. IV, 10. (3) Cant. II, 16. (4) 2 Cor. VII, 1.

(5) Joann. VI, 38. (6) Luc. II, 51. (7) Ps. LXXII, 26.

(8) Conc. Trid. sess. XXV. De regul. cap. I.

(9) S. Car. Borromæus Conc. Mediol. I. P. cap. 8. (10) Id. id.

erigere valent. De hac strictissime servanda specialem curam adhibere debent non tantum Superiorissæ quæ Deo rationem reddituræ sunt, sed et Episcopi quibus hoc onus impositum est a Tridentino Concilio, et quidem «sub obtestatione divini iudicii, et interminatione maledictionis æternæ» (1). Commendent ergo in propria Diocesana Synodo, quoad præcipua saltem capita, quæ sacri canones, Constitutiones Pontificiæ, Sacræ Congregationis Episcoporum et Regularium decreta præscribunt de clausura ejusque conservatione, de exterorum ingressu, et de accessu ad collocutoria. «Episcopi quoque et prælati omnes tam sæculares, quam regulares, ut omnibus et singulis in exemplum sint, facultate sibi ex officio data in monasteria ingrediendi, ita demum utantur, ut scilicet, tantum cum necessaria causa urget ingrediantur, paucosque comites, et eos quidem seniores, et religiosos homines secum adhibeant, ne pœnas ac censuras Gregorii XIII Constitutione (2) ipso facto inflictas, subeant» (3).

IV. Incumbant Episcopi, ut e monasterii, immo ab ipsarum monialium cordibus proprietas omnis exulet, atque illa meliori ratione, qua fieri poterit in eis stabiliatur et servetur rerum omnium communio, quæ nihil habet, et cui nihil deest (4). Observantiam itaque vitæ communis maxime commendandam, ubi viget, florere ac intactam servari curent, ubi vere nondum introducta est, vel temporum difficultatibus relaxata fuit, pro sua prudentia, si fieri possit studeant instituire.

V. Cum optima familiæ cujusque institutio, ab ejus qui præest prudentia, sollicitudine ac virtute potissimum pendeat, omni ambitione et partium studio posthabita, tempore præscripto, ea in Superiorissam eligatur, quæ coram Domino ad disciplinam tuendam, conservandam, vel restituendam magis apta et idonea videatur, quæque omnes dotes habeat a sacris canonibus (5) et ab ipsa regula requisiti. Electa autem matrem se, non dominam agnoscens, diligat tanquam filias omnes sorores, pacem foveat, tollat, si quæ irreperunt, irregulares consuetudines, singulas ad perfectionem excitet, exemplo præbeat, ipsisque corporis necessitatibus sedulo provideat.

VI. Specialem curam habeant Episcopi de confessariis monialium eligendis. Sint ætati proveci, scientia spiritus conspicui, zelo et prudentia commendabiles. Quantum fieri possit, consuetudo tollatur plures simul in eodem monasterio confessarios habendi: unus sit ordinarius et pro omnibus. Bis vel ter saltem in anno extraordinarius

(1) Sess. XXV. De reg. cap. 5.

(2) *Dubiis* 23 Decem. 1581. (3) S. Carol. Borr. Conc. Mediol. VI.

(4) Conc. Rom. tit. 21, cap. 3.

(5) Conc. Trid. sess. XXV. De regul. cap. 7.

designetur (1), cui omnes in monasterio degentes se sistere debent, benedictionem et salutaria monita saltem accepturæ, si confiteri nolent. Nec difficiliores se præbeant Episcopi peculiaribus monialibus confessarium extraordinarium aliquando expetentibus, quin potius justis precibus libenti animo obsecundent, nisi aut monialis postulantis, aut confessarii requisiti qualitas aliter faciendum suadeat (2); hoc enim perutile erit ad facilius unum pro omnibus ordinarium constituendum.

VII. Magnopere interest, ut maximo studio prospiciatur monasterii bono, simulque tueatur puellarum in ipso ingredientium libertatem. Serventur itaque exactissime quæ deulantium ætate, de natalibus, de animæ et corporis qualitatibus, de dote, de modo acceptationis per monialium suffragia, de spiritualibus exercitiis in ingressu et ante professionem faciendis, deque aliis hujusmodi quæ ecclesiasticæ leges, synodales constitutiones, et legitimæ consuetudines præscribunt. Ante omnia vero, quæ Tridentini Patres statuerunt, scilicet, ne qua puella ad votorum emissionem admittatur, nisi ante Episcopi vel ipsi per se, vel per Vicarium Generalem ipsius voluntatem diligenter exploraverint (3). Statuimus etiam ne habitum religionis induat ulla ex postulantibus, quin prius, nisi a monasterii constitutionibus expressis verbis prohibitum sit, in habitu sæculari per mensem saltem in monasterio permanserit novitiarum magistræ subjecta, et quantum fieri possit a novitiis et professis sejuncta, ut vocationis experimentum faciat, ipsæque moniales de illius animæ et corporis aptitudine certiores reddantur.

VIII. In religioso habitu suscipiendo, atque in professione facienda, omnem mundanam pompam et luxum prope abesse jubemus: inutiles sumptus in vestibus, extraordinarios musicos concentus, comessiones, aliaque ejusmodi, quæ cum familiarum dispendio, atque spiritus dissipatione, fieri contingit ad collocutoria, severe interdiciamus; agitur enim de funeralibus ejus, quæ moritur mundo, et nascitur, vel excrescit Deo; ideoque eis decet modesta quædam, humilisque temperantia, spirituali juncta contemplationi, potius quam pomposa profanitas, mundanæ cuidam admixta voluptati (4). Verum quo die puella, solemniter emittens vota, in Christi sponsas cooptatur, spiritualis lætitiæ signa edi haud ægre feremus; et pro diei faustitate Ecclesia monasterii ornari poterit, ut, eo quoque apparatu, religio et

(1) Ben XIV, const. *Pastoralis curæ*, 5 Aug. 1748. (2) Ibid.

(3) Conc. Trid. Sess. XXV. *De regular.* Cap. 17.

(4) Ben. XIV. *De Syn. Dioc.* Lib. Cap. 6, § 7.

veneratio erga sanctissimas, quæ cum Christo parantur, nuptias in omnium animis excitetur et augeatur.

IX. Prohibemus omnino, ne in posterum fiat, quod ab antiquo aliquibus in locis introductum scimus, videlicet, e monasterio exire novitias occasione explorandi ipsarum voluntatem ante professionem, et illa die etiam per domos vagare, et conviviis assistere. Decernimus ergo ut stricte servetur constitutio S. Pii V (1) qua statuitur, ut Episcopi seu ipsorum Vicarii *stent ante crates ferreas* ad voluntatem novitiarum exquirendam juxta Concilii Tridentini præscriptum (2), quin nec in actu explorationis, nec antea, nec post e clausura exeant puellæ, quæ in vocatione perseverantes solemnia vota emitte-re velint.

X. Ut viam perfectionis, ad quam tendere debent, moniales ardentius percurrant, quotannis, eo tamen tempore quod opportunius judicabitur, per decem dies continuos ad exercitia spiritualia serio ac religiose incumbant (3).

XI. In monasteriis ubi jam constitutus sit educandatus, admitti possunt puellæ, expleto ætatis septennio, cum voto capituli et licentia Ordinarii. Si septennium non expleverint, nequeunt admitti sine licentia Sacræ Congregationis Episcoporum et Regularium, nisi in propriis Constitutionibus ab Apostolica Sede approbatis detur facultas. Hæc quoque venia requiritur, ut admitti possint quæ viginti quinque annos excesserint, vel ut in monasterio permaneant post prædictam ætatem (4). Habeantur loca separata tum pro novitiis, tum pro educandis; neque ipsis habitare liceat, quacumque ratione vel prætextu, in cellis monialium. Si in aliquo monasterio opportunum videbitur educandatum constituere, vel puellas per diem instruendas admittere, ad Episcopum recursum habeant moniales, ut quid agendum sit ad normam juris decernat, præ oculis habens quæ hac de re datæ fuerunt instructiones a Sacra Congregatione in similibus casibus.

XII. Quoniam vero nonnulla sint in diocesis nostris piarum virginum instituta, quæ etsi perfectæ clausuræ lege non adstringantur, neque vota solemnia nuncupent, sub regula tamen approbata viventes, plus minusve monialium disciplina reguntur, quæque, vel in assistendis et curandis ægris, vel in puellis, maxime pauperibus, educandis Ecclesiam æque ac civilem societatem magno augment beneficio, nos, illas quoque paterna charitate prosequentes, hortamur

(1) *Etsi mendicantium* 16 Maii 1567. (2) Sess. XXV cap. 17 de regul.

(3) S. Congr. Ep. et reg. jussu Inoc. XI, 9 Oct. 1682. Pastoral Clement. XI, 16 Mart. 1703. (4) S. Congr. Ep. et Reg. 28 Mart. 1588, 27 Maii 1603.

etiam atque etiam, ut sui quæque instituti regulas fidelissime observent in bono proposito perseverantes. Quare omni contentione satagant, ut cœlesti sponso Jesu Christo unice placeant, ipsum die ac nocte suspirent, ipsum in omnibus imitari studeant, ut ejus bonus odor sint in omni loco (1), et certam faciant suam vocationem (2).

XIII. Ubi est convictus, puellæ sive educandæ in domo degentes, sive alumnae per diem accedentes, ab omni sæculi vanitate abhorrere hortentur: non corpus sed potius animam sanctis moribus, et omnium virtutum splendore exornare præcipue edoceantur, ut proficiant pietate ac timore Dei crescentibus annis, atque dum temporalibus instruuntur, spiritualibus diligentissime alantur.

XIV. Clausura ad normam cujusque regulæ observetur, tum quoad ingressum in interiora domorum seu collegiorum cubicula, tum quoad egressum sororum extra domum, tum demum quoad accessum, seu visitationes et colloquia.

XV. Quæ de confessariis, deque spiritualibus exercitiis statutum est, hæc quoque instituta comprehendit.

(1) 2 Cor. II, 15. (2) 2 Pet. I, 10.



... in hoc per se...
... in hoc per se...
... in hoc per se...

... in hoc per se...
... in hoc per se...
... in hoc per se...

... in hoc per se...
... in hoc per se...
... in hoc per se...

... in hoc per se...
... in hoc per se...
... in hoc per se...

... in hoc per se...
... in hoc per se...
... in hoc per se...

... in hoc per se...
... in hoc per se...
... in hoc per se...

... in hoc per se...
... in hoc per se...
... in hoc per se...

... in hoc per se...
... in hoc per se...
... in hoc per se...

... in hoc per se...
... in hoc per se...
... in hoc per se...

... in hoc per se...
... in hoc per se...
... in hoc per se...

... in hoc per se...
... in hoc per se...
... in hoc per se...

... in hoc per se...
... in hoc per se...
... in hoc per se...





PARS TERTIA.

DE SACRAMENTIS ET SACRAMENTALIBUS.

TITULUS I.

De Sacramentis in genere.

UNIGENITUS Dei Filius qui ad hoc venit in mundum, plenus gratiæ et veritatis (1), ut de ejus plenitudine accipientes homines, quibus potestatem dedit filios Dei fieri (2), vitam habeant, et abundantius habeant (3), atque divinæ efficiantur consortes naturæ (4), septem instituit sacramenta, veluti stillicidia profluentis in nos divinæ gratiæ, et fontes purissimos, unde ad animas purgandas et sanctificandas aquæ derivantur salutare. Nihil ergo in Ecclesia Dei sanctius, aut utilius; nihil excellentius, aut magis divinum quam sacramenta, per quæ omnis vera justitia vel incipit, vel cœpta augeatur, vel amissa reparatur (5).

Sunt itaque sacramenta invisibilium quæ Spiritus Sanctus in nobis operatur visibiles formæ juxta Augustinum (6), et divinarum promissionum certissima pignora, non vero mera signa quibus fideles ab infidelibus distinguantur, nec ad finem tantum ac pietatem externo quodam ritu nutriendum instituta; sed res sensibiles, quibus divina inest virtus a Deo tributa, quæque gratiam efficiunt in iis, qui illa,

(1) Joann. I, 14. (2) Id. id. 12, 16. (3) Id. X, 10. (4) 2 Petr. I, 4.

(5) Con. Trid. sess. VII in proem. Can. 32 Dist. 2 de consecr.—S. Aug. Ep. 106.

(6) Conc. Trid. sess. VII.

obicem non ponentes, recipiunt (1). Baptismo enim novus homo generatur; Confirmatione miles Christi constituitur, Spiritu Sancto vestitur et ad certandum bonum certamen fidei roboratur; Eucharistia tamquam divino pane vires ejus augentur; Pœnitentia a peccati vulnere sanatur; Extrema unctione in mortis periculo constitutus a peccatorum reliquiis abstergitur, alleviatur, et si ad salutem æternam expedit, sanitati redditur; Ordine Dei ministri, Ecclesiæ rectores et fidelium parentes spirituales constituuntur: Matrimonio denique vitæ corporalis propagatores sanctificantur, ut Ecclesiæ filii multiplicentur.

At vero præclarissima hæc dona atque instrumenta salutis nobis invidens adversarius noster diabolus, semper quidem, his vero maxime temporibus, per rationalistarum et hæreticorum sophismata, omnem catholicam de sacramentis doctrinam penitus subvertere conatur, nec tantum fidelium voluntatem ab illis suscipiendis removel, sed et mentes pertrahit ad ea nefarium in modum aspernenda.

Quapropter propriam nostri muneris partem exequentes, et ut sacramenta merito habeantur honore, sancteque et administrentur et recipiantur, sequentia monemus ac statuimus.

I. Animarum curatores, ceterique sacerdotes officii sui memores, fideles frequenter in sacris concionibus doceant, inculcent et explacent sacramentorum naturam, institutionem, necessitatem, virtutem, cæremoniarum significationem, atque eximios qui ex illis fructus promanant, si opportunis suscipiantur dispositionibus. Ad hoc utantur præcipue Catechismo Romano in parochorum usum a S. Pio V edito, ad duo potissimum intendentes; primum ut fideles intelligant quanto honore et cultu ac veneratione digna sint hæc cœlestia munera, deinde ut ipsis pie et religiose utantur, atque ita christianæ perfectionis desiderio exardescant, ut si Pœnitentiæ præsertim et sacræ Eucharistiæ saluberrimo usu aliquamdiu careant, plurimum damnum sibi attulisse existiment (2).

II. Ipsi quoque sacramentorum ministri meditentur officii sui dignitatem, ut fideles mysteriorum Dei dispensatores et cooperatores inveniantur (3). Si enim illorum causam et originem expectamus, Christus Deus omnium est auctor; si vim et efficaciam, gratia, quam Deus et Salvator noster in ara crucis meruit, ex iisdem nobis derivatur; si illos quibus conferuntur, animæ sunt immortales, et Christi morte redemptæ quæ per ipsa sanctificantur; si demum finem intuemur, æterna hominis in cœlo beatitudo, æternaque Dei gloria intenditur. Maxima igitur veneratione ac pietate pertractanda illa sunt et

(1) Tertul. *De præscript.*

(2) Conc. Rom. sub Bened. XIII, P. de Sacram. n. 32. (3) 1 Cor. IV, 1.

ministranda, ac non nisi conscientia pura ad ea conferenda accedere debent. Unde si fortasse gravi se culpa inquinatos senserint, sacramentali confessione, aut si confessarius desit, contritione perfecta se purgare festinent, preces ad Deum humiliter fundant, et sancte omnia peragant, ne dum aliis cœlum aperiunt, ipsi sibi viam sternant ad gehennam. Nam etsi certo credimus sacramenta divinam, quæ illis inest, virtutem numquam amittere, nihilque ipsis officere ministrorum improbitatem, scimus etiam impure ea ministrantibus æternam perniciem et mortem afferre: *sancta enim sancte tractanda sunt*, et si ut ait Apostolus, sine ulla miseratione mori debuit qui irritam fecit legem Moysis; quanto magis deteriora meretur supplicia, qui Filium Dei conculcaverit et sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, et spiritui gratiæ contumeliam fecerit? (1).

III. Anathema quum dixerit Tridentina Synodus illum, qui receptos et approbatos Ecclesiæ catholicæ ritus in solemni sacramentorum administratione adhiberi consuetos aut contemni, aut sine peccato a ministris pro libitu omitti, aut in novos alios per quemcumque ecclesiarum pastorem mutari posse docuerit (2), præcipimus, ut omnia et singula in rituali Romano præscripta adamussim summopere cum attentione observentur, nec alii adhibeantur libri quam quos Ordinarii locorum in usus sacros designatos habeant. Sciant quoque parochi prohibitum esse in sacramentorum administratione pro lingua latina uti vernaculo idiomate, nisi illis in partibus quibus adstantes alloquendi, aut quædam eisdem explicanda sunt. Tamen ut fidelibus innotescant quæ latina lingua proferuntur, eorum significationem vel in concionibus vel in catechesi sæpe exponant (3).

IV. Quum tribus perficiantur sacramenta, rebus videlicet tamquam materia, verbis tamquam forma, et persona ministri sacrum conferentis cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, quorum si aliquid desit non perficitur sacramentum (4), caveant maxime sacerdotes illa dispensantes ne materiæ vel formæ aliquid desit, et in ipsa administratione actualem intentionem, aut saltem virtualem habere studéant, verba distincte et articulate pronuntient, memoriæ minime fidentes, sed ex Rituali legentes. In actione perficienda omnem corporis motum, vultus compositionem, vocis modulationem ita servant, ut vel ex hoc agnoscant adstantes divinum esse et venerabile quod peragitur, et ad cœlestia eorum mentes dirigantur. Locus in quo sacramenta dispensantur a pietatis affectu non abstrahat; vasa, libri,

(1) Hebr. X, 28 et seq.

(2) Conc. Trid. sess. VII, can. 13. (3) Conc. Trid. sess. VII.

(4) Conc. Florent. Decret. pro Armenis.

vestes quæ adhibentur, eo nitore sint, qui rei dignitati ac sanctitati respondeat.

V. Etiam ab iis qui ad sacramenta suscipienda accedunt, sancta habenda sunt augusta hæc salutis mysteria. Moneantur itaque fideles, ut conscientia pura, mente devota, rite præparati, ac toto corporis habitu ad pietatem et munditiam composito accedant (1).

VI. Si qui vero sacramenta petierint, quos Ecclesia a sacris repellendos esse jure declarat, omni prudenti severitate uti debent dispensatores mysteriorum Dei ad illos, nisi obstacula removeant, ab eorum participatione arcendos; urget enim Domini præceptum: *nolite sanctum dare canibus* (2). Incapaces pie ac religiose edoceant; indignos, charitate Christi, summaque patientia, ut necessarias dispositiones procurent, impedimenta removeant, peccandi occasiones fugiant, sedulo et continuo hortentur. Sed quia nonnullis in casibus plura sunt quæ perpendi debeant, parochos monemus, ut, si res moram patiatur, proprium Episcopum consulere non omittant.

VII. Quum ex Christi Domini præcepto «gratis accepta, gratis dispensanda sint» (3), et ab omni avaritiæ suspitione immunes esse sacerdotes summopere oporteat, nihil pro sacramentis ministrandis quavis de causa, vel occasione, directe vel indirecte exigant aut petant. Servandas tamen volumus laudabiles consuetudines ab Episcopis probatas quarum vigore, oblationes, ex occasione celebrationis sacramentorum, a fidelibus altaris ministris fiunt, uti statuit Lateranense Concilium sub Innocentio III.

VIII. Et quoniam nihil Deo acceptius esse potest, quam animabus ea communicare instituta, ex quibus Christi Jesu passionis fructus derivantur, sacerdotum omnino et parochorum præsertim in memoriam revocamus, semper promptos ac diligentissimos esse debere in hoc munere obeundo. Quacumque diei et noctis hora vocati fuerint, nullam officio suo præstando moram interponant, maxime vero si necessitas urgeat vel epidemia in populo grassetur, ne illorum culpa aut negligentia contingat aliquando perire animam pretioso Agni immaculati sanguine redemptam. Pro paupere æque ac pro divite sint solliciti: ministri enim sunt Dei, penes quem non est personarum acceptio (4), et cui æqualiter est cura de omnibus (5). Nullis ergo deterreantur laboribus, ne quidem contagii periculo; bonus enim pastor non fugit sicut mercenarius, sed animam suam libenter ponit pro ovibus suis (6). Si (quod Deus avertat) eorum incuria contigerit aliquem sine sacramentis decedere, Episcopus gravissimis poenis in eos ani-

(1) S. Carol. Borrom. Conc. Prov. V. (2) Matth. VII, 6.

(3) Matth. X, 8. (4) Rom. II, 11. (5) Sap. VI, 8. (6) Joann. X, 11.

madvertere debet (1) et quod terribilius est, Deus ipse in illos exurgat, uti sæpissime per prophetas minuitur (2).

IX. Sacramenta, quorum administratio jure ad parochos spectat, absque ipsorum licentia, saltem præsumpta, vel absque gravissimæ necessitatis causa, nullus sacerdos administrare præsumat, sacros canones quibus id prohibetur violando. Præsumptio vero non valet in sacramento Matrimonii, sed expressa ipsius parochi venia requiritur, aut licentia in scriptis tradita ab Episcopo, vel a Vicario generali, vel ab ipso parochio.

X. Ex Ritualis romani præscripto, in singulis ecclesiis parochialibus caute debent custodiri quinque libri videlicet: baptizatorum, confirmatorum, conjugio copulatorum, demortuorum, et status animarum (3).

XI. Præcipimus libros sacramentales, qui perpetuo servari debent, ex charta forti et pura fieri, bene compactos esse, atque ad singulas paginas numeris distinctos, ac parochiali sigillo obsignatos. Minime vero requiritur ut charta regio signo sit munita, sicut antea a civili potestate præceptum fuerat, ut vim probandi in judiciali foro haberent. In actorum descriptionibus claritas et mundities summa procuranda est, menda, emendationes et lituras caute vitando. Si quæ forte emendanda sint, in fine et ante subscriptionem adnotentur, ut emendatio fidem faciat. Adnotationes fieri vetantur quæ ad rem non pertinent, vel verba adhiberi, quibus alicui injuria vel infamia afferatur, tametsi veritate nitantur (4). Luculento aptoque caractere omnia scribantur; quod si parochus per se facere nequeat, aliena manu sacerdotis, quoad fieri possit, vel prudentis laici utatur; ipse vero parochus subscribat propria manu et signet. Curandum omnino est, ut atramentum adhibeatur, cujus color diutius persistere possit. Ad calcem uniuscujusque libri index apponatur, servato ordine alphabetico cognominum, ut facilius testimonia dari possint. Una, eademque formula in descriptionibus utatur in omnibus parœciis, eaque sit ab Episcopo præscripta. Denique sciant parochi, privative ad ipsos spectare librorum custodiam prout sæpe declaravit S. Congregatio Concilii (5).

(1) Cap. *Quicumque* 122 De consecr. dist. 4.

(2) Ezech. XXXIII, XXXIV.

(3) Rit. Rom. in fine.

(4) S. Congr. Episcop. et Regular. in *Meliten*. 1780.

(5) S. Congr. Concil. 15 Sept. 1781.—2 Mart. 1860.

TITULUS II.

De Baptismo.

Primum omnium sacramentorum locum tenet sanctum Baptisma, quod vitæ spiritualis janua est; per ipsum enim membra Christi, ac de corpore efficitur Ecclesiæ (1). Dicente Domino: «Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei» (2), clarissime evincitur, hoc regenerationis sacramentum, quo Filii Dei nominamur et sumus (3), omnino necessarium esse ad salutem, etiam parvulis, qui nihil quidem peccatorum in semetipsis committere potuerunt, ut in iis regeneratione mundetur quod generatione contraxerunt, et ut exuentes veterem hominem, et novum, qui secundum Deum creatus est induentes (4), innocentes, immaculati, puri, innoxii ac Deo dilecti efficiantur, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi (5) ita ut nihil prorsus eos ab ingressu cœli remoretur (6).

I. Tanta cum sit Baptismi dignitas ac necessitas, maxime curandum est, ut fideles ea omnia perspecta habeant, quæ ad hoc sacramentum referuntur. Parochi ergo omni studio ac diligentia fideli populo explicent illius necessitatem absolutam, effectus quos producit, characterem qui in anima baptizati imprimitur, spiritualem cognitionem quam contrahunt patrini: nec omittant docere rituum ac cæremoniarum ejusdem significationem et venerationem his omnibus debitam.

II. Quum pueris infantibus nulla alia æternæ salutis comparandæ ratio, nisi eis Baptismus conferatur, relicta sit, facile intelligitur quam gravi culpa illi se obstringunt, qui eos sacramenti gratia carere patiantur diutius, quam necessitas postulet, quum præsertim propter ætatis imbecillitatem infinita fere vitæ pericula illis impendeant (7). Parochi, igitur quantum in ipsis est, invigilent studiosissime, ne quis infans ulla hominum culpa baptismo privetur, et sine eo decedens a supernaturali beatitudine perenniter arceatur. Parentes moneant ut filios suos, quam primum fieri possit, Ecclesiæ offerant baptizandos, et numquam tardius octavo a nativitate die.

III. Si mortis periculum immineat, statim etiam a laico baptizentur; nam etsi sacramenti hujus solemniter conferendi ministri ordinarii sint Episcopi et presbyteri, extraordinarii autem diaconi; in casu

(1) Conc. Florent. decret. pro Armen. (2) Joann. III, 5. (3) Joann. III, 1.

(4) Ephes. IV, 24. (5) Rom. VIII, 17. (6) Conc. Trid. sess. V, decr. de peccat. original.

(7) Catech. Rom. p. II, cap. 2 n. 34.

tamen necessitatis omnis homo etiam hæreticus et infidelis potest valide baptizare, modo ea quæ ad substantiam baptismi pertinent debite servet (1). Si vero nemo præsto fuerit, qui illud peragere possit, parentes ipsi baptizare non reformident; nulla enim, eorum alterutro id faciente, oritur inter ipsos spiritualis conjunctio, nullumque impedimentum (2).

IV. Parochis incumbit vigilare, ut obstetriciam artem exercentes baptismi rite conferendi rationem optime calleant, immo omnes erudire quomodo privatim administretur, ne aliquid ex essentialibus desit, si necessitate compulsi baptizent.

V. Consuetæ cæremoniæ et ritus iis qui ex necessitate privatim baptizati fuerint, suppleantur quam primum in Ecclesia et a proprio parocho, qui diligenter perquirere debet de collato baptismo, ut sub conditione iterum sacramentum ministret, si rationabile adsit dubium de prioris validitate.

VI. Moneant obstetrices ut abortivos, etiam paucorum dierum, nisi evidentia præbeant corruptionis signa, baptizent sub conditione; ut in partu difficili, ubi prudenter dubitatur, an foetus sit vivus egressurus, illum interea eo in membro baptizent, quod casu jam prodierit, baptismum postea sub conditione renovando, si porro infans integer et vivus in lucem egrediatur (3). Ex Benedicti XIV doctrina etiam doceant, baptizandum esse sub conditione infantem cujus corpusculum, etsi nulla ipsius pars in lucem prodierit, aqua nihilominus, per siphunculum tingi queat, atque sub conditione etiam denuo baptizandum, si periculum evadat (4). Nec minus docendi sunt fideles de obligatione salutem æternam per baptismum procurandi foetui clauso in sinu matris emortuæ, nam in re tanti momenti pluribus in locis lamentabilis observatur ignorantia et negligentia.

VII. Infantes expositi, si nullum collati baptismi indicium ferant, absolute baptizentur; si vero schedulam baptismi suscepti affixam habeant, sub conditione baptizandi sunt, servato nomine quod in illa appareat, nisi certa habeatur notitia personæ a qua schedula sit exarata, vel aliunde indubitatum desumatur indicium baptismatis rite collati (5).

VIII. Circa baptismum ab hæreticis datum, inquirendum est an servata fuerit debita materia et forma, ac si, peracta inquisitione,

(1) Cap. *Constat. de consecr. dist. 3.*

(2) Cap. *Ad lamina 7 caus. 20 quæst. 1.*—Rit. rom. *De ministr. baptism. § Pater.*

(3) S. Thom. p. 3 quæst. 68.—Rit. rom. *De baptismo.*

(4) Bened. XIV. *De syn. dioc. lib. VII, cap. 5.*—S. Congr. Conc. 12 Jul. 1794.

(5) S. Congr. Conc. 15 Januar. 1724.

adhuc rationabiliter dubitatur, iterandum erit. Ut recte procedant parochi Episcopum consulant, nisi urgens obstet necessitas ob mortis periculum.

IX. Aqua naturalis ad baptismi valorem adhibenda est, neque extra necessitatem licet alia uti, quam quæ solemniter benedicta sit, juxta ordinem in Missali romano præscriptum (1). Hæc benedictio sub gravi fieri debet tam in Sabbato sancto seu majoris hebdomadæ, quam in vigilia Pentecostes; et contraria, si alicubi viget, consuetudo prorsus eliminanda est (2). Extra prædictos dies non benedicatur aqua, nisi in casibus, et eo modo in Rituali romano præscriptis (3).

X. Fontes baptismales, qui in ecclesiis tantum parochialibus esse debent, nisi ob locorum distantiam, ut populi commodo consulatur, in alia ecclesia Episcopus fontem statuendum judicaverit, sint decenter ornati, reverenter septi et clave obserati (4). Vascula quoque chris-matis et sacri olei munda sint et propriam unumquodque inscriptionem habeat, ne quis error comittatur (5), atque in ipsa ecclesia, melius autem in loco decenti et clauso prope ipsum fontem asserventur (6).

XI. Stricte præcipimus ne unctio cum sancto oleo et sacro chris-mate fiat virgula mediante, sed pollice ipso inuncto, ut in Rituali præscribitur (7) et declaratum fuit a S. Rit. Congregatione, contrariam praxim reprobando (8).

XII. Cavendum vel maxime est ut verba, quibus forma baptismi absolvitur, distincte proferantur eo ipso tempore, quo in baptizandi caput infunditur aqua quanta opus est, et cum continuata voluntate faciendi quod facit Ecclesia.

XIII. Baptismus extra veræ necessitatis casum sub gravi admini-strandus est in Ecclesia et numquam in aulis, cameris, vel aliis pri-vatis locis, prout a jure statuitur, quod etiam de oratoriis privatis intelligi debet (9). Nec licet in sacristia illud conferre.

XIV. Catholica mater Ecclesia vult, ut iis qui per baptismum adoptionem filiorum Dei recipiunt, nomen imponatur alicujus, qui propter excellentem animi pietatem et insignes virtutes in sanctorum cum Christo regnantium numerum relatus est, ut nominis similitudine ad virtutis imitationem excitentur, et ipsum quem imitari studeant in terris advocatum habeant in cœlis (10). Unde ex vetusta ipsius Ecclesiæ sanctione vetitum est, ne obscœna, fabulosa aut ridicula, vel inaniam

(1) S. Rit. Cong. 7 Dec. 1844. (2) Rit. Rom. *De mater. bapt.* (3) Id. id.

(4) Rit. Rom. *De Baptismo.*—S. Carol. Borr. conc. III prov. (5) Rit. Rom. *ibid.*

(6) S. Carol. Borr. loc. cit.—S. Rit. Cong. in *Ariminen.* 16 Jun. 1663.

(7) Rit. Rom. *Ordo baptism.* (8) S. Rit. Cong. 9 Maji 1857.—31 Aug. 1872 in *Toletana.*

(9) Clementin. lib. III, tit. 15. (10) Catech. Rom. p. 11 *De sacram. bapt.* n. 75.

deorum, vel hominum impiorum nomina baptizandis imponantur (1). Quare Parochi curent ut potius nomina dentur quæ in Romano Martyrologio, cujus exemplar in qualibet Ecclesia servari jubemus, aut aliis probatis menologiis laudantur. Ne autem eadem in una familia habeantur nomina, præsertim inter fratres, consulant parochi ut parentes alia eligant, vel saltem aliud addatur ut facilius distinguantur.

XV. Ex veneranda et antiqua Ecclesiæ Catholicæ consuetudine patrini seu fidejussores in baptismo ministrando adhiberi debent, qui veluti spirituales parentes ac pedagogi censentur, a quibus ad omne pietatis officium institui possint, donec in virum perfectum, juvante Domino, crescant, præsertim si a parentibus vel tutoribus catholica eorum educatio negligatur. Patrinatorum officia sequentibus S. Augustini verbis comprehenduntur. «Debent patrini levatos admonere ut castitatem custodiant, justitiam diligant, charitatem teneant, et ante omnia symbolum et orationem Dominicam eos doceant, decalogum etiam et quæ sunt prima christianæ religionis rudimenta (2). Maxime vero dolendum est, hoc nobilissimum officium nostris temporibus nimium negligi, sive ab iis quibus patrini deligendi cura esse debet, sive ab ipsis qui sanctam hanc curationem in se suscipiunt. Non ergo omittant parochi, hujus muneris præstantiam, et coram Deo et Ecclesia debitum, fideli populo inculcare, eumque edoceant, spiritualis hujus tutelæ administrationem nullatenus committendam iis, qui eam gerere fideliter, accurate ac christiano more nolint aut nequeant (3).

XVI. Prohibendos itaque a patrinatorum munere præcipimus infideles, hæreticos, schismaticos, excommunicatos, manifeste impios, aut ad aliquam ex damnatis sectis pertinentes, communionem paschalem negligentes, publicos concubenarios, aliosque in Rituali romano recensitos (4), qui omnes ne quidem tamquam alterius procuratores admittendos statuimus. Religiosos utriusque sexus ab hoc officio canones prohibent (5); clericos vero in sacris constitutos hortamur ne illud facile suscipiant.

XVII. Opportunum censemus, ut ad vitandas difficultates ac quæstiones præveniendas, semel in anno (initio Quadragesimæ), populo denuntientur hi omnes qui patrini esse prohibentur. Si vero parochus antequam ad baptismum ministrandum vocetur, intelligat patrinum indignum electum fuisse a parentibus, illos tempestive doceat legem Ecclesiæ atque prudenter inducat ad alium designandum. Si autem indignus inopinato se præsentet, sacerdos ipsi honesto modo significet ab Ecclesiæ lege prohibitam esse ejus admissionem; illum vero

(1) Bened. XIV. Const. *Omnium sollicitudinum*. (2) Catech. Rom.

(3) Catech. Rom. (4) Rit. Rom. *De patrinis*. (5) Can. 103 et 104 dist. De Consecr.

coram aliis nullatenus objurget, quinimo facile permittat ut ceu testis honoratus assistat, baptizandum minime tangens; et ne in aliud tempus dilato baptismo, infans periculo exponatur sine eo decedendi, absque ullo etiam susceptore baptizet (1).

XVIII. Servandam præcipimus Concilii Tridentini legem qua statuitur, ut unus tantum, sive vir, sive mulier, juxta sacros canones, vel ad summum duo, unus et una, baptizatum in fonte suscipiant, ne ex patrinorum munere exorta cognatio inter plures facile prohibeat matrimonium (2).

XIX. Ministrato baptismo, quæ ad ipsum pertinent accurate in libro baptizatorum describat parochus, atque sine cunctatione faciat, et in ipsa die, nisi gravioribus curis impediatur. Nemo suæ memoriæ fidat, neque in chartulas rem tradat, sed eam in libro quamprimum notet et describat.

XX. Commendamus ut ad exemplum Beatissimæ Dei Genitricis Mariæ, et ex more antiquitus tradito, mulieres puerperæ ad Ecclesiam accedant, a parochio, vel ab alio sacerdote ab ipso delegato, benedictionem accepturæ, et de prole accepta, quam amantissimæ matri Ecclesiæ genuerunt, Deo gratias agant. Benedictionem tamen prohibemus donari illas, qui ex illegitimo concubitu, vel ex solo civili vinculo contentæ prolem susceperunt (3).

TITULUS III.

De Confirmatione.

Militia quum sit vita hominis super terram (4), in qua caro concupiscit adversum spiritum (5), atque colluctatio nobis est adversus principes et rectores tenebrarum harum (6), quumque nullus coronandus sit, nisi qui legitime certaverit (7), saluberrimo Dei beneficio factum est, ut qui in baptismo regenerantur ad vitam, post baptismum roborentur ad pugnam (8), et per impositionem manus Episcoporum, et per Spiritum Sanctum, *pleni* quodammodo efficiantur christiani (9), ad confitendum et glorificandum nomen Domini Jesu Christi; ideoque in fronte uti in verecundiæ sede, confirmandus inungitur, ne Christi

(1) Conc. prov. Ultrajecten. 1865.—Tit. IV, cap. 2.

(2) Conc. Trid. sess. XXIV. cap. 2 *De reform. matrim.*

(3) S. Cong. Concil. 18 Jun. 1858—31 Jun. 1867.

(4) Job. VII, 1. (5) Galat. V, 17. (6) Ephes. VI, 12.

(7) 2. Timoth. II, 5. (8) C. *Spiritus Sanctus* 2 dist. 5 De consecr.

(9) Can. *Omnes* 1. id. id.

nomen confiteri erubescat, et præcipue crucem ejus, quæ judæis quidem est scandalum, gentibus autem stultitia (1); propter quod signo crucis signatur (2).

I. Monemus ergo fideles omnes, et parochi iterum iterumque eis inculcent, ut sacramentum Confirmationis, quo in baptizatis gratia sanctificans augetur, et additur robur Spiritus Sancti tam ad firmiter credendum, quam ad fidem strenue profitendam, et bonum certamen certandum, imprimaturque character indelebilis, suscipere et a filiis suis suscipi minime negligant. Qui autem cum ad Confirmationem possint accedere, illam respuunt ac negligunt, gravis peccati reatu tenentur (3); quamvis enim continuo transituris sufficiant regenerationis beneficia, victuris tamen necessaria sunt Confirmationis auxilia (4), quæ tanto studiosius sunt a fidelibus quærenda, quanto acriora hisce miserimis temporibus ministerium iniquitatis parat certamina. Hæc præ oculis cum haberet ven. mem. Pius IX sic Episcopus allocutus fuit: «vobis peculiaris erit cura, ut fideles omnes tempestive suscipiant sacramentum Confirmationis per quod, *summo Dei beneficio, specialis gratiæ robur confertur* ad fidem catholicam in gravioribus etiam periculis constanter profitendam (5).

II. Parochi de diebus quibus sacramentum ministrandum erit, tempore præsertim pastoralis visitationis, fideles præmoneant, et ipsius originem, naturam, vim, dignitatem, characterem, fructus, cæremonias ex Catechismi Romani doctrina explicant, insinuantes in primis sacramentum esse vivorum, ac proinde ad illud licite et fructuose suscipiendum requiri ut nulla lethali culpa inquinatus accedat confirmandus; secus enim characterem quidem, non vero gratiam sanctificantem acciperet, immo novam graviorem culpam admitteret; et fieret sacrilegii reus. Qui ergo teneriore ætate sacramentum ipsum nondum susceperunt, sacramentali confessione prius mundent animas suas, et hortentur ut sacrosancta Eucharistia se reficiant, si forte ad eam antea jam fuerint admissi, nihilque obstat ad communionem accipiendam.

III. Curandum etiam maxime erit, ut in confirmatorum animis alte defixum maneat cœleste donum ipsis collatum, ut agnoscentes militiam, cujus tesseram acceperunt, in agonem strenue descendant, ac prælia Domini invicte prælientur ad quæ armati ac instructi fuerunt, memores verborum summi ducis Christi: «omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo; qui autem

(1) 1 Cor. I. 23. (2) Conc. Flor. decr. pro Armen.

(3) Bened. XIV. *Etsi pastoralis* 26 Mai 1742. (4) Can. omnes supr. citat.

(5) Encycl. *Nostis et Nobiscum*. 8 Dec. 1849.

negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo qui in cœlis est» (1).

IV. Nulla ætas præscripta est pro hoc sacramento suscipiendo, atque olim infantibus post Baptismum statim Confirmationis quoque sacramentum conferebatur (2). Et quamvis aliis in nationibus invaluit consuetudo ut non confirmarentur nisi qui rationis usum attigerint; in Hispania nostra, ea veteri servata disciplina, quacumque ætate confirmatio confertur.

V. Solemnis hujus sacramentis administratio decori pompa celebretur, quæ apta sit ad pietatem excitandam. Mature convenient in Ecclesia confirmandi et orationibus quæ in initio dicuntur intersint, nec ab Ecclesia discedant, nisi postquam Episcopus postremam benedictionem fuerit impertitus; nam etsi declaratam fuerit validam esse confirmationem, ideoque neque sub conditione iterandam esse, ommissa prima et generali manuum impositione (3), procurandum omnino est, ut adsint jam omnes dum illa peragitur, et orationes dicuntur quibus super ipsos imploratur Spiritus Sancti gratia. Quapropter vel januæ antea claudantur, minime aperiendæ nisi post benedictionem, vel vigilantissime custodiantur, si ob augustiam loci illas apertas esse conveniens foret.

VI. Omnes etiam adstantes devotis orationibus animoque ad pietatem et religionem composito assistant, atque ab omni strepitu et inani confabulatione abstineant, prout loci sanctitas et sacramenti dignitas exigunt.

VII. Patrini munus in confirmatione obeat unus tantum, sive vir, sive mulier juxta sexum confirmandi, sitque jam confirmatus (4), et si fieri possit diversus a patrino baptismi. Patrini esse nequeunt qui in baptismo sponsores esse prohibentur, atque vitricus aut noverca insuper excluduntur (5). Sufficit ut manum dexteram ponant super humerum vel scapulas confirmandi, quin necesse sit ut parvulos suis ulnis levatum sustineant (6).

VIII. Singuli confirmandi exhibeant schedulam a paracho acceptam, in qua nomen et cognomen ipsorum et parentum referantur. Si quæ vero nomina in baptismo tributa fuerint a christiana professione aliena, Episcopus in Confirmatione alia imponat et a paracho in libro adnotentur, nam confirmatorum nomen et cognomen in speciali libro

(1) Matth. X, 32, 33.

(2) Bened. XIV. De Synod. dicec. lib. VI, cap. 11, n. 3.

(3) Sacr. Congr. de Propag. Fide 6 Aug. 1840.

(4) Pontif. Rom. De confirmandis.

(5) Ex cap. In catechesim 100. De consecr. Dist. IV.

(6) Bened. XIV, Institut. VI, § 16.

inscribi debent, juxta regulas in Rituali romano descriptas. Si qui ex aliena parœcia ad Confirmationem accedant, præter quam quod parochus in suo libro eorum nomina referat, separatim vero ab elencho propriorum parochianorum, ad ipsorum parochum schedulas transmittat, qui eas in suo etiam parochiali libro adnotabit.

TITULUS IV.

De Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento.

Cœlesti nos pane cibare voluit benignissimus Deus, ut qui filii ejus nominamur et sumus (1), cœlestes homines simus (2) et occurramus in virum perfectum (3), conformes facti imagini Filii ejus (4). Hoc nobis tribuit ipsemet Christus Filius Dei, panis vivus qui de cœlo descendit (5), quique sciens quia omnia dedit ei Pater in manus, cum dilexisset suos, qui erat in mundo in finem dilexit eos (6), et in qua nocte tradebatur, divitias sui amoris in nos velut effudit (7), panem in Corpus, vinum in Sanguinem suum convertens et dicens: accipite et manducate; hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur..... accipite et bibite, hic est sanguis meus, qui pro vobis effundetur: hoc facite in meam commemorationem (8). His igitur verbis instituit Eucharistiam, quæ hoc sibi proprium habet, ut sit sacrificium simul et sacramentum; nam quatenus conficitur et ad Deum honorandum immediate refertur, sacrificium est: peracta consecratione, quatenus ad hominum refertur usum, sacramentum est. Nunc autem de hoc tantum dicendum et decernendum intendimus.

I. Commune hoc quidem est sanctissimæ Eucharistiæ cum cæteris sacramentis, symbolum esse rei sacræ et invisibilis gratiæ formam visibilem; verum illud in ea excellens et singulare reperitur, quod reliqua sacramenta tunc primum sanctificandi vim habent, cum quis illis utitur; at in Eucharistia ipse sanctitatis auctor ante illius usum est: nondum enim Eucharistiam susceperant Apostoli de manu Domini, cum vere tamen ipse affirmaret Corpus suum esse quod præbebat. Et semper hæc fides in Ecclesia Dei fuit, statim post consecrationem verum Domini nostri Corpus, verumque ejus Sanguinem sub pani et vini specie una cum ipsius anima et divinitate existere; sed Corpus quidem sub specie panis, et sanguinem sub vini specie ex vi verborum, ipsum autem Corpus sub specie vini, et sanguinem sub

(1) 1. Joann. III, 1. (2) 1. Cor. XV, 48. (3) Ephes. IV, 13.

(4) Rom. VIII, 29. (5) Joann. VI, 51. (6) Id. XIII, 1, 3.

(7) Conc. Trid. sess. XIII, cap. 2. (8) 1. Cor. XI, 23, 25.

specie panis, animamque sub utraque vi naturalis illius connexionis et concomitantiae, qua partes Christi Domini, qui jam ex mortuis resurrexit non amplius moriturus, inter se copulantur; divinitatem porro propter admirabilem illam ejus cum corpore et anima hypostaticam unionem (1).

II. Hanc Sacrosanctae Tridentinae Synodi doctrinam, quam firma fide credimus et profiteamur, doceant parochi, concionatores, caeterique sacerdotes, ut fidelis populus ad adorandam Ssmam. Eucharistiam excitetur, ad gratias Deo ex corde reddendas pro tam ineffabili dono inflammetur, et ad divinum panem quo anima de Deo saginatur (2) suscipiendum fervido accedat amore. Quoniam enim sanctissimi hujus Sacramenti multo plures, quam aliorum sacramentorum usus a nobis fieri, multoque uberiores ex eo, quam ex aliis, fructus percipi possunt; idcirco sancta mater Ecclesia antiquissimo instituto illud asservari et adhiberi jussit, ut caelestis cibi copia fidelibus, qui eo refici petant, praesto semper sit; ut aegrotantibus tamquam viaticum praebetur; ut in tabernaculis veluti in throno gratiae habeatur, et demum populi adorationi proponatur.

III. Venerabilis Eucharistia nedum in cathedralibus et collegiatis ecclesiis asservari potest et debet, sed etiam in parochialibus quibuscumque, licet pauperioribus (3), adeo ut culpa gravetur parochus ille qui, etsi ad paucas horas, eam in sua Ecclesia deesse patiat. Similiter habenda est in Ecclesiis regularium utriusque sexus (4) atque in illis ubi cura animarum exercetur uti sunt filiales parochiarum, dummodo Missa frequenter saltem celebretur per sacerdotem adscriptum, qui ibidem constanter ministret, et necnon sacella hospitalium et hospitorum puerorum et senum (5). Caeteris interdicitur nisi ex legitima et immemorabili consuetudine, vel ex privilegio apostolico (6). In Ecclesiis cathedralibus necnon in parochialibus amplioris magnitudinis, ubi plures celebrantur functiones sacrae et frequens populus ad communicandum accedit, duo haberi licet tabernacula, uti ex perantiqua consuetudine habentur, unum in capella quae longe distet ab altari majori in qua Corpus Christi asservetur pro communione fidelibus distribuenda, et pro infirmis reficiendis, alterum in quo obseretur ostensorium cum hostia majori pro publica Sanctissimi Sacramenti expositione (7).

(1) Conc. Trid. sess. XIII, cap. 3.

(2) Tertulian. *De resurrect. carn.* C. 8. (3) S. Cong. Conc. 22 Mart. 1694.

(4) S. Cong. Conc. 11 Mai. 1614. (5) S. R. Conc. 7 Mai. 1857.

(6) Bened. XIV. Const. *Quamvis*.

(7) Conc. prov. Vienn. 1858. S. Rit. C. 5 Dec. 1868.

IV. Lampades, una saltem ante tabernaculum diu noctuque colluceat (1), quæ fidelibus advenientibus Deum præsentem annuntiet, atque ad adorandum invitet, illisque recedentibus cultus aliquam et amoris professionem exhibere pergat. Oleo ex olivis expresso (alio quocumque interdicto) (2) jugiter alatur, ne umquam lumen deficiat, super quod sollicitudinem et vigilantiam parochorum, et ecclesiarum rectorum obtestamur, illorum conscientiam onerantes.

V. Particulæ consecratæ frequenter renoventur; numquam post quindecim dies; æstivo vero tempore in unaquaque hebdomada, ut omne corruptionis periculum vitetur (3).

VI. Et quoniam Christus Dominus, cujus deliciae esse cum filiis hominum (4), in Sacramento altaris jugiter nobiscum commorari voluit, non solum ut sui numinis præsentia communiret, sed potissimum ut sui Corporis cibo et Sanguinis potu spiritualem nostram vitam aleret et augetet, doceantur assidue fideles de ineffabili hujus beneficii magnitudine, deque ejus virtute et fructibus, ut maximum in omnibus ardeat desiderium frequenter accedendi ad hanc angelorum mensam, ut vitam habeant et abundantius habeant (5). Dicente enim Domino: Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem in me manet, et ego in eo.... et ipse vivet propter me (6), per hoc divinum Sacramentum efficimur Christiferi; hoc est, Christum in corporibus nostris ferentes.... et sic secundum beatum Petrum, divinæ naturæ consortes reddimur (7). «Unde consequens est, quod per hoc Sacramentum in sumentibus digne gratia augeatur, omnemque effectum, quod materialis cibus et potus quoad vitam agunt corporalem sustentando, augendo, reparando et delectando, hoc quoad vitam operatur spiritualem, in quo, ut inquit Urbanus Papa, gratam Salvatoris nostri recensemus memoriam, a malo retrahimur, confortamur in bono, et ad virtutum et gratiarum proficimus incrementum» (8).

VII. Paterno igitur affectu rogamus et obsecramus per viscera misericordiæ Dei nostri, ac per parochos, per divini verbi præcones, atque per confessarios hortari volumus omnes et singulos, qui christiano censentur nomine, ut in hoc vinculo charitatis, in hoc concordia symbolo conveniant et concordent (9), atque frequenter et digne accedant ad mensam Domini. Exinde enim multi sunt infirmi et imbecilles et dormiunt multi (10), ac veluti de vite desecti palmites arescunt,

(1) Rit. Rom. *De SSmo. Euchar. Sacram.*

(2) S. Rit. Cong. 9 Jul. 1864. (3) S. Rit. C. 7 Sept. 1850. (4) Prov. VIII, 31.

(5) Joann. X, 10. (6) Id. VI, 57, 58. (7) S. Cyrill. Hierosol. *Catech. Mistag.* 4.

(8) Conc. Florent. Decr. pro Armen.

(9) Conc. Trid. sess. XIII, cap. 8. (10) I. Cor. XI, 30.

quia obliviscuntur comedere panem qui dat vitam mundo (1), de quo ipsemet Salvator dicit: «nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem non habebitis vitam in vobis» (2). Vehementer ergo cum Tridentinis Patribus optamus, ut nulla festiva dies, immo si fieri possit, nulla omnino dies transeat qua non aliqui, ad minus, fideium ad sacram communionem in unaquaque accedant Ecclesia.

VIII. Duo vero extrema cavenda sunt omnino a parochis aliisque animarum moderatoribus: scilicet ne sua negligentia vel impatientia a frequenti communione arceantur fideles, quibus a Christo dictum est «venite ad me omnes... et ego reficiam vos» (3) et ne ad eam admittant qui publice indigni censentur, quales sunt: hæretici, ecclesiasticis censuris innodati, publici peccatores, alique in Rituali Romano notati, sicut occulti peccatores occulte petentes, donec resipiscant et digne accedant: nefas enim est sanctum dare canibus (4). Quoad pios fideles qui frequenter communicare desiderant, parochus uti talis, sibi non arroget in foro externo iudicium de communione illis concedenda vel deneganda, cum hoc ad confessarium pertineat; illius vero est præsto esse cuicumque hunc panem esurienti et rite petenti.

IX. Moneantur similiter omnes de præparatione præmittenda sacræ communioni juxta Apostoli monitum: «probet autem se ipsum homo, et sic de pane illo edat et de calice bibat; qui enim manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit, non dijudicans Corpus Domini» (5). Quæ verba repetens Concilium Tridentinum ait: «ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumvis sibi contritus, videatur, absque præmissa sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat» (6). Neque tantum veste nuptiali per gratiam ornati, et jejuni, nisi de Viatico agatur, sed et magna humilitate, fide, modestia et exteriori decentia assistant fideles sanctissimo convivio agni immaculati Christi. Talem enim se exhibebit Deus animæ Sacramentum vitæ suscipienti, qualem se illa præparaverit Deo; et quantum quisque apposuerit diligentiam, tantum Deus adjiciet ad gratiam.

X. Ordinarius hujus Sacramenti distribuendi minister est quilibet sacerdos, exceptis viatico et communione paschali, quæ ad parochum de jure pertinet ministrare. Extra Missam ministraturus, superpelliceo et stola coloris officio diei congruentis utatur, insignibus quibuscumque etiam canonicalibus depositis (7).

(1) Joann. VI, 33. (2) Id. id. 54. (3) Matth. XI, 28.

(4) Id. VII, 6. (5) 1. Cor. XI, 28, 29. (6) Sess. XIII, cap. 7.

(7) S. Rit. Cong. 31 Aug. 1867.

XI. Religiose, summaque cum reverentia observentur omnia quæ de communione, sive intra, sive extra Missam distribuenda præscribuntur. Meminerint sacerdotes sibi nefas esse plures quam unam consecratam particulam alicui præbere (1), neque eas dividere extra necessitatis casum, uti cum proxime Missa pro aliis consecrandis celebrari nequeat (2). Corporale super altare explicatum numquam maneat, nisi in actu distributionis, sed complicatum et in bursa clausum teneatur, si frequenter accedant communicantes (3), atque post ultimam distributionem ad sacristiam deferatur, non a laico, sed ab ipso sacerdote (4). Omnino improbamus et vetitum declaramus morem dandi fidelibus corporalium bursam, ut ante pectus eam apponant, dum communicant, quamque ipsi immediate deosculantur, dum adhuc sacram hostiam in ore detinent. Hæc praxis statim ubique eliminetur. Licitum vero est laminam argenteam, seu inargentatam ad hoc adhiberi, ut in plurimis fit Ecclesiis (5); quæ tamen nec permitti debet ut, communione accepta, deosculetur, nec in tabernaculo clausa servari licet, sed decenter extra ipsum accuratim inspecta post communionem, et, si opus fuerit, super pyxidem purificata.

XII. Diurno dumtaxat tempore, horis nempe, quibus sacrosantum Missæ sacrificium celebrare licet communio administranda est (6), minime vero in nocte Nativitatis Domini, nisi ex apostolico privilegio (7). Ubi Missa ex indulto celebratur antequam aurora illucescat, vel in initio ipsius auroræ, communio dispensari potest, immo et ante Missam, si mora gravis esset fidelibus, qui non nisi summo mane et per breve tempus ad Ecclesiam accedere possunt, vel forte minore tempore, minorive pietatis emolumento in gratiarum actione permansuri essent, si ad sacram communionem accipiendam non nisi post communionem sacerdotis admitterentur.

XIII. Licet sacram synaxim administrari a sacerdote cum paramentis nigris celebrante, sive intra Missam, sive ante, vel post in eodem altari, omissa tamen benedictione (8) atque *alleluia* in tempore paschali, quamvis oratio et versus de tempore dici debent (9). Nequit dari feria V in Cœna Domini post Missam solemnem (10), nec in feria VI in Parasceve, nisi per modum Viatici et cum stola alba (11). In Sabbato sancto, in locis tantum ubi adsit consuetudo, intra Missam, vel post eam solemniter celebratam (12).

(1) S. Rit. Cong. 12 Feb. 1679, approbante Innoc. XI.
(2) Id. 16 Mart. 1833. (3) Id. 13 Sept. 1704. (4) Id. 24 Sept. 1842.
(5) Id. 12 Aug. 1854. (6) S. Rit. Cong. 16 Sept. 1819.
(7) Id. 3 Sept. 1701. (8) S. R. Cong. Decret. generale 27 Jun. 1868.
(9) Id. 26 Nov. 1878. (10) Caval. tit. IV, cap. 4, d. 3, n. 3.
(11) S. Rit. C. 12 Feb. 1679 approbat Innoc. XI. (12) S. Rit. C. 22 Mart. 1806.

§ I.

De Communionem paschali.

Opus non habuisset Ecclesia paschalem communionem speciali decreto præcipere ad segiores, timore saltem pœnarum excitandos, nisi charitas et pietatis studium refrixisset, quo, priscis temporibus ad sacram mensam frequentissime accedebant fideles, unde et spiritalis vita sese prodibat ubique, et sanctitas qua plurimi fulgebant. Sed quum, multorum jam charitate imminuta, ad divinum panem edendum non nisi raro appropinquarent, de filiorum æterna salute sollicita piissima mater, præceptum imposuit ut ter saltem in unoquoque anno Sacram Eucharistiam sumerent in Paschate, scilicet, in Pentecoste, et in Natali Domini (1). Denique cum neque hanc salutarem præceptionem servari vidisset, et non pauci plures per annos a Sacramentis se abstinerent, maternis visceribus ad meliorem frugem trahendos inhians in Concilio IV Lateranensi celeberrimam illam legem edixit atque sancivit: «Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata, saltem semel in anno, fideliter confiteatur proprio sacerdoti et injunctam sibi pœnitentiam propriis viribus studeat adimplere, suscipiens reverenter ad minus in Paschate Eucharistiæ Sacramentum, nisi forte proprii sacerdotis consilio, ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab ejusmodi susceptione duxerit abstinendum: alioquin vivus ab ingressu Ecclesiæ arceatur, et moriens ecclesiastica careat sepultura» (2). Quam quidem legem Tridentini Patres ratam habuerunt, ex expresse confirmarunt (3).

I. Flentes tamen lamentare cogimur plurimorum cæcitatem, qui a recta semita aberrantes, et de propria salute nullimode solliciti, sanctæ Matris Ecclesiæ præcepta parvipendunt, atque Christum Jesum, cujus se discipulos esse pleno superboque ore affirmare non verentur, etsi operibus negant, nec quærunt nec diligunt, nec in corde suo accipere volunt, unde vita carent quæ ab ipso solo haberi potest, apud quem est fons vitæ (4), et peccatis obvoluti in æternam prope rant perditionem. Eorum certe miseremur, pro ipsis continuo, ut resipiscant, et aliquando sapiant, et ad cor redeant preces coram Deo fundimus, eosque paterna voce vocamus et monemus in omnium illorum aures verba Domini ingeminantes: «convertimini, projicite a vobis omnes prævaricationes vestras in quibus prævaricati estis, et

(1) Cap. *Sæculares* 19. De consecr. dist. 2. (2) Can. *Omnis* De pœnit. et remiss.

(3) Conc. Trid. sess. XIII, can. 9 XIV, cap. 5, can. 8. (4) Ps. XXXV, 10.

facite vobis cor novum et spiritum novum: et quare moriemini? Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus, revertimini et vivite» (1).

II. Idipsum nobiscum agant parochi omnesque verbi divini nuntiatores, et zelo gloriæ Dei et animarum salutis incensi, sedulo inculcent et doceant, duplici præcepto teneri omnes ad sacratissimæ Eucharistiæ sumptionem, divino nempe et ecclesiastico; divino uti ex verbis Christi Domini liquet, qui expresse dixit: «accipite et manducate (2); nisi manducaveritis carnem Filii hominis... non habebitis vitam in vobis» (3); ecclesiastico ex superius transcripto Concilii Lateranensis decreto, in quo tempus præfigitur hujus salutiferi convivii adeundi ab omnibus Ecclesiæ catholicæ filiis, ut divinum adimpleatur præceptum.

III. Quadragesima adveniente hoc præceptum promulgent et explicant parochi, in memoriam omnium revocantes, Concilii Tridentini canonem quo anathema dicitur illi qui præceptum negaverit (4). Doceant gravissimo se crimine obstringi, et pœnis in Lateranensi Concilio statutis, obnoxii fieri, quicumque intra præscriptum temporis spatium sacram Eucharistiam non sumunt, nisi forte aut legitimo detineantur impedimento, aut ex confessarii judicio in aliud tempus id facere differant. Quod interdum est necessarium, ne quis indigne ad Eucharisticam mensam accedens, horrendum committat sacrilegium ac iudicium sibi manducet et bibat (5), cum præsertim Ecclesiæ præcepto non satisficiat, qui sacrilege communionem suscipit (6).

IV. Ut huic præcepto omnes fideles facilius satisfacere et ut excusationis causam desides prætereundæ minime possint, Episcopi quotannis denuntient periodum adimpletionis juxta suarum diocesium praxim ex Apostolico Indulto statutam.

V. Locus ab ecclesiastica lege definitus ad Paschalem Communionem accipiendam, est parochialis uniuscujusque Ecclesia, ideoque qui in alia communicat præcepto minime satisfacit, nisi Episcopi, aut proprii parochi accesserit venia, in qua concedenda parochi ne nimium difficiles se præbeant; sed prudenter agant, et schedam adimpletionis exigant. Paschalis siquidem communio professio quædam est communionis cum Ecclesia, et hujus vinculum per submissionem legitimo superiori exhibitam manifestatur; ideoque convenientissime statutum est, ut a proprio pastore in communi familiæ mensa paschale sacramentum recipiatur. Qui ægre igitur ferrent, si membra familiæ declinarent a convivio quod communis lætitiæ causa paratum fuit,

(1) Ezech. XVIII. 30 et seq. (2) 1 Cor. XI, 24.

(3) Joann. VI, 54. (4) Sess. XIII, can. 9. (5) 1. Cor. XI, 29.

(6) Propos. 55 inter damnat. ab Innoc. XI.

nec ipsi deflectant a mensa communi, quæ illos fide domesticos, charitate familiares, et supernaturali nutrimento consanguineos demonstrat.

VI. Ab hac lege, quoad locum excepti sunt, præter sacerdotes, qui ubicumque paschali tempore celebrent præcepto faciunt satis, peregrini, vagi, et advenæ (1), quique justa de causa a propria parœcia absunt. Hi enim in loco ubi tempore paschali degunt, communionem accipere possunt, dum redeuntes, adimpletionis testimonium parochi proprio exhibeant. Qui vero absunt ut a lege liberentur, sciant se omnino teneri, ideoque nec a peccato liberari, nec statutas pœnas effugere.

VII. Permittimus, ut omnes qui in seminariis, orphanotrophiis, collegiis, aliisque educationis domibus ab Episcopis approbatis, vel dependentibus, paschalem communionem accipiant in sacello seu Ecclesia domui adnexa, et a proprio ipsius rectore seu ab ejus delegato sacerdote. Hoc ipsum concedimus iis qui in valetudinariis decumbunt, vel in carceribus detinentur, qui vel in oratorio locorum, vel in proprio lecto sacram communionem accipiant. Laudabilis servetur consuetudo deferendi sacram Eucharistiam tempore paschali, et splendido apparatu, ægrotis, qui ad Ecclesiam accedere nequeunt (2).

VIII. Nisi aliquo detineatur impedimento, parochus ipse communionem paschalem fidelibus distribuat (3). Impeditus vero, coadjutori, et in ejus defectu, alio sacerdote proprio committat officium.

IX. Quos communionem paschalem negligere noverint parochi, etiam atque etiam summa charitate ad prudenti zelo moneant, monitionibus autem in irritum cadentibus, rem proprio Episcopo denuntient, ut de iis quid facto opus fuerit, statuatur.

§ II.

De prima puerorum communionem.

I. A prima puerorum communionem pendet sæpissime tota vitæ ratio, ac fructus in successivis communionibus percipiendi, immo et æterna salus. Vel maxime ergo, ac singulari solertia a parochis curandum est, ut optima animæ corporisque præparatione ab illis perficiatur, et accedant, ut oportet, ad arborem vitæ in medio paradisi Ecclesiæ a Domino plantatum; cujus fructus immortalitatem præstat edentibus, ut in fortitudine cibi illius ambulantes, ex hujus periculosæ peregrinationis itinere, ad cœlestem patriam pervenire mereantur.

(1) Rit. Rom. De comun. paschal. (2) Rit. Rom. id. id.

(3) Rit. Rom. De Commun. Paschal.

II. In adventu itaque summi regis mundentur corda parvulorum, ut digne ambulent in occursum illius, qui venit ibi mansionem factururus, si dignum ei habitaculum præparetur, ut in charitate radicati et fundati (1) crescant in eo ipso qui est caput Christus (2), et dilatato corde viam mandatorum Domini percurrant, neque ad dexteram neque ad sinistram declinantes.

III. Hoc sibi speciale munus esse considerantes parochi tamquam spirituales puerorum parentes, alacri animo studeant in ipsis parare viam Domini et rectas facere semitas ejus (3). Nullo igitur pareant labori ad illorum mentes vivissimæ fidei lumine illustrandas, tenera ipsorum corda ferventiori erga Dominum Jesum Christum amore accendenda, maximamque cibi eucharistici existimationem ac desiderium in illorum animis infundendum. Ad pueriles defectus corrigendos animum vertant; ad virtutum praxim, præsertim puritatis, obedientiæ ac pietatis illos informent. Ad pœnitentiæ sacramentum sæpius eos vocare oportet, et quo vicinior est dies, qua ad sacrum convivium accedere debent, eo magis inflammandi sunt ad conscientiam optima ratione, ac generali etiam confessione purgandam, et ad ornandam cordis habitationem in quam Deus ipse ingressurus est. Opportunum ad hoc assequendum erit, ut devota aliqua prædicatione puerorum captui accommodata, et ad normam spiritualium exercitiorum, ad sanctissimam communionem disponantur per quinque saltem dies illam immediate præcedentes, et ita fieri præcipimus.

IV. Ætas qua ad eucharisticam mensam admittendi sunt pueri minime definita est ab Ecclesia. «Quando jam pueri incipiunt aliqualem usum rationis habere, ut possint devotionem accipere hujus sacramenti, tunc potest eis conferre» ait S. Thomas (4). Parochorum ergo erit diligenter explorare quinam admittendi sunt, sedulo perquirentes de eorum pietate, ingenio et rationis usu, atque in fidei doctrina institutione, qua possint divinum hunc cibum a communi pane satis discernere. Quos adeo rudes invenerint, ut perfectam institutionem suscipere non valeant, paterna charitate et diligentia, quantum in ipsis est, adhibita, meminerint Catechismum Romanum, hoc tantum requirere, ut pueri «hujus mirabilis sacramenti cognitionem *aliqualem* acceperint et gustum habeant» (5), Cumque communiter inter decimum et decimum quartum ætatis annum hæc cognitio haberi soleat (6), hanc regulam statuimus, ut nemo angelorum panis particeps fiat, nisi decimum saltem annum attigerit, et nemini ultra decimum

(1) Ephes. III, 17. (2) Id. IV, 15. (3) Matth. III, 3.

(4) Summ. Theolog. 3 p. Quæst. 80, art. 9. (5) De Sacr. Euchar. n. 62 et 63.

(6) Bened. XIV. De Synod. diœc. lib. VIII, cap. 12, n. 2.

quartum prima sacramentalis communio protrahatur. Si tamen sufficiens cognitio pueris citius affulserit, atque sensus pietatis et honestatis in ipsis invenerit parochus, acceleret, antequam ipsi propria expolientur innocentia, et animum vitiis commaculent a quibus eos angelorum esca est præservatura, ipsos præveniando in benedictionibus dulcedinis.

V. Nullus sacerdos pueros sacræ mensæ initiet absque parochi consensu, qui tamen facilis sit ad assentiendum, si rationabilis causa adsit, et pro iis præsertim qui in religiosis collegiis educantur, unde satis compertum est, eos recte in fide ac pietate instructos esse.

VI. Solemniori, qua fieri possit, pompa et apparatu celebretur prima puerorum communio, ut tam pueri doceantur divinum Sacramentum magni facere, tum parentes ipsi ad pietatis sensus, et si fortasse negligentes fuerint, ad præceptum adimplendum excitentur. Horis pomeridianis iterum ad templum revocentur pueri ut publice gratias referant Deo, pro ineffabili, quo illos ditavit, beneficio, et ut solemniter renovent promissiones in baptismo emissas, ac sacratissimo Cordi Jesu et beatissimæ Virgini Mariæ se ex toto corde devoteant. Ad hoc ferventiori spiritu peragendum excitentur a parocho ardentissimis verbis, eosque hortetur, uti bonus eorum pastor, ut frequenter in posterum ad sacram communionem accedant. Sciant parochi omnes magnam sibi consolationum segetem paratam ex labore quem in santificandos pueros impendant. Pietatem in familiis et in populis vigere videbunt, et mirabitur et dilatabitur cor eorum, et ipsi benedictionem accipient a Domino, et misericordiam a Deo salutari suo (1).

§ III.

De viatico et communione infirmorum.

I. Fideles in probabili mortis periculo constituti, sacram Eucharistiam accipere tenentur, et quidem ex divino præcepto juxta communem doctorum sententiam (2), ut nempe ad extremum agonem cœlesti pane roborentur. Meminerint ergo parochi, hoc sacramentum esse viaticum in Domino morientium; ideoque sollicitè curent ut ægre decumbentes, hoc viatico mature roborentur. Illos adeant atque amantissimis verbis excitent ad purgandam conscientiam, et ad divinam Eucharistiam suscipiendam, etiamsi præcedenti die ad sacram mensam accesserint.

(1) Ps. XXXIII, 5.

(2) Bened. XIV. De Synod. dioec. lib. VII, cap. 2, n. 2.

II. Viatico muniantur etiam pueri, qui primæ communionis ætatem nondum adepti, ad usum tamen rationis pervenerunt, et cœlestem cibum a vulgari discernere queunt. Male autem se gerent parochi, nec leviter deliquerint, si pueros qui hanc cognitionem sufficienter habeant sine viatico e vivis excedere permiserint, ea inepta motivatione, quod numquam ante communicaverint. Sciant enim tantam non desiderari ætatem, ut quis in articulo mortis Ssmo. viatico possit ac debeat muniri (1).

III. Parochi antequam viaticum ad infirmum deferant, perspectum habeant tum locum, tum dispositiones ægroti, ne ad indignos cum aliorum scandalo deferatur, uti eos admonet Rituale romanum, eos designans quibus dari nefas est, nisi sese prius sacra confessione purgaverint et publicæ offensionis, prout de jure, satisfecerint (2).

IV. Curandum est, nisi necessitas urgeat, ut qua fieri possit pompa ad infirmos deferatur augustissimum Sacramentorum et quidem sub baldachino, vel saltem umbella, uti pro quacumque ipsius processionali delatione (3), et expresse pro viatico præceptum est. Non omittat tamen sacerdos superpelliceo et stola, saltem sub pallio, indui, et alia, prouti liceat, convenienter præstare, illud etiam curans, ut in domo, quam Salvator ipse ingredi debet, omni cultu recipiatur.

V. Sacerdos viaticum deferens meminerit Dominum cœli et terræ, quem faciem velantes adorant angeli, in manibus gestare; ideoque summa modestia ac reverentia iter percurrat, gravi incedens passu, pyxidem utraque manu tenens, atque psalmos recitans juxta Ritualis præscriptum. Sic enim comitantes ac transeuntes ad devotionem, prout debet, facile excitabit. Nisi adsit privilegium apostolicum, aperto capite incedere debet, et contraria, si ubique viget, consuetudo omnino est ab Episcopis eliminanda. Nihil quidem est quod ægre hoc ferat sacerdos, cum eodem modo et reverentia se gerant qui ipsum comitantur fideles, quos certe ipsemet reprehenderet, dum vel comitantes vel in transitu obviam exeuntes caput cooperire videret (4).

VI. Nec obliviscantur posse et debere in eadem infirmitate Sanctissimum viaticum iterum ac tertio ministrari, præsertim si ipsimet ægrotantes cœlestem panem esuriant, et ab Episcopo posse puniri parochum renuentem et pio infirmi desiderio contradicentem (5). Nec jejunii naturalis lege obstringitur infirmus, cui post viaticum susceptum, iterum ministretur sacra Eucharistia, etsi in hac iteratione

(1) Id. id. lib. VII, cap. 12, n. 1, 2, 3. (2) Rit. Rom. *De commux. infirm.*

(3) Cærem. Episc. lib. II, cap. 23, S. Rit. C. 7 Maii 1857.

(4) Rit. Rom. loc. citat. (5) Bened. XIV. *De Syn. Diœc.* lib. VIII, cap. 12, n. 2.

non formula pro illo statuta, sed quæ pro ordinaria communione utitur adhibenda sit.

VII. Etiam iis, qui senio, vel longa infirmitate laborant, quin probabile instet periculum mortis, et dummodo jejunium servare possint, nequit denegari sacra communio, præsertim si, dum valebant, frequenter ad sacram mensam accedere solebant. Hoc igitur magnum charitatis opus agant parochi, si infirmus petierit; immo eum adhortentur ut desideret ac petat. Si ægrotus sacerdos fuerit, ad ædificationem fidelium præstabit, ut sacratissimam Eucharistiam qualibet hebdomada saltem suscipiat.

TITULUS V.

De Sacramento pœnitentiæ.

Dives in misericordia Deus, qui cognovit figmentum nostrum (1), nec vult mortem impiï, sed ut convertatur et vivat (2), vitæ remedium contulit iis, qui sese post baptismi gratiam, in peccati servitute tradiderunt, sacramentum videlicet pœnitentiæ, quo lapsis post baptismum beneficium mortis Christi applicatur (3). Mira certe charitatis dignatio, quod cœlestis pater filium divinæ hæreditatis prodigum, si, ad pedes ejus procidens confiteatur, «Pater peccavi,» ministri sui ore vestiri jubet stola prima (4). Quemadmodum enim nobis nasci non profuit, nisi redimi profuisset, sic neque renasci profuit illis, qui post regenerationis gratiam susceptam, concupiscentiis servientes se in diaboli jugum tradiderunt, nisi eis alterius, ut cum laboriosi, baptismi remedium præsto esset ad justitiam recuperandam.

I. Solius Dei est peccata dimittere; sed Christus verus Deus, et Filius hominis, qui in terris agens per semetipsum hac potestate uti propria usus est (5), a mortuis excitatus Apostolis suis, eorumque in sacerdotio successoribus, et pro eo legatione fungentibus (6), illam tribuit dicens: accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt (7). Dedit itaque eis veram potestatem remittendi et retinendi peccata post baptismum commissa, ut vis verborum declarat, et constans Ecclesiæ docet traditio, non arbitrarie quidem, sed judiciali ratione in unam vel aliam partem exercenda. Eadem vero ratione, qua Apostoli iudices constituti sunt, credendum est hanc legem omnibus baptizatis factam

(1) Ps. C. II, 14. (2) Ezech. XXXIII, 11.

(3) Conc. Trid. sess. XIV, cap. I. (4) Luc. XV, 21, 22.

(5) Luc. V, 20, 24, VII, 48. (6) 2. Cor. V, 20. (7) Joann. XX, 22, 23.

esse, ut, quoties in crimina lapsi fuerint, ante hoc tribunal reos se sistant illa confitentes, et per sacerdotis sententiam ab eisdem absolvantur. Judicium enim requirit causæ cognitionem, quæ ab alio quam a pœnitente repeti nequit, cum occulta etiam peccata in iudicium veniant. Sacramentum igitur pœnitentiæ lapsis post baptismum ita est ad salutem necessarium, uti nondum regeneratis ipse baptis- mus (1). Sed quamvis sola peccatorum mortalium sit ad salutem necessaria confessio, utile tamen est etiam venialia confiteri (2).

II. Hujus sacramenti ministri sunt sacerdotes; quoniam vero judicialis sententia in illos tantum, qui subditi sunt, ferri possit, præter ordinem requiritur in ipsis jurisdictionis potestas, atque irrita foret absolutio quam sacerdos illi conferret, in quem non haberet jurisdictionem ordinariam vel delegatam (3). Districte proinde prohibemus, ne quis, sive sæcularis, sive regularis sacerdos in quacumque nostræ provinciæ diœcesi pœnitentiæ sacramentum ministrare præsumat, nisi legitimam ab Ordinario loci facultatem obtinuerit. Episcopi vero hanc facultatem concedunt, vel ordinariam ratione præbendæ pœnitentiariæ, aut beneficii parochialis, vel delegatam in aliis casibus ad normam sacrorum canonum (4).

III. Quum vero iudicii ratio ferat, ut causæ quædam majores ab inferiorum iudicum jurisdictione subtrahantur, Summo Pontifici et Episcopis jus inest quædam sibi peccata reservandi etiam in foro interno. Nullus ergo confessarius quemquam, nisi in mortis articulo, aut gravi periculo constitutum absolvere præsumat a casibus Apostolicæ Sedi, vel Episcopo reservatis, si expressa facultate caruerit, sub pœnis a jure latis (5). Instante mortis periculo, omnis reservatio cessat, quo in casu, si approbatus confessarius non habetur, cuilibet sacerdoti sancta mater Ecclesia concedit jurisdictionem ad reservata et non reservata delicta remittenda (6). Verumtamen si censuris aliquos absolvent, monere debent, ut, si convaluerint, illarum absolutionem ab iis petant, quibus earum vinculum solvere est reservatum; nam iisdem censuris erunt obstricti, si id præstare renuant, aut diutius, quam par est, differant (7).

IV. Præ oculis habeant recens decretum sacræ Congregationis Romanæ et Universalis Inquisitionis, quo declaratur tuto teneri non posse sententiam docentem, ad Episcopum aut ad quemlibet sacerdotem approbatum devolvi absolutionem casuum et censurarum, etiam

(1) Conc. Trid. sess. XIV, cap. 2. (2) Id. id. cap. 5. (3) Id. id. cap. 7.

(4) Id. id. cap. 2. — XXII, cap. 15. De ref. Ben. XIV. Const. *Apostolica indulta* 5 Aug. 1744.

(5) Conc. Trid. Sess. XIV, cap. 7. (6) Id. id.

(7) Cap. *Eos* 22. De sent. excom. in 6.



speciali modo Papæ reservatorum, quando pœnitens versatur in impossibilitate personaliter adeundi Sanctam Sedem; ideoque recurrendum esse, saltem per litteras, ad Cardinalem Majorem Pœnitentiarium pro omnibus casibus Papæ reservatis, nisi Episcopus habeat speciale indultum, præterquam in articulo mortis, ad obtinendam absolvendi facultatem; at in casibus vere urgentioribus, in quibus absolutio differri nequeat, absque periculo gravis scandali et infamiæ, super quo confessariorum conscientia oneratur, dari posse absolutionem, injunctis de jure injungendis, a censuris etiam speciali modo Summo Pontifici reservatis, sub pœna tamen reincidentia in easdem censuras, nisi saltem infra mensem per epistolam et per medium confessarii absolutus recurrat ad Sanctam Sedem (1).

V. In confessariis approbandis, curandum est ab Episcopis, ut non tantum præditi reperiantur ea scientia qua suo munere rite fungi valeant, sed sint etiam «pii, benemorati, prudentes, patientes deque animarum salute solliciti» (2). Si vero jam approbati, in sacro munere obeundo, non ita sincere, et cum ædificatione procedant, quemadmodum et ministerii sanctitas et animarum salus deprecantur, a confessionibus audiendis, etsi regulares sint, suspendantur, aut etiam omnino removeantur (3).

VI. Magna quippe res est confessarii munus; nam quæ sacramentum pœnitentiæ rite administrans, solvit in terris, ea soluta sunt in cœlis; ideoque potestatem habet quam Deus neque angelis, neque archangelis datam esse voluit (4). Sed et arduum quoque est munus istud, in quo non hominis, sed Dei ipsius iudicium exercetur in salutem animarum, et quodcumque iudicaverit in ipsum redundabit (5). Omnes igitur confessarios enixe hortamur, ne umquam confessionale adeant, quin animum ad superna erigentes, Patris luminum auxilium implorent. Nemo tamen de cœlesti adjutorio confidat, nec cooperandi laborem refugiat; sed omnes studiis vacent quibus in sacra scientia proficere possint, et probatissimos theologiæ moralis auctores, ac præcipue S. Alphonsum de Ligorio, assidue revolvant. Legant pariter, et meditentur monita sanctorum Antistitum Caroli Borromæi, et Francisci Salesii, necnon S. Leonardi a Portu Mauritio, ut triplici officio, iudicis, scilicet, doctoris et medici animarum sapienter et proficue incumbere valeant. Utinam non contingeret, ajebat Benedictus XIV, quod tamen frequentissime videmus, aliquos nempe sacerdotes, qui initio præclarissime confessarii munus susceperunt, inde

(1) 30 Jun. 1886. (2) S. Car. Borr. Conc. I prov.

(3) Clem. X. Const. *Superna* 21 Jun. 1670. S. Car. Borr. Concil. III.

(4) S. Joann. Chrysost, *De Sacerdot.* lib. 3, cap. 5. (5) 2. Paralip. XIX, 6.

post diuturnum tempus, omnium studiorum cura neglecta, pristinam theologiæ scientiam moralis amittere, ita ut, qui in ejusmodi arte peritissimi fuerant, tandem exigua solum et confusa ipsius artis scientia, primisque rudimentis instructi, vix inter tirones adnumerentur (1).

VII. Et si judicem laicum dedeceat, ignorare limites suæ jurisdictionis, et pœnas quas in sibi subjectos delinquentes adhibere debet, potiori jure indecorum est conscientiarum judicem nescire quid possit, quid non, juxta terminos jurisdictionis sibi traditæ. Quapropter perdiligenter addiscant reservationes sive ab Apostolica Sede, sive a proprio Episcopo factas. Eadem diligentia perpendant frequenter Constitutionem *Apostolicæ Sedis* qua ecclesiasticæ censuræ latæ sententiæ limitatæ fuere; non omittant probatum aliquem auctorem præ manibus habere, qui illas clare interpretetur; nec minorem accusationem ostendant in iis sciendis quæ ad Bullam Cruciatæ referuntur, et ad privilegia per ipsam in pœnitentium favorem concessa.

VIII. Maximam in eo curam adhibeant confessarii, ut nihil omnino ex requisitis conditionibus desit in actibus pœnitentis, qui ex Dei institutione sunt quasi materia hujus sacramenti (2). Consulant propterea confessionis integritati, interrogando eos, qui haud satis expresserint peccatorum numerum, speciem, et circumstantias speciem mutantem (3). Ab inutilibus tamen et otiosis, ac multo magis a periculosis interrogationibus abstineant, ne pœnitentes, ac præsertim pueri, puellæ, atque rudes et simplices sibi ignorata ediscant facinora; nec obliviscantur sibi severissime vetitum complices peccati, seu nomen vel habitationem exquirere (4).

IX. Gravissimi muneris sui partes non implent, immo vero gravioris «criminis reos se faciunt confessarii, qui nulla tacti sollicitudine, pœnitentes tantum audiunt, non monent, non interrogant, sed expleta criminum enumeratione, absolutionis formam illico proferunt» (5). Pœnitentes igitur omnes paterna excipiant benignitate, ac vinum et oleum in eorum vulneribus infundant (6). Comites se exhibeant, iis potissime quibus, ut tam salutare sacramentum frequentent, animus addendus est, viris præcipue et juvenibus. Attente et sedulo videant quando et quibus differenda, vel deneganda sit absolutio, ne, imprudenti benignitate, crudeles evadant in eos, qui in proxima graviter peccandi occasione libere et sponte versantur, eis facile, nondum dimissa occasione, absolutionem elargiendo; vel si omni, quo possit, modo ad odia deponenda, aut restitutiones faciendas non urgendo. Si

(1) Ben. XIV Inst. Eccl. XXXII. (2) Conc. Trid. sess. XIV, cap. 3.

(3) Id. id. cap. 5, can. 7. (4) Ben. XIV. Const. *Superna* 7 Jul. 1745.

(5) Ben. XIV. Const. *Apostolica* 26 Jun. 1749. (6) Luc. X, 34.

vero aliqui non satis dispositi ad sacramentum accesserint, muneri suo pariter satisfecisse minime credant, si pœnitentes hujusmodi sine absolutione statim dimittant. Ipsi enim eos disponere omni zelo tenentur, ne videlicet absolutione acerbe negata, cadant animo et a sacramentis abstineant. Et hanc cautelam cum viris quidem et juvenibus sciant esse magis necessariam.

X. Induti ergo viscera misericordiæ, patres omnibus se exhibeant recipiendo eos summa mansuetudine, sufferendo patienter tarditatem eorum, imbecillitatem, inscitiam, aliasque imperfectiones. Sciant condolere iis qui ignorant et errant (1), eos necessaria edoceant, vacillantes instruant, timidos confirmet, hærentibus et pro verecundia et metu tacentibus animum addant, nec quemquam corripiant, objurgentque, quin non antea peccata omnia exposuerit. Memoria semper retineant verba Domini Jesu, cujus vices gerunt: «non est opus valentibus medico, sed male habentibus: non veni vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam» (2).

XI. Quoniam vero maxime timendum est, ne semel dimissi, amplius non redeant; omni quo potuerint benevolentia et charitatis studio adlaborent, ut ex imparatis faciant paratos ad absolutionem, prout hortatur Leo XII, qui, post sapientissima, quæ omnes legere oportet, hæc habet: «Si justa sit causa, cur differenda sit absolutio, verbis quoad poterit (sacerdos) humanissimis persuadeat confessis necesse est, id et munus, officiumque suum, et eorum salutem omnino postulare, eosque ad redeundum quamprimum blandissime alliciat, ut iis feliciter peractis, quæ salubriter præscripta fuerint, vinculis soluti peccatorum gratiæ cœlestis dulcedine reficiantur» (3).

XII. Ad satisfactiones sacramentales quod attinet, pro qualitate criminum et confitentium conditione salutare et convenientes injungantur. Non graviores, et quas verisimile est minime adimplendas esse, nec leviores, si de gravissimis peccatis agatur; sed tales sint, ut, ad mentem Concilii Tridentini, non solum ad novæ vitæ custodiam, sed etiam ad præteritorum criminum vindictam ordinentur. Nec missarum stipendia sibi tradenda in pœnitentiam imponant, nec sponte oblata facile admittant in confessionali, ne turpis lucri suspicionem incurrant, et pusillis scandali occasionem præbeant (4).

XIII. Quam sancta sit sigilli sacramentalis religio, satis omnibus exploratum est. Summis ergo curis evitent sacerdotes vel remotissimam ejus violandi occasionem. Quæcumque Dei nomine audierint, cum hominibus colloquentes nesciant; nec unquam quidpiam in

(1) Hebr. V, 2. (2) Luc. V, 31, 32. (3) Bulla *Charitate Christi* 25 Dec. 1825.

(4) Sac. Cong. de Propag. Fide 21 Aug. 1846.

concione proferant, quod e confessionibus solum cognovisse videatur, et quo notari, qui peccata apud eos deposuisse, credi videatur: immo, quia sacramentum regis abscondere bonum est (1), illicitum habeant dicere aliquem apud eos confessum fuisse, nisi confessio hæc aliunde publice facta fuerit (2); hac enim de re numquam satis prudens erit silentium.

XIV. Per charitatem Christi obsecramus parochos, eorumque coadjutores, immo et omnes qui ad confessiones audiendas approbari petierunt, ne in vacuum gratiam Dei detineant, ideoque non tantum vocati, sed alias etiam ultro, sabbato præsertim, et in solemniorum dierum pervigiliis, horis vespertinis, et in matutinis festorum, tribunal sacrum ingrediantur ad confessiones excipiendas parati. Quum piissimus Jesus tanta nos patientia in tabernaculo expectet, ministro ejus grave non sit gratiæ reparationem quærentibus aliquam moram impendere. Memorentur etiam ipsum Dominum ad fontem Jacob mulierem samaritanam expectasse, ut eam salvaret (3), et ultro ad probaticam piscinam venisse, et infirmum hominem interrogasse, num sanus fieri vellet (4). Venient certo ægroti, si medicum præsto esse noverint. Hoc præcipue agendum volumus in civitatibus, et in aliis locis populo frequentioribus.

XV. Magni momenti cum sit confessarii electio, ac plena in confitendo libertas, parochi, ceterique hujus sacramenti dispensatores, ita se gerant, ut eorum pœnitentes nullo modo suspicari possint eos ægre ferre quod alteri confiteantur; immo vero optime facient parochi, si occasione alicujus jubilæi, solemnitatis patroni loci, vel alterius pii exercitii, suis fidelibus confessarios procurent extraordinarios, quod maxime conducet, ut vitentur sacrilegia, quæ sæpe perpetrantur.

XVI. Quamvis pro certo habere volumus, omnes in nostra provincia approbatos confessarios, hoc sacratissimo ministerio in animarum salutem non in ruinam esse functuros, non ideo omittimus, pro nostro pastoralis munere, in omnium memoriam revocare pontificias constitutiones Gregorii XV *Dominici gregis*, et Benedicti XIV *Sacramentum pœnitentie*, et *Apostolici muneris*, quæ omnia adamusim observanda volumus contra eos qui sacramento abuti non vereantur.

XVII. Locus ad audiendas confessiones proprius est Ecclesia, et in ea sedes confessionalis in aperto posita et debitis conditionibus munita: concedimus tamen, ut, si qua fuerit causa, confessiones

(1) Tob. XII, 7. (2) S. Alph. de Lig. *Homo Apostol.* Tr. 16, cap. 8, n. 156.

(3) Joann. IV, 6. (4) Id. V, 6.

virorum excipiantur alio in loco dummodo honesto. Mulierum autem confessiones numquam nisi in confessionali et per crates. Sedes confessionalis habeatur in sacristia pro iis mulieribus tantum quæ ob surditatem in Ecclesia confiteri nequeunt; vel quæ infirmitate opprimantur. Si vero senectutis vel infirmitatis causa accedere ad Ecclesiam nequiverit mulier, excipiatur quidem domi ejus confessio, sed cubiculi fores, quoad fieri possit, semper pateant ita, ut videri, non tamen audiri possit ab adstantibus in proximo conclavi, et caute se gerat sacerdos, ut mutuam pœnitentis aspectum effugiat.

XVIII. In administratione hujus sacramenti sacerdotes veste talarum ac stola violacea induantur, et conveniens est, ut diebus festis et quoties frequens populus convenerit, superpelliceo etiam induti sint pro reverentia (1).

XIX. Reliquum est, ut confessarios paterne admoneamus, et hortemur, ut alienæ conscientiæ judicium sustinentes, suæ ante omnia prospiciant, nec facile hebdomadam elabi sinant, quin sacramentali confessione a quotidianis culpis se mundent, contra gravia præmuniant.

XX. His vero delibatis quæ ad confessarios referuntur, ut rite sancteque officium suum expleant, animum ac verba convertimus ad ea monenda quæ ad fidelem populum spectant. Et in primis, quum tanta sit necessitas hujus sacramenti, quod secunda post naufragium tabula a Sanctis Patribus appellatur, a divina pietate omnibus oblata qui in peccatum lapsi sine pœnitentia salvari nequeunt (2), maximam industriam et diligentiam adhibere debent parochi et concionatores, in ejus natura, vi, dignitate, atque publica et privata utilitate fidelibus explicanda, veraque tradenda ratione, qua cum fructu ab omnibus percipiatur. Eo magis in hoc adlaborandum est, cum nemo non videat humani generis hostem, ut fidem catholicam funditus evertere satagat, per ministros impietatis suæ et satellites, hanc veluti humanæ salutis arcem totis viribus oppugnare. Neque hoc mirari debemus, cum, ut Romanus Catechismus docet, compertum omnibus sit, quidquid sanctitatis, pietatis et religionis in Ecclesia, summo Dei beneficio, conservatum est, id magna ex parte confessioni tribuendum esse (3).

XXI. Diligenter doceant, et facili sermone explicent actus pœnitentis, qui quasi materia sacramenti sunt, nempe contritio, confessio et satisfactio. Qui quatenus in pœnitente ad integritatem sacramenti, ad plenamque et perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione

(1) Rit. Rom. *Ordo ministrandi sacr. pœnit.*—S. R. C. 7 Decembris 1847.—31 Aug. 1867.

(2) S. Epiphani. *Hæres.* 59.—S. Hier. *Epist. ad Sabin.*

(3) *Catech. Rom.* p. II, cap. 5, n. 36.

requiruntur, hac ratione pœnitentiæ partes dicuntur (1). Ea enim sincera est peccatoris pœnitentia, quæ ut ait Chrysostomus, omnia eum libenter sufferre cogit: in corde ejus contritio, in ore confessio, in opere tota humilitas, vel fructifera satisfactio (2).

XXII. In initio autem quadragesimæ, ante quam tempus adveniat præceptum paschale adimplendi, speciali sedulitate, ea quæ ad sacramenta Pœnitentiæ et sanctissimæ Eucharistiæ rite suscipienda necessaria sunt vel utilia exponere, alteque fidelium animis inculcare curent parochi, ut ii, qui per se ipsos apte disponi nesciunt nec a parochio singillatim præparari possint, quasi in communi id assequantur; conscientia suæ maculas agnoscant, dolorem de peccatis concipiant, propositum emendationis efforment, et animæ vulneribus salutaria remedia in posterum adhibere discant, parochio adjuvante et quasi per manus ducente ad fontem vitæ, quem ipsi propriis viribus attingere non valent. Nimis enim dolendum est, quod sæpius contingere videmus, tempore præsertim paschali; homines, scilicet, rudiores vel de religione ignaros, mundi negotiis omnino deditos, mente dissipatos, moribus fortasse corruptos, totius anni confessionem brevissime explere. Unde graviter timendum est, et de justificatione pœnitentis, et de conscientia sacerdotis. Et publice igitur per concionem, et privatim in confessionali animos recte disponere nitatur sacerdos, memor verborum Spiritus Sancti: «Custodi virum istum, qui, si lapsus fuerit, erit anima tua pro anima illius.»

XXIII. Piissima mater Ecclesia, nolens aliquem perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti (3) in Lateranensi Concilio præceptum promulgavit confessionis saltem annuæ ab omnibus Christifidelibus utriusque sexus, postquam ad annos discretionis pervenerint, faciendæ proprio sacerdoti (4), per quem intelligendus est quilibet sacerdos ad audiendas confessiones approbatus (5). Certo non possumus non maxime eos deflare, qui tantum charitatis divinæ beneficium in hoc instituendo sacramento indifferenter despiciunt, aut etiam plane negligunt, et animæ suæ salutem ita parum curant, ut nec semel in anno reconciliationis sacramentum suscipiunt, immo et per plures annos sub peccati jugo immorantur. Quidam horum jam in ætate tenera jacturam suæ fidei passi sunt, alios excœcavit passio, quosdam nimia terrenarum rerum sollicitudo et spiritualium desidia aut ignorantia, incuria aliquando sacerdotum fota, occupat. Pœnis et censuris Ecclesiæ certo obstringuntur, deque illis monendi sunt a parochis; quia his

(1) Conc. Trid. sess. XIV, cap. 3.

(2) S. Joann. Chrysost. Hom. XI, in Matth.—De Pœnit. 2.

(3) S. Petri III, 9. (4) Can. *Omnis* De pœnit, et remiss. (5) Ben. XIV, Inst. XVIII, 9.



pœnis solum contra eos procedere, intentioni sanctæ matris minime convenit. Compassio magna erga tales homines habenda est, quia propriam nesciunt miseriam, animæ suæ pretium non attendunt, valorem gratiæ sanctificantis non æstimant, damnationis pericula non formidant, sicque in tenebris et in umbra mortis sedentes, haud sciunt quid faciant. Creaturæ Dei cum sint, et pretioso sanguine agni immaculati redempti, eos Christus quærit, qui venit quærere et salvum facere quod perierat (1), et a nobis quæri et amari vult. In primis ergo pro eis ferventer et assidue orationes fundat in conspectu Dei bonus animarum pastor, et a piis fidelibus similiter orari faciat. Deinde removeere satagat impedimenta, quæ eos a confessione detinent, nihilque intentatum relinquat quo eorum conversio adjuvetur: quicumque enim converterit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte, et operiet multitudinem peccatorum (2). Contumaces vero notatu habeant, et opportune Episcopo denuntient.

XXIV. Quoniam pœnitentiæ sacramentum pro iis omnibus institutum fuit, qui peccatis se maculari possunt, etiam pueri, cum ad annos discretionis pervenerint, præcepto confessionis tenentur. Summa prudentia ac solerter instituunt eos parochi, ut confiteri assuescant, et confessio eorum integra sit. Summopere de hoc curandum est, illos paterna charitate alliciendo ac docendo, ne ad sacrilegas in posterum confessiones via sternatur. Nulla omittatur sollicitudo, ut animæ innocentis candor in ipsis servetur, ac per vitam puram sanctamque ad sanctissimam Eucharistiam opportuno tempore accipiendam ipsorum corda præparentur.

XXV. Singulari ac solertissima diligentia invigilandum est, ut infirmi, qui graviter decumbunt, purgationem conscientiæ suæ per confessionem sacramentalem mature faciant, ne dum corporis saluti unice intendunt, et a medicis intendi peroptant, animæ suæ detrimentum patiantur. Monemus ergo parochos ut etiam non vocati, nisi aperte repellantur, eos invisant, charitatis verbis consolentur, fidem excitent, spem adaugeant, et ad Sacramenta suscipienda alliciant.

XXVI. Docere etiam fideles oportet ne omni obligationi satisfecisse arbitrentur, atque ad nihil amplius teneri, si semel in anno confiteantur: alias quoque esse occasiones, quibus præceptum recipiendi sacramentum pœnitentiæ urget, sive per se, sive per *accidens* uti Doctores loquuntur, quod his verbis explicat S. Carolus Borromæus: «certe salutariter ex doctrina Spiritus Sancti cautum est, Christi fideles de peccatis confiteri debere, quotiescumque actionem aliquam aggrediuntur, in qua præsens mortis periculum pertimescendum est.

(1) Luc. XIX, 10. (2) Jacob. V, 20.

Quamobrem parochus curet atque efficiat, ut... si quis parochialis eo profecturus sit, ubi sit pestis, aut hæresis, aut ibi nullam confessarii copiam habere possit, aut ad bellum iturus sit, aut pugnam initurus, aut iter infestum navigationemque periculosam facturus, antequam viæ, navigationique se committat, peccata confiteatur. Idem officium præstet mulieribus proxime parituris» (1).

XXVII. Quum non in necessitatis tantum casibus, ideoque magis nec semel tantum in anno fideles confiteri statutum sit, sed sæpius, ut in Dei gratia perseverent, vel quamprimum amissam recuperent, prouti apparet ex ipso Lateranensi Canone semel *saltem* in anno confessionem præcipiente, parochi, et omnes verbi divini præcones iterum iterumque fideli populo inculcent utilitatem frequentis confessionis, docentes nullam sane rem fidelibus esse tam proficuum, quam ut sæpius per ipsam animæ sordes purgent (2). In multis offendimus omnes (3). Pluries labimur, pluries sublevemur oportet, ac vires nancisci ut a novis culpis præservemur. «Pigeat sane peccare rursus, sed rursus pœnitere non pigeat: pigeat iterum periclitari, sed non iterum liberari» (4). Omni arrepta occasione, fideles, ac præsertim juvenes, ad sacramentum attrahant sacerdotes, qui vero zelo accensi, se ipsos pro Dei gloria et animarum salute impendere, ac superimpendere parati sunt (5), omnia media ad hoc adhibeant, nullis parcant laboribus, sciantque multum, auxiliante Domino, ad frequentiores sacramenti usum profuturum esse, si sollicite consulant ut pœnitentes beneficium experiantur confessionis generalis, et inde novo quasi vitæ spiritualis fundamento gaudentes, ardentiori christianæ perfectæque vitæ desiderio exardescant.

TITULUS VI.

De Extrema Unctione.

«Clementissimus Redemptor noster, qui servis suis quovis tempore voluit de salutaribus remediis adversus omnia omnium hostium tela esse prospectum, quemadmodum auxilia maxima in sacramentis aliis præparavit, quibus christiani conservari se integros, dum viverent, ab omni graviore spiritus incommodo possint, ita Extremæ Unctionis sacramento finem vitæ, tamquam firmissimo quodam præsidio, munivit» (6). Tunc enim illo plus indigemus, cum crescente

(1) Concil. Mediolan. IV. (2) Catech. Rom. p. II, cap. 5, n. 53.

(3) Jacob. III, 2. (4) Tertulian. *De pœnit.* n. 7. (5) 2. Cor. XII, 15.

(6) Conc. Trid. Sess. XIV. Doctrin. *De extrem. unct.* in præmio.

infirmirate, et timore mortis conturbati, præteritorum delictorum memoria exagitamur, et adversarius noster diabolus, qui semper circuit quærens quem devoret (1), sciens quod modicum tempus habet (2), omnes suæ versutiæ nervos intendit ad perdendos nos penitus, et a fiducia etiam, si possit, misericordiæ deturbandos (3). Benignissimus ergo Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra (4), venit in auxilium nobis per hoc salutare sacramentum, cujus effectus est, ut delicta, si quæ sunt adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergat, ac ægroti animum allevet et confirmet, magnam in eo divinæ misericordiæ fiduciam excitando, qua infirmus sublevatus et morbi incommoda ac labores levius ferat, et tentationibus dæmonis calcaneo insidiantis facilius resistat, et sanctitatem corporis interdum, ubi saluti animæ expediret, consequatur (5).

Ut igitur tam salubre sacramentum a Christo Domino institutum, a Marco Evangelista insinuatam (6), et a Jacobo Apostolo fidelibus commendatum ac promulgatum (7), pro ipsius sanctitate administretur et suscipiatur, hæc potissimum statuimus, ac præcipimus.

I. Studeant parochi, ut crebris monitionibus et publice et privatim, omnes suæ curæ creditos a vulgarissimo ac pernicioso abducant errore, quo plerique sentiunt sinistre de hoc sacramento, illud tamquam certum mortis nuntium existimantes. Hunc in finem, doctrinam de Extremæ Unctionis natura, divina institutione, ac effectibus solerter, planoque sermone exponant, fidelesque persuadeant, ne salutare hoc ægrotantium remedium ad illud tempus differant, quò morbi vehementia adeo succrevit, ut anima sacramenti hujus exiguum fructum reportare possit, corpus vero nullum.

II. Licet a quolibet presbytero collatum valeat hoc sacramentum, nemo tamen audeat ministrare præter parochum, ordinarium jure ministrum (8), vel alium ex ejusdem delegatione. Eo impedito, vel in mora, aut mortis periculo instante, quilibet sacerdos illud conferre potest immo et debet.

III. His tantum extrema unctio administranda est, qui adeo periculose ægrotant, ut de mortis periculo vere timeatur; prouti etiam qui senio confecti in dies mori videntur: numquam vero illis qui gravi morbo non sunt affecti, etiamsi periculum vitæ adeant, uti pena capitali plectendis, vel prælium ingressuris (9). Præterea qui rationis usu

(1) I. Pet. V, 8. (2) Apoc. XII, 12. (3) Conc. Trid. Sess. XIV. *De extrem. unct.*

(4) 2. Cor. I, 3. (5) Conc. Trid. Sess. XIV. *De sacram. extrem. unct. cap. 2.*

(6) Marc. XVI, 28. (7) Jacob. V, 14.

(8) Clement. *Religiosi*. 1 De Privileg.—Catech. Rom. P. II, cap. 6, n. 13.

(9) Ben. XIV. De Syn. diœc. lib. VIII, cap. 5.

carent, utpote qui peccatum admittere minime potuerunt, ad hoc sacramentum suscipiendum apti non sunt. Pueris tamen infirmis, quatenus censeantur pœnitentiæ sacramenti capaces, unctio ministranda est, quæ est illius complementum, etsi ad sacram Euchari-
stiam nondum admissi fuerint, vel admittendi sint. Ungendi quoque sunt sacro oleo, qui amentes facti fuerint vel delirant, si aliquando usum rationis habuerunt (1). Qui subito morbo correpti sensibus destituuntur, cum ex eorum actæ vitæ ratione prudenter existimetur hoc sacramentum eos esse postulatu-
ros, si sui compotes forent, sacro oleo inungantur; nam de quolibet fidei Ecclesiæ communionem non destituto, nisi impœnitens sit, aut in manifesto peccato mortali de-
cedat, præsumendum est hoc sacramentum petiturum fuisse, cujus proinde beneficio privandus non est (2).

IV. In una eademque infirmitate semel administrari debet extrema unctio. Si vero parochus nesciat, utrum morbus idem perseveret, aut novus supervenerit, et medicorum sententia facile exquiri nequeat, si iterum in vitæ discrimine dilabatur infirmus, partem infirmo laboranti utiliorem amplectatur, et sacramentum iterum ministret (3).

V. Oleum sôlemni benedictione consecratum, quod est hujus sacramenti materia (4), in vasculo argenteo, vel saltem stanneo (5), peculiari inscriptione signato asservetur, ita disposito ut pollicis in eo inserendo sit aptum; pollice enim, non virgula, seu penicillo, exceptis casibus gravissimis, unctio facienda est (6). Necessitate postulante, oleo consecrato non consecratum addi potest, sed summo scrupulo fiat, ut in minore prorsus quantitate addatur (7). Numquam vero uti licet oleo a sacerdote benedicto (8).

VI. Honesto ac tuto loco in Ecclesia conservetur sacrum oleum; non enim *habitualiter* in parochiali domo retineri licet, nisi in casu magnæ ab Ecclesia distantiae, et servata rubrica de decenti ac tuta custodia (9).

VII. Nequit pariter oleum ad infirmos deferri a laico, seu ministro assistenti, sed ab ipso sacerdote ministrante, minime tamen solemniter et cum luminibus (10); et in sacramenti administratione superpelliceo et stola indutus, nisi in casu urgentis necessitatis (11), esse debet

(1) Ben. XIV. De Syn. dioc. lib. VIII, cap. 5.

(2) Id. id. cap. 6. (3) Id. id. cap. 8.

(4) Conc. Trid. Sess. XIV. De extrem. unct. cap. 1.

(5) Rit. Rom. De sacr. extrem. unct.

(6) S. Rit. Cong. 9 Mai. 1857. — 31 Aug. 1872 in Toletana.

(7) Ritual. Rom. loc. cit. (8) S. Rom. Inq. 14 Sept. 1842.

(9) S. Rit. Congr. 16 Dec. 1826. (10) S. Rit. Cong. 28 Jan. 1806.

(11) Id. id. 16 Dec. 1826.

sacerdos (1), non vero stola *tantum*. Sacri olei capsula, post unctionem peractam, non laici manui committat sacerdos, vel domi ægro-tantis relinquat, sed propria manu referat ad ecclesiam.

VIII. Servanda est, quoad fieri possit, Ecclesiæ consuetudo, ut non liniantur ægri antequam pœnitentiæ, et sacræ Eucharistiæ sacramenta receperint (2), nisi forte necessitas hunc ordinem prævertere cogat; ac proinde, licet infirmus paucis ante diebus confessus fuerit, secreto interrogandus est, an velit iterum conscientiam confessario aperire. Si vero loquelæ usus destitutus sit, hortetur ut doleat de peccatis suis, et aliquo signo dolorem ipsum et confitendi desiderium ostendat, ut absolvi possit, ac postea sacra unctione muniri, servatis in omnibus Rituali Romani præscriptionibus.

IX. Infirmum inunctum, nisi id jam antea fecerit, hortetur parochus, ut ad æternam vitam ardentius aspiret, atque a terrenis cogitationibus animum, quoad fieri potest, avertat; oportuno tempore absolutionem papalem, si facultatem habet, cum plenaria indulgentia ei tribuat, et cum prope moribundus sit, in illius animæ commendatione, quam maxima potest, intima animi pietate statutas religiosas sanctasque preces recitet. Curandum est, quantum fieri possit, ut moribundo, numquam desit sacerdos, ut illum absolvat, soletur, ac de ejus perseverantia sollicitus sit usque in finem. Si vero aliis gravibus curis distentus, adesse continuo nequeat parochus, nec alius sit sacerdos qui ejus vices gerat, aliæ piæ ac prudenti personæ infirmum juvare commendet (3).

TITULUS VII.

De Sacramento Ordinis.

«Sacrificium et sacerdotium ita Dei ordinatione conjuncta sunt, ut utrumque in omni lege extiterit. Cum igitur in novo testamento sanctum Eucharistiæ sacrificium visibile ex Domini institutione catholica Ecclesia acceperit, fateri etiam oportet, in ea novum esse visibile et externum sacerdotium, in quod vetus translatum est. Hoc autem ab eodem Domino Salvatore nostro institutum esse, atque Apostolis, eorumque successoribus in sacerdotio, potestatem traditam consecrandi, offerendi et ministrandi corpus et sanguinem ejus, necnon et peccata dimittendi et retinendi, sacræ litteræ ostendunt, et catholicæ Ecclesiæ traditio semper docuit» (4).

(1) S. Carol. Borr. Conc. Mediol. IV. (2) Catech. Rom. p. II, cap. 6, n. 12.—Rit. Rom.
(3) S. Car. Borr. Concil. Mediol. IV. (4) Conc. Trid. sess. XXIII, cap. 1.

I. Cum autem divina res sit tanti sacerdotii ministerium, consentaneum fuit, quo dignius et majori cum veneratione exerceri posset, ut in Ecclesia, ordinatissima dispositione, diversi essent ministrorum ordines, qui sacerdotio ex officio deservirent, ita distributi ut qui jam clericali tonsura insigniti essent, per minores ad majores ascenderent (1). Soli Episcopi, utpote sacerdotii plenitudinem habentes, Ecclesiæ ministros ordinandi potestate gaudent. Illis ergo dictum est «manus cito nemini imposueris» (2) scilicet «non post primam probationem, nec post secundam, vel tertiam, sed postquam sæpius circumspexeris, et accurate examinaveris» (3). Gratia enim fidei omnibus præstatur, gratia autem clericatus non omnibus sed dignis, et a Deo vocatis tamquam Aaron (4). Huic itaque apostolico præcepto inhærentes, Episcopi exquisito delectu, et accuratissima circumspectione in re tam gravi procedere debemus ac volumus, ne sanctuarii januæ illis aperiantur, qui non sunt de eo genere unde salus facienda est in Israel (5). Gravissimis verbis hoc ipsum omnibus Episcopis commendavit Pius IX (6), retulitque verba sapientissimi Benedicti XIV docentis, «melius profecto esse pauciores habere ministros, sed probos, sed idoneos atque utiles, quam plures, qui in ædificationem corporis Christi, quod est Ecclesia, nequidquam sint valituri» (7).

II. Quum vero illi probi ac idonei ministri, de quibus præfati Summi Pontifices, donum sit Dei, et quidem maximum, ante omnia enixe et sæpius rogandus est ipse Deus Dominus messis, ut hujusmodi operarios mittat in messem suam (8). Hoc nobiscum faciant omnes, qui jam in sortem Domini vocati fuerunt, et ad hoc etiam opportunis admonitionibus a parochis hortentur fideles, præsertim adventantibus sacrarum ordinationum diebus (9), Dominica autem die, quæ quatuor temporum jejunia proxime antecedit, non solum jejunium, earum ordinationum in primis causa, annuntient, sed etiam cum populo preces fundant, ut Dei, sanctorumque ope implorata, tum Episcopus Spiritus Sancti lumine illustretur, tum illi qui ordinandi sunt, tales evadant, quales Dei cultus, et Ecclesiæ utilitas, immo et necessitas, calamitosis potissimum hisce temporibus postulant.

III. Statuit Tridentina Synodus unumquemque a proprio Episcopo ordinari (10), quod intelligendum est etiam de iis qui primam tonsuram petunt. Sacri canones, ac præcipue constitutio Innocentii XII

(1) Conc. Trid. sess. XXIII, cap. 2. (2) I. Tim. V, 22.

(3) S. Joann. Chrysost. hom. 16 in I Timoth.

(4) Hebr. V, 4. (5) I. Machab. V, 62. (6) Encycl. *Qui pluribus* 9 Nov. 1846.

(7) Const. *Ubi primum* 3 Dec. 1740. (8) Luc. X, 2.

(9) S. Car. Borr. Concil. II, et IV. (10) Sess. XXIII, cap. 8. De ref.

Speculatores, et Innocentii XIII *Apostolici ministerii* edocent; quis proprius ordinandorum Episcopus censendus sit. Nemo itaque alienæ diœcesis ad ordines admittantur, nisi Ordinarii sui litteris dimissorialibus munitus sit, quibus constet de ætate, de vita et moribus, de examine, aliisque a Tridentino Concilio præscriptis, ac potestas fiat de ordine eidem conferendo. Caveant Episcopi, ne dimissoriales has litteras illis concedant, qui doctrinam, examine facto, non probaverint, nec polleant qualitatibus a jure præscriptis.

IV. Quum vero minime deceat eos qui divino ministerio sunt adscripti, cum ordinis dedecore mendicare, sed sordidum aliquem quæstum exercere, nemo ad sacros ordines promoveatur, quin ei, juxta ecclesiasticas sanctiones de congruo sustentationis titulo provisum fuerit (1), sive beneficium, sive capellania collativa, sive patrimonium, sive pensio sit, nisi veniam obtinuerit ab Apostolica Sede (2). Quoad patrimonium vero summo studio curetur, ne qua fraus, fallacia, collusio, aut turpis conditio in illo constituendo admittatur, nam si vitium adest, ordinandus suis muneribus interdicitur, et fit irregularis (3). Mandamus ergo juramentum de patrimonio rite ac recte constituto, deque ejus redditibus in clerici ordinandi utilitatem derivandis, tum ab eo, qui patrimonium assignat, tum ab ipso clerico præstari et in actis consignari.

V. Prima tonsura non initietur, qui sacro chrismate minime signatus, vel fidei rudimentis non instructus, ac legendi scribendique peritus non sit, sed «illi potissimum quibus probabilis conjectura sit, eos, ut Deo fidelem cultum præsent, hoc vitæ genus elegisse» (4). Ad minores ordines admitti nequeunt, qui latinam linguam non intelligant (5), quique in studiis pro ætate et tempore quo scholas frequentant haud satis profecisse constiterit. Ad subdiaconatum et diaconatum non ascendant, qui in litteris, et philosophicis, atque, aliqua saltem notabili parte, etiam theologicis disciplinis non sint competenter instructi; nec presbyteratu denique ornentur, qui diligenti examine, idonei non comprobentur ad populum docendum ea potissimum quæ scire ab omnibus necessaria sunt ad salutem, ac sacramenta rite ministranda (6), quique propterea, quantum fieri poterit, theologiæ saltem moralis cursum non compleverint. Ætatem a Tridentina Synodo pro unoquoque ordine præscriptam habeant, et omnes de ordine, quem petunt, ejusque natura, causa, finibus, ac de

(1) Cap. 16 et 23. De præbend. Conc. Trid. sess. XXI, cap. 2. De ref.

(2) Clement. XIII, Encycl. 22 Sept. 1759.

(3) Conc. Trid. loc. cit. Ben. XIV, Instit. XVI. (4) Conc. Trid. sess. XXIII, cap. 4.

(5) Id. id. cap. 2. De reform. (6) Conc. Trid. sess. XXIII, cap. 14.

illo rite scienterque exercendo rationem reddere debent. Examinatores ergo in Domino hortamur, ut suo muneri pie, integre, ac religiose fungantur, atque Dei gloriam et Ecclesiæ bonum et decorem zelantes, justam de unoquoque sententiam dicant.

VI. In conferendis ordinibus, majoribus præsertim, serventur, quantum fieri poterit, temporum interstitia, nisi Episcopo, attenda Ecclesiæ suæ necessitate et utilitate, aliud magis expedire videatur (1). Præterea non inutiliter præceptum fuisse meminerint clerici, ut quilibet ordinatus alicui Ecclesiæ adscribatur, sed ad hoc ut reapse in ea suis fungatur ministeriis (2). Quæ circa hanc adscriptionem statuit Innocentius XIII pro Hispania (3) ad unguem observari volumus ac jubemus, ideoque ordinati omnes, singulis diebus festis, præsertim solemnioribus, adsint Ecclesiæ cui adscripti sunt, propria ibi munera obituri: alias ad altiores gradus promovendi, non promoveantur, et promoti, Episcopi arbitrio, pro inobedienciæ gravitate mulctentur (4).

VII. Quoniam vero viros probatos, non probandos in ministerium Ecclesiæ eligi oporteat, et facile pastorum vigilantiam effugiunt qui propriis domibus degunt, idcirco statuimus neminem nisi gravissimæ et probatæ causæ aliter postulent, majoribus ordinibus esse initian- dum, qui certo quodam tempore ab Episcopo præfigendo (5), vel a die saltem quo patrimonium constituere velit ac petat, vel alio titulo canonico donatus sit, in seminario moratus non fuerit, nisi Episcopus aliter expedire in Domino judicaverit, ibique suæ probitatis et doctrinæ specimen dederit, quo plane judicari possit idoneum futurum esse novi testamenti ministrum (6). Paupertate excusari nequeunt, quippe qui redditus veri patrimonii, vel beneficii, aut cappellanix ad sustentationem in seminario sufficient.

VIII. In memoriam confessoriorum revocamus salutarem doctrinam S. Alphonsi M. de Ligorio circa absolutionem negandam clerico, qui, quamvis post iteratum lapsum sincere sit conversus ad Deum, ideoque ad sacramentum pœnitentiæ dispositus, sacrum ordinem statim suscipere persistat, quin habitum continentix contraxerit, et dominium sui corporis experimento probaverit, quia legem Ecclesiæ violat in re gravi (7).

IX. Nec frustra a patribus institutum fuit, ut de electione eorum, qui ad regimen altaris adhibendi sunt, consulatur etiam populus (8).

(1) Conc. Trid. sess. XXIII, cap. 11.

(2) Id. cap. 16. Bened. XIV. *De Syn. diœc.* libro XI, cap. 2, num. 13.

(3) Const. *Apostolici ministerii.* (4) Concil. Rom. sub Ben. XIII tit. 6 cap. 2.

(5) Conc. Rom. tit. 30 cap. 2. Ben. XIV. *De Syn. Diœc.* lib. XI, cap. 2.

(6) 2. Cor. III, 6. (7) *Opus mor. lib. IV. De sacram. in gen. tr. 1, cap. 8, n. 64.*

(8) Pontif. Rom. *De ordinat. presbyteri.*

Servantes igitur canonicas sanctiones, decernimus ac præcipimus, ut opportuno ante ordinationem tempore, uno saltem die festo, inter Missarum solemnias promulgentur nomina eorum qui promoveri postulant. Hæc denuntiatio pro subdiaconatum suscepturis fieri volumus in Ecclesia parochiali ad quam ipse ordinandus pertinet vel ratione originis, vel domicilii, ac in illa etiam, vel illis intra quarum fines a quatuordecim annorum ætate, saltem quatuor mensium mansiorem fecerit. Sin autem clericus ad diaconatum, vel presbyteratum provehendus fuerit, et post ultimum ordinem susceptum, numquam de seminario egressus fuerit, denuntiatio etiam in propria parœcia ab Episcopo dispensari poterit.

X. Parochi autem hac occasione monebunt fideles, ut libera voce et cum fiducia, humanæ tamen conditionis non immemores, pro Deo et propter Deum, pandant, si quid noverint quod aliquem ex ordinandis removendum a sacris ordinibus suadeat (1). In re tanti ponderis, omnes qui ex officio interrogati fuerint super scientia, moribus, idoneitate et qualitate promovendorum, ex debitæ obedientiæ jure, animi sensa ex conscientia aperiant, nec Ecclesiæ utilitatem, Deique honorem humanæ cuilibet conniventiæ, assentationi, aut obsequio posthabeant.

XI. Qui omnibus mature perpensis, ad suscipiendos ordines majores approbati fuerint, ex sacrorum canonum præscripto (2), per decem dies in seminario, vel alia religiosa domo ab Episcopo designanda, spiritualibus exercitiis vacabunt, ut ab omnibus curis et occupationibus liberi, in salutaribus meditationibus se ipsos severe inquirere, anteactæ vitæ nova sacramentali confessione expiare, divinæ gratiæ auxilium fervidis precibus exposcere, ac sese ad omnem virtutem excitare. Qui ad primam tonsuram, vel ad minores ordines tantum admissi fuerint, saltem per quinque dies exercitia peragent, ut vocationem suam coram Domino expendant, et ad ordinem digne suscipiendum sedulo præparentur.

XII. Oportet ordinationes generales in cathedrali Ecclesia et solemniter, assistente capitulo, celebrare, prout Tridentina Synodus præcepit (3), et non semel a Sacra ejusdem Concilii Congregatione præscriptum fuit (4). Si rationabili de causa privatim celebrentur, tres aderunt canonici, et Episcopo assistent (5).

(1) Conc. Trid. sess. XXIII, cap. 5. De ref.

(2) Innoc. XII. Const. *Speculatores*; S. Congr. Episc. et Reg. 9 Oct. 1682; Ben. XIV *De syn. diœc.* lib. XI, cap. 2. Instit. CIV.

(3) Sess. XXIII, cap. 8. De ref.

(4) S. Cong. Conc. in *Giennen.* 27 Aug. 1727, 19 Jun. 1728. (5) Id. id.

XIII. Clerici devote ac reverenter ministrent sacerdotibus celebrantibus: altiores functiones, quas vi sui ordinis tractare prohibentur, non exercent; subdiaconi se in conscientia et sub gravi obstrictos esse intelligant ad cælibatum servandum, et breviarium quotidie recitandum. Neopresbyteri primam Missam cum ecclesiastica solemnitate, accepta ab Episcopo licentia, celebrare possunt ad ædificationem et consolationem fidelium: illum tamen diem ne profanent mundano strepitu, aut sumptuoso prandio, ac similibus vanitatibus, quæ sæculi pompam, et procaciorum quemdam lætitiarum, ab illius sanctitate alienam efficiunt, sed potius vera pietate, pia animi recollectione, eleemosynis pauperum, loco sumptus vani ac superflui, ac demum ipsius sacerdotis aliorumque omnium sincera devotione distinguatur.

XIV. In ea profecto incidimus miseranda tempora, in iisque versamur rerum angustiis, quæ sacerdotum numerum quotidie magis imminuunt. Numquam forsitan sicut hodie verum fuit illud Domini effatum «messis quidem multa, operarii autem pauci» (1). Parochos ergo omnes, aliosque zelantes sacerdotes hortamur et obsecramus per viscera misericordiæ Dei nostri, ut si quos pueros agnoverint, qui vocationis indicia præ se ferant, paternam illorum curam gerant, omnemque adhibeant sollicitudinem, ut illorum pietatem foveant, obstacula removeere satagent quæ non raro ex familiæ egestate oriuntur, et adlaborent et adjuvent ut studiorum curriculum ingredi possint. Pro certo habeant, se optime de Ecclesia meritos fore, et Episcopis singulare gaudium allaturos, si ministrum dignum, vel unum, suis consiliis et industriis præparaverint. Noverint etiam, se operam non perdidisse, si quis postea clericali militiæ nomen minime dederit; nam et meritum sibi apud Deum comparabunt ex opere quod præstiterunt, et bonos et utiles in statu laicali viros educabunt; «adolescens enim juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea» (2).

XV. Pios quoque fideles qui bonis abundant, enixe rogamus, et a parochis rogari volumus, ut veniant in auxilium sanctæ matris Ecclesiæ, et honorent Deum de sua substantia, aliquid ex ipsa insumentes in adjutorium pauperum juvenum, qui studiis vacant, et ad sacerdotium exercendum præparantur, aliorumque qui egestatis causa idipsum facere nequeunt. Multa certe tam ipsis dantibus, quam populis suis, proficua erit eleemosyna, nam mensuram bonam, et confertam et coagitatam ipsis in sinum dabit Deus (3), unde fructum centesimum et amplius percipient; de divini cultus aucto splendore pro sua pietate

(1) Luc. X, 2. (2) Prov. XXII, 6. (3) Luc. VI, 38.

gaudebunt; populis suis salutis ministros multiples et idoneos procurabunt, et absque dubio benedictionem a Domino copiosam in hoc sæculo et in futuro lætantes accipient.

XVI. Opportunum itaque censemus, ut in unaquaque diœcesi instituatür pium opus, cui tam sacerdotes, quam fideles laici dent nomen, ad pauperum puerorum vocationem fovendam, atque media suppeditanda quibus, dum studiis vacent, in seminario sustententur.

TITULUS VIII.

De Sacramento Matrimonii.

Quum humani generis protoparentes ipsemet Deus conjunxit, eisque benedixit (1), matrimonium instituit; magnum certo foedus, quo nihil inter homines dignitate excellentius, firmitate arctius, sanctitate inviolabilius, sed quod longe præstantius in nova lege evasit. Conjunctio enim illa ab initio instituta ad genus humanum propagandum, ad procreandos veri Dei et Salvatoris nostri adoratores destinata est, ideoque amplissimis gratiæ suæ donis eam Christus locupletavit, et ad sacramenti dignitatem evexit. Ea igitur gratia quam Christi passio hominibus promeruit, amor naturalis inter virum et uxorem perficitur et ad altiorem ordinem elevatur, indissolubilis unitas confirmatur, et conjuges sanctificantur ad filios gignendos et educandos, qui genus electum, gens sancta et populus acquisitionis futuri sunt (2). Quanta autem fiat maritalis amoris, per hujus sacramenti gratiam, sanctitas ac necessitudo, innuit apostolus Paulus dicens: «Viri diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam et se ipsum tradidit pro ea» mox subjungens: «Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico, in Christo et in Ecclesia» (3).

Duo vero sunt magnopere dolenda: primum non paucos esse, qui matrimonii dignitatem vel ignorant, vel negligentes, et nihil de sacramento, ejusque mysteriis cogitantes, unice aut pecuniæ studio, aut formæ cupiditate, aut furentis libidinis æstu impulsati atque incitati, conjugalis vitæ genus amplectuntur. Hinc est, quod hoc sacramentum uberrimæ gratiæ et coelestium donorum fons, pluribus detrimenti sit causa, æternæque damnationis origo, et maximæ exinde in christianam civilemque societatem calamitates redundant. Alterum est, quod hac tristissima ætate humani generis hoste adnitente, quam plurimi sunt qui, Deum et Ecclesiam pelli e medio et submoveri ab humana societate volentes, matrimonium ab omni sanctitate dejicere

(1) Gen. I, 27, 28; II, 18, 20. (2) 1. Pet. II, 9. (3) Eph. V, 25, 32.

contendunt et in illarum rerum exiguum sane circulum compellere, quæ auctoribus hominibus institutæ sunt, atque a reipublicæ moderatoribus conjugiorum rationem in omnibus ordinari. Hinc, quæ vulgo matrimonia civilia nuncupantur: hinc leges quæ his tantum effectus civiles tribuunt, quæ de civilibus impedimentis agunt, quæ indissolubilitatem matrimonii impetunt, ad conditionem meri contractus illud redigentes.

His permotus Smus. in Christo Pater Leo XIII, quem Deus sospitem servet, sapientissimo prorsus consilio, ad cōservationem civilis societatis, non minus quam ad salutem hominum sempiternam memorabilem epistolam encyclicam *Arcanum* emisit (1), in qua saluberrima quæque de matrimonio christiano documenta et præcepta docte et eleganter exposuit, omnesque errores hac de re hodie grassantes evidenter refutavit atque severe proscripsit.

Quoniam vero in laudata epistola studium et vigilantiam episcoporum excitat, ut «quantum contentione assequi, quantum auctoritate possunt, dent operam ut apud gentes ipsorum fidei commendatas integra atque incorrupta doctrina de nuptiis christianis retineatur,» nos partes officii nostri explere cupientes, et ne animali cupiditate ac more gentium quæ Deum ignorant (2) in nostra provincia ineantur conjugia, sed fideles, ut Apostolus jubet, in *Domino* nubere studeant (3), atque honorabile sit in omnibus conjugium et thorus immaculatus (4), ex sacris canonibus sequentia monemus ac decernimus.

I. Diligentiam vel maximam adhibeant parochi et concionatores in iis omnibus pro locorum et personarum conditione explicandis, quæ doctrinam de sacramento matrimonii respiciunt, «quam Christus Dominus, et cœlestis voluntatis interpretes Apostoli tradiderunt, quamque Ecclesia catholica religiose ipsa servavit et a Christi fidelibus servari per omnes ætates jussit» (5). Doceant in primis ejus naturam, vim et dignitatem: illud nempe non ab hominibus inventum, sed a natura (6), «immo a Deo naturæ auctore, ut sacræ utriusque fœderis paginæ testantur (7), atque in nexu illo proprie consistere, quo vir et mulier per mutuam de præsentis consensum obligantur ad individuum vitæ consuetudinem retinendam, unde etiam quatenus naturæ est officium perpetuum et indissolubile esse, ac multo magis quatenus est sacramentum, illiusque vinculo duos tantummodo juxta divina verba copulari et conjungi» (8). Inculcent pariter: «matrimonium esse vere

(1) 10 Febr. 1880. (2) Thesal. IV, 6. (3) 1. Cor. VIII, 39.

(4) Hebr. XIII, 4. (5) Leo XIII, Encycl. *Arcanum*.

(6) Catech. Rom. p. II, cap. De sacram. matrim. n. 9.

(7) Gen. I, 27, 28, 11, 18, 20.— Matth. XIX, 6. (8) Conc. Trid. sess. XXIV, præm.

et proprie unum ex septem evangelicæ legis sacramentis, a Christo Domino institutum, ac propterea inter fideles matrimonium dari non posse, quin uno eodemque tempore sit sacramentum; atque idcirco quamlibet aliam inter christianos viri et mulieris, præter sacramentum, conjunctionem, cujuscumque etiam civilis legis vi factam, nihil aliud esse, nisi turpem et exitialem concubinatum ab Ecclesia tantopere damnatum; ac proinde a conjugali fœdere sacramentum separari numquam posse, et omnino spectare ad Ecclesiæ potestatem ea omnia decernere, quæ ad idem matrimonium quovis modo possint pertinere» (1). Insinuent denique ad hoc ut matrimonium legitimum sit, omnino requiri, ut inter contrahentes nullum adsit impedimentum præsertim dirimens, non solum ex iis quæ a naturali vel divino jure inducuntur, sed ex aliis etiam, quæ ab Ecclesia, pro sapientia sua ac paterna erga filios suos sollicitudine, convenientissime statuta fuere, ipsamque Ecclesiam non adventitio ex tacito vel expresso sæcularis potestatis consensu, sed jure proprio ac originario potuisse, immo ipsam solam potuisse, hæc impedimenta statuere, quæ scilicet matrimonii Sacramentum afficiunt (2): causas tandem matrimoniales, pertinere, et quidem omnes, ad solos judices ecclesiasticos (3).

II. Doctrinam itaque catholicam exponentes parochi et concionatores, doceant gravia et gravissima conjugum munera et officia, sive erga se invicem, sive erga filios quos Dei dono susceperint, atque ad ea omnia fidelissime adimplenda excitent, quæ a plurimis negliguntur, immo et ignorantur: unde christianam pietatem, morumque honestatem, non sine magno animi dolore, a non paucis familiis abesse conspiciamus. Hortentur igitur fideles, qui matrimonium inire volunt, ut de re tanti momenti serio cogitent, eosque sibi fines proponant, qui filios sanctorum decent, vel qui saltem matrimonii sanctitati non repugnent (4), Deum a mente sua non excludant, sed ejus voluntatem diligenter explorent, et pias ad ipsum fundant preces ut deliberantibus adsit.

III. Præmoneantur adolescentes de familiari cum altero sexu conversatione, ne fallax amicitia et humana fragilitas ad peccatum seducat, diuturno remorsu conscientiam afflicturum; adolescentulæ vero ne falsis pollicitationibus aurem præbeant, et nuptiarum spe deceptæ in libidinis laqueos inducantur. Hortentur ne amores, ut

(1) Pius IX. Alloc. *Acerbissimum* 27 Sept. 1852.—Epist. ad regem Sardinie 19 Sept. 1851.

(2) Conc. Trid. sess. XXIV, can. 4.—Pius VI. Bulla *Auctorem fidei* 28 Aug. 1794.—Prop. 59, 60.

(3) Conc. Trid. sess. XXIV, can. 12.—Pius VI. Litter. ad Episcop. Motulens. 16 Sept. 1788.

(4) Catech. Rom. p. II, cap. 11, 13.

vocant, pluribus annis, nedum mensibus, ante matrimonium inconsiderate donis colant et familiaritate, quæ si absque flagitio esse potest, flagitii certo periculo et suspicione non vacat (1); neve in eadem domo cohabitent (2), nec nisi parentibus, vel aliis præsentibus simul maneant (3). Confessarii autem cum juvenibus aliter agentibus se rigide gerant, ac rigidiores etiam cum parentibus qui, iterum iterumque moniti, filiarum debitam custodiam neglexerint, dicente Spiritu Sancto: «filiæ tibi sunt? serva corpus illarum (4), et in filia non avertente se, firma custodiam, ne, inventa occasione utatur se (5), et confundat te in multitudine populi» (6).

IV. Prædicator castitatis sacerdos, ut ait Ambrosius, non sit consiliator nuptiarum; propterea parochi, cæterique sacri ministri minime se immisceant in negotiandis vel componendis nuptiis, nisi quantum evidens pastoralis officii obeundi necessitas, aut vera charitas suaserit; hinc enim oriri solent gravia incommoda sacro ministerio animarumque bono non parum obfutura.

V. Moneantur filii familias, ne sine gravi causa, parentibus prorsus insciis, aut juste reluctantibus matrimonium contrahere promittant, nam etsi, absque illorum consensu contractum, validum sit conjugium, semper ab Ecclesia detestata fuit hæc agendi ratio, ex qua perturbationes et dissidia in familiis oriri solent (7). Eo magis hoc consulendum est, cum de jure civili, vel consensum, vel consilium parentum, prout ætas postulet, impetrare jubentur filii, et absque illo contrahere prohibentur. Moneantur parentes, ne umquam nisi gravissimis de causis, filios suos a matrimonio prohibeant, sed ea prudenter consilient quæ in Domino ipsis expedire videantur; libertatem tamen filiorum non cohibeant.

VI. Matrimonium non raro præcedunt sponsalia per verba de futuro, pro quibus nullam præscripsit formam Tridentina Synodus. Cum vero in Hispania per Caroli III pragmaticam statutum fuisset, ea tantum valitura sponsalia quæ per publicam scripturam contracta fuerint, et hæc lex, etsi disciplinæ ecclesiasticæ parum consona, in praxi admissa fuisset, unde ab ipsa praxi jus consuetudinarium ortum est, sacra Congregatio Concilii, omnibus mature perpensis declaravit «sponsalia quæ in Hispania contrahuntur absque publica scriptura invalida esse, et publicam scripturam supplere non posse instrumentum

(1) Bened. XIV, Brev. 17 Sept. 1746. De syn. diœc. lib. VI, cap. 7.

(2) Conc. Trid. sess. XXIV, cap. 1.

(3) Rit. Rom. De matrim. Bened. XIV. De synod. diœc. lib. VI, cap. 3, S. Carol. Borrom. Conc. mediol. VI. (4) Eccl. VII, 26. (5) Id. XXVI, 13.

(6) Id. XLII, 11. (7) Conc. Trid. sess. XXIV, cap. 1.

in curia conflatum pro dispensatione super aliquo impedimento, ex quo inferri possit promissio serio facta contrahendi matrimonium» (1). Hanc declarationem memoria retineant parochi ut fideles docere possint, et scandala atque præjudicia non pauca, quæ facile evenirent ex alia agendi ratione, accurate vitentur.

VII. Non omittant parochi populum edocere quantum Ecclesia abhorreat a matrimoniis inter cognatos et affines. Talia enim matrimonia, præterquam quod impediunt, ut amor supernaturalis inter extraneos diffundatur, mutuae reverentiæ, quam cognati et affines sibi debent, repugnant, latiore campum morum corruptelæ reserant, et bono phisico prolis, experientia teste, quam maxime nocent. Et cum nonnulla sint impedimenta, a quibus Apostolica Sedes vel numquam, vel raro admodum dispensare solet, mature et omni diligentia laboret parochus, ut quam citius a proposito desistant, qui ejusmodi impedimentis irretiti de matrimonio ineundo pertractant.

VIII. Si vero graves causæ adsint, quæ ad contrahendas nuptias inducant inter eos, qui impedimento dispensabili vetantur, parochus moneat illos in primis, ut in causis exponendis summa utantur animi sinceritate, ne forte obtenta dispensatio, cum gravissimo animarum detrimento, nullius sit roboris. Clare ergo et dilucide in supplicatione exponantur, nihilque omittatur ex iis quæ necessario manifestanda sunt. Ad parochorum instructionem, Episcopi publici juris faciant quæ sacra Congregatio de Propaganda Fide paucis ab hinc annis edixit clarissime exponens quidquid ad rem pertinet. Neque omittant parochi exponere gravissima rationum momenta, quibus et impedimenta et taxa pro obtinenda dispensatione instituta sunt, ad expellendos errores qui in vulgus disseminantur sive ex ignorantia, sive ex malitia. Taxa quidem non est dispensationis præteritum, quod simoniacum esset; sed exigitur sive ut vulnus, quod disciplinæ ecclesiasticæ aliquo modo per dispensationem infligitur, reparetur; sive ut difficiliore ideoque rariores dispensationes fiant; nec profecto in ærarii pontificii augmentum, sed in ministrorum sustentationem cedit: quod si quando aliquid, præter ministerialia impendia, supersit, id omne in pia opera erogatur.

IX. Moneant denique nupturientes ut nimiam familiaritatem devitent, ne gravissimo et horrendo incestus scelere maculentur, nam etsi dispensationem irritam minime faciat, uti pro summa benignitate decrevit sanctissimus in Christo Pater Leo XIII (2), absque dubio qui in illud labuntur crimen, iram Dei provocant, cum e contra ejus in se benedictionem attrahere magis magisque necessitatem habeant. Unde

(1) S. Cong. 31 Januar. 1880. (2) Decret. 25 Jun. 1885.

in apostolico decreto expresse dicitur: «Dum ob gravissima rationum momenta a pristino rigore hac super re sanctissimus Pater benigne recedendum ducit, mens ipsius est, ut nihil de horrore, quod incestus crimen ingerere debet, ex fidelium mente detrahatur, immo vero summo studio excitandos vult animarum curatores, aliosque quibus fovendæ inter Christi fideles morum honestatis cura demandata est, ut prudenter quidem, prout rei natura postulat, efficaciter tamen elaborarent, huic facinori insectando, et fidelibus ab eodem, propositis pœnis quibus obnoxii fiunt, deterrendis.»

X. Ex Rituali Romano (1) debet parochus paulo ante matrimonium certior fieri, an contracturi sponte, libere et honeste contrahere velint, an aliquod adsit impedimentum, an sint ætate legitima (2), et an uterque sciat rudimenta fidei. Quare curet, ut sponso, unum ab altero sejunctum, os ad os alloquatur (3) vel in sacristia, vel in parochiali domo, ostio cubiculi constanter aperto, ut videri possit ex proximo conclavi. Si interrogati de rebus fidei et Sacramenti ignorantes, vel parum instructi appareant, industri quodam sermone eos doceat, quæ magis sunt scitu necessaria, prout ei ex officio oves suas docere incumbit. Hoc perfici debet antequam nuptiæ denuntientur (4).

XI. Concilii Lateranensis et Tridentini lege præcipitur ut, antequam matrimonia contrahantur, tribus continuis festis diebus a propriis contrahentium parochis inter Missarum solemnias publice denuntientur (5). Si sponsi habitent in diversis parœciis, uniuscujusque contrahentis parochus prædictas denuntiationes faciat. Denuntiationes hujusmodi fieri debent, tum in parœciis domicilii, vel quasi domicilii, tum in iis ad quas antea post pubertatem pertinebant, nisi jam per quinque annorum spatium ab illis discessissent. Parochus qui nuptiis assistere debet, id peragere non audeat, nisi ab altero parochi de tribus denuntiationibus rite peractis certior factus fuerit, atque ipsius testimonio constiterit, nullum impedimentum fuisse compertum, nihilque matrimonio celebrando obstare.

XII. Si contrahentes, vel ambo, vel alteruter ex his sint vagi, peregrini, vel exteri, nempe alienæ diœcesis, a qua post pubertatem abierint, istorum nuptiis nequit parochus assistere, nisi legitimum et certum liberi status, ut dicunt, testimonium antistitum, apud quos morati fuerint, in Episcopi curia exhibuerint, juxta instructionem Supremæ et Universalis Inquisitionis (6), quam diligentissime servari

(1) De sacram. matrim. (2) Cap. *Ubi non est* 2 De despons. impub.

(3) Bened. XIV const. *Nimiam licentiam* 18 Mai. 1743.

(4) De Synod. diœc. lib. XII, cap. 14, n. 3.

(5) Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 1. *De ref. matrim.* (6) Decret. 21 Aug. 1670.

jubemus, et nisi ab eadem curia facultatem obtinuerit matrimonium celebrandi. Item si unus vel uterque sit viduus, denuntiationes pro novis nuptiis ineundis fieri prohibemus, antequam legitimæ attestations et de priori matrimonio contracto, et de prioris conjugis morte exhibeantur ipsi parochi, si conjux in eadem diœcesi, curiæ episcopali si extra obierit. Si vero per legitima documenta testificari nequeat obitus alterius conjugis, ad suppletorias probationes procedatur in curia juxta instructionem ipsius Supremæ et Universalis Inquisitionis et formam in ea præscriptam (1).

XIII. Sed frustra sacri canones matrimonia promulgari mandavissent, nisi fideles ad aperienda impedimenta, quæ noverint teneantur. Revelent itaque omnia, etiam secreta et dubia, vel quæ probari non possunt, quod ni faciant, grave scelus committunt, omniumque rei sunt malorum, quæ ex damnato conjugio nascuntur, unde ab antiquis canonibus excommunicationis pœna mulctati fuerunt (2), sicut et illi qui scienter et dolo malo ad impediendum vel protrahendum matrimonium, falsum deferunt impedimentum (3). Ne autem eadem hæc impedimenta matrimonii ex ignorantia reticere contingat, haud omittant parochi aliquoties, facili sermone, et ea quæ par est prudentia, populo exponere ea præsertim quæ a rudioribus solent ignorari, uti publicæ honestatis, et cognitionis spiritualis, aliaque frequentius occurrentia.

XIV. Meminerint insuper parochi, sibi prorsus facultatem esse interdictam, vel unam tantum ex denuntiationibus remittendi. Ipsi Episcopi, quibus facultatem de his dispensandis reservat Concilium Tridentinum (4) eadem non utantur ni gravis et legitima causa omnino adsit; eos enim gravissime admonet Benedictus XIV, ut sint difficiliores ad remittendas publicationes, a quibus contracturi matrimonium sæpe per malitiosam suggestionem petunt dispensari (5). Excipimus ab hac lege si quando alteruter contrahentium versatur in articulo mortis, et alioquin matrimonii celebrandi necessitas urgeat. Hoc eveniente casu, si tempus adest, rem ad Episcopum deferat parochus: sin autem certior factus de libertate et idoneitate contrahentium per documenta vel per testes, matrimonio celebrando det operam coram testibus, prout de jure, ad graviora mala vitanda.

XV. Denuntiationibus peractis, si nullum detectum fuerit impedimentum, quamprimum celebretur matrimonium, non autem ipso

(1) Decret. 15 Maj. 1868.

(2) Cap. *Super eo detestab.* Propterea de eodem *delectus* de election.

(3) Cap. *Cum inhibito* de cland. despons. (4) Sess. XXIV, cap. 1. De ref. matr.

(5) Bened. XIV, const. *Satis nobis* 27 Nov. 1741.

ultimæ denuntiationis die, nisi forte postridie vetitum incipiat tempus, vel alia adsit causa ab Ordinario probanda; et tunc populus in denuntiatione moneatur, illo ipso die matrimonium esse ineundum. Si vero infra duos menses post habitas denuntiationes matrimonium non contrahatur, repetendæ erunt, nisi aliter Episcopo videatur (1).

XVI. Nullum est matrimonium, nisi celebretur coram parochi vel alio sacerdote de ipsius parochi seu Ordinarii licentia et duobus vel tribus testibus (2) et consuetudo servetur, ut parochus, cui sponsa subest, ad illud benedicendum adhibeatur (3), qui per se, non per alium sacerdotem, nisi rationabili de causa impeditus, hoc interessendi matrimoniis celebrandis munus sibi proprium obire tenetur (4). Celebretur matrimonium in parochiali Ecclesia, non in oratoriis privatis, minus autem in privata domo, et mane, non vespere, nisi ex legitima causa aliter quoad utrumque Episcopus concesserit. Quandoam vero in conjugii celebratione nuptialis benedictio adhibenda sit, quando omittenda, quibus et a quo elargienda, præscribitur in Rituali Romano, ejusque præscriptionibus standum edicimus, hortantes simul cum Tridentinis Patribus (5) sponsos, ut antequam contrahant et benedictionem recipiant, peccata sua diligenter confiteantur, nam sacramentum vivorum est matrimonium, ideoque statum gratiæ requirit ad vitandum sacrilegium, ac postea intra Missam ad sacram mensam pie accedant.

XVII. Moneant parochi fidelem populum, quod licet feriatis etiam temporibus, a Dominica prima Adventus, scilicet, usque ad Epiphaniam, et a feria IV Cinerum usque ad Dominicam in Albis inclusive, matrimonia, jure saltem communi, contrahi possint; tamen vel ipsæ Ecclesiæ solemnitates tunc inhibentur, multo magis sponsæ traductio cum comitatu et plausu et nuptialia convivia, et cantus, et quæcumque alia signa lætitiæ (6). Etiam extra prædicta tempora, nuptias christiana modestia et honestate celebrandas inculcent (7), nihilque in eis procax, nihil turpe, aut indecorum admittendum. Si celebretur matrimonium prædicto feriato tempore, vel ex Episcopi licentia vespertinis horis, aut in privata domo, sponsi nuptiali benedictione non sunt donandi, sed dimittantur, stricte peractis cæremoniis et precibus in Rituali præscriptis (8) quæ pariter perfici debent in secundis nuptiis (9).

(1) Rit. Rom. *De sacram. matrim.*

(2) Conc. Trid. sess. XXIV, cap. 1. *De ref. matr.*

(3) Bened. XIV, instit. XXXIII. (4) Id. id. (5) Sess. XXIV, cap. 1.

(6) Rit. Rom. *De sacram. matrim.* (7) Id. id.

(8) S. Rit. Cong. 14 Aug. 1858. (9) Id. id. 27 Aug. 1836,

XVIII. Procuret et inculcet parochus, ut sponsi alio die in ecclesiam ad benedictionem accipiendam se conferant, atque sciat Tridentinam Synodum eos hortari, ut ante illam acceptam in eadem domo non cohabitent (1): quod tamen præceptum non inducit, immo Sacra Congregatio Supremæ Inquisitionis, derogando omnibus in contrarium præcedentibus, sequens edidit generale decretum: «Benedictionem nuptialem, quam exhibet Missale Romanum in Missa pro sponso et sponsa, semper impertiendam esse in matrimoniis catholicorum, infra tamen Missæ celebrationem juxta rubricas, et extra tempus feriatum omnibus illis conjugibus qui eam in contrahendo matrimonio, quacumque ex causa, non obtinuerint; etiamsi petant postquam diu in matrimonio vixerint, dummodo mulier, si vidua, benedictionem illam in aliis nuptiis non receperit. Insuper hortandos esse eosdem conjuges catholicos, qui benedictionem sui matrimonii non obtinuerint, ut eam primo quoque tempore petant: significandum vero illis maxime si neophiti sint, vel ante conversionem ab hæresi valide contraxerunt, benedictionem ipsam ad ritum et solemnitatem, non vero ad substantiam et validitatem pertinere conjugii» (2).

XIX. In eos qui, despectis denuntiationibus, secreto et quasi repentina aggressione matrimonium attentant vel contrahunt, severe animadvertant Episcopi: parochus vero, aut sacerdos, cui simile contigerit, Ordinario statim denuntiet, qui præscriptas jure pœnas tam in attentantes, quam in testes atque in inducentes pronuntiet (3).

XX. Etiamsi matrimonium inter absentes per procuratorem valide iniri possit (4), vetamus tamen parochos talibus nuptiis assistere, nisi mandatum procurationis in episcopali curia revisum et probatum fuerit, atque inde expressam in scriptis facultatem obtinuerint.

XXI. Quoniam, etsi nunc fideles nostræ curæ commissi, ad sic dictum civile conjugium nullo modo obligentur, timendum valde est, ne iterum (quod Deus avertat) a potestate civili de hac re leges moliantur catholicæ doctrinæ adversantes, ideoque parochi ante oculos habeant instructionem a sacra Pœnitentiaria ex mandato Pii IX editam (5), et ad ejus normam, ad rite in omnibus procedendum munere suo pastoralis fungantur. Episcopi eam publici faciant juris, et opportunas regulas parochis tradant.

XXII. Celebratum matrimonium in parochialem ad hoc librum, ut præcipit Rituale Romanum, parochus per se referat, vel per alium, ut dictum est in titulo de sacramentis in genere.

(1) Sess. XXIV, cap. 1 citat. (2) 31 Aug. 1881.

(3) Cap. *Cum inhibitio* de cland. despons. Bened. XIV. De synod. lib. XII, cap. 6, n. 2.

(4) Can. *Honorantur* caus. 32 q. 2. Cap. *Procurator de procurator* in 4.º

(5) 15 Januar. 1866.

XXIII. Matrimonium legitime initum et consummatum nulla humana auctoritate dirimi unquam potest; sed perpetuam vitæ societatem inducit, quæ morte tantum potest exsolvi. Cum vero evenire possit, ut conjuges a cohabitatione et thoro dumtaxat separari velint, id fieri prohibemus nisi in casibus a jure canonico statutis, et in forma a lege ecclesiastica permissa. Si de matrimonii vi agatur quæstio, ea omnino serventur quæ de hujusmodi judiciis statutum est in sacris canonibus (1).

XXIV. Parochorum pietatem et religionem vehementer, excitamus, ut omnem eorum charitatem in conjugatos exerceant. Quæ Petrus apostolorum princeps, et doctor gentium Paulus divino spiritu afflati, de matrimonii dignitate et officiis scripta reliquerunt, illis explicent, ac moneant ut mutua benevolentia et charitatis vinculis se assidue obstringant, atque ab omni acerbitate et injuria abhorreant, sibi invicem donantes et parcentes, si quid adversus alium habeant, et caste vivant, utpote vocati a Deo non in immunditiam, sed in sanctificationem (2). Moneant de gravissima obligatione educandi filios in timore Domini, ut a pueritia religiose sancteque vivant, eosque, pro cujusque gradu et conditione, vel litterarum studiis, vel honesto aliquo artificio mature instituendi.

XXV. Eos qui vivunt in concubinato, quocumque nomine velint illum cohonestare, etiam atque etiam hortentur parochi, ut quam primum consulant conscientiæ suæ; quod si nihil profecerint, rem ad Episcopum deferant vel ad Vicarium generalem. Si qui vero more conjugum viventes, licet non legitime conjugati, de sua in aliam parœciam demigraverint, opus charitatis egerit parochus, si de re certiozem fecerit parochum novi domicilii. Cum autem locus suæ curæ novis et ex aliis locis advenientibus incolis augeatur, prudenter aget, si parochos locorum illorum interroget, et eorum condiciones investigare procuret.

TITULUS IX.

De Sacramentalibus.

Sacramentorum Christus Dei Filius signis quidem sensibilibus annexuit gratiam, quam ex opere operato efficiunt, ut divinæ consortes simus naturæ, unde maxima et pretiosa nobis donavit (3); ast divina ipsius largitas per Ecclesiam dilectissimam sponsam suam

(1) Conc. Trid. sess. XXIV, Bened. XIV. *Dei Miseratione etc.*

(2) I. Thessalon IV, 7. (3) 2, Petr. I, 4.

munera quoque addidit, et ipsa magna: magnum enim est quidquid ad vitam æternam facilius assequendam ordinatur. Sunt hæc, quæ sacramentalia dicuntur, a primis jam sæculis ab Ecclesia instituta. Sciens enim omnem creaturam sanctificari per verbum Dei et orationem (1), sacras actiones adhibet, rebusque sensibilibus benedictionem impertit, simul Deum rogans, ut qui pie iisdem utantur, varia consequantur beneficia, imprimis gratiam copiosam, qua ad pietatem in Deum, et detestationem peccatorum moveantur (2). Cum vero sacramentorum aliquam exhibeant similitudinem hujusmodi res et actiones, necnon et alia opera pia, quibus Scripturæ sacræ effata gratiæ divinæ promissionem adjungunt, merito sacramentalium nomine vocantur, quæ quidem ex institutione Ecclesiæ ex opere operantis impetrant cœlestia et valida gratiæ auxilia; ideoque curandum est, ut populus fidelis ea religiose utatur, et ex iis intentum fructum percipiat, ne temere in ipsis præfidendo, nec ea incure negligendo.

I. Ut vero scopulus uterque vitetur, parochi sacramentalium numerum, naturam, vim fidelibus accurate explicent, eosque excitent ad illa sancte usurpanda, ut salutare consequantur effectus: neque verbis dumtaxat, sed exemplis præcipue hæc insinuare procurent; quod præstabunt, si qua par est gravitate, reverentia ac pietate, in sacris illis administrandis cæremoniis, sacerdotale ipsorum officium obeant.

II. Sex ad quas revocari solent, sacramentalium classes, sequenti comprehenduntur versiculo: «orans, tinctus, edens, confessus, dans, benedicens.» Voce illa *orans*, significatur præsertim dominicæ orationis recitatio, de qua S. Augustinus: «De quotidianis, brevioribus, levibusque peccatis, sine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana oratio fidelium satisfacit. Eorum enim est dicere: *Pater noster qui es in cælis*, etc. Delet omnino hæc oratio minima et quotidiana peccata. Delet et illa a quibus vita fidelium scelerate etiam gesta, sed pœnitendo in melius mutata discedit: si quemadmodum veraciter dicitur, *dimitte nobis debita nostra*, quoniam non desunt quæ dimittantur, ita veraciter dicatur, *sicut et nos dimittimus debitoribus nostris*, id est, si fiat, quod dicitur» (3). Sed et aliæ preces, quibus Deum in spiritu et veritate adoramus, maxime illæ, quas ex Ecclesiæ institutione persolvimus, prout horæ canonicæ, salutarem hunc effectum exercent. Huc pertinent orationes in consecratis ecclesiis, et tunsio pectoris, si doloris et pœnitentiæ causa agatur.

III. Vox illa *tinctus*, aquæ benedictæ aspersionem exprimit. Aqua enim sale aspersa, divinisque precibus sacrata, populum ad supernas

(1) I. Tim. IX, 5. (2) D. Thom. P. 3 quæst, 87, art. 3.

(3) Enchirid. cap. 7, can. *De quotidianis*. De pœnit. Dist. 3.

cogitationes excitatum sanctificat atque emundat, quod idem valet de unctionibus cæremonialibus, quæ sacris aut benedictis oleis conficiuntur. Hinc vetustissimus in Ecclesia ritus quolibet Dominico die aquam benedicendi, qua clerus et fidelis populus asperguntur. Hinc solemnitas quoque et ab Apostolica traditione derivatus mos (1) benedicendi in vigiliis Paschatis et Pentecostes aquam in usum baptismi, ac consuetudo quæ semper viguit aquam ipsam antequam sacra eidem misceantur olea, fidelibus distribuendi in domos deferendam, atque servandam. Numquam ergo omittatur qualibet Dominica ante Missam parochialem vel conventualem aquæ benedictio, juxta rubricas Missalis, et aspersio populi cum illa peragenda. In vasis seu fontibus prope fores Ecclesiæ semper suggeratur, et frequenter renovetur. Moneatur populus de cæremoniis quæ in benedictione aquæ adhibentur, et de ipsius virtute, ut in ingressu templi, digitis in vase illius intinctis, signo crucis pie devoteque, non cursim ac negligenter, atque de peccatis dolens se muniat, ut a venialibus purgatus in conspectu Domini appareat. Excitentur etiam omnes ut eam in domibus habeant, qua religiose in variis rerum adjunctis uti possit.

IV. *Edens*, significat panis aut alterius cibi benedicti commestionem. Cum Ecclesia in eorum benedictione postulet a Deo, ut sint omnibus sumentibus salus mentis et corporis, et contra omnes morbos, et universas inimicorum insidias tutamen, si benedictionis memores, corporis nutrimentum ea capiamus mente, ad quam Ecclesiæ oratio nos informat, in animæ convertitur alimentum.

V. *Confessus*, voce indicatur quædam generalis peccatorum confessio non sacramentalis ab Ecclesia instituta, qualis in Missæ sacrificio a sacerdote et ministro et in divino officio recitantur, atque alias quoque perutiliter exercetur, ad augendum et confirmandum dolorem de peccatis commissis, ac pro eis satisfaciendi studium. De hoc Benedictus XIV sapienter inquit: «In Missa sacerdos et minister dicunt *Confiteor*, quia sacerdos et minister, seu populus pro quo minister loquitur, mutua hujusmodi confessione, assecuturos sese confidunt levium peccatorum remissionem, quo puriori mente Deo sacrificium offerant. Confitemini alterutrum peccata vestra, et orate pro invicem, ut salvemini, verba sunt in Epistola S. Jacobi apostoli (2). Trina illa percussio pectoris contritionem cordis significat, ab exemplo ducta publicani, qui pectus sibi percutiens peccata sua confitendo, veniam a Domino impetravit» (3).

(1) S. Basilius. *De Spir. Sancto* cap. 27.

(2) Jacob. V. 16.


(3) *De sacrificio Missæ* lib. II, cap. 3, n. 5.

VI. *Dans*, eleemosynam indicat, cui cætera misericordiæ opera tam corporalia quam spiritualia merito æquiparantur, ipso nos edocente Spiritu Sancto quod eleemosyna a morte liberat, et ipsa est quæ purgat peccata, et facit invenire misericordiam et vitam æternam (1).

VII. Denique voce illa *benedicens*, significatur benedictio Episcopi, quem Deus fons totius benedictionis dispensatorem domui suæ præposuit, necnon benedictio candelarum, cinerum atque palmarum, quæ secundum Ecclesiæ institutionem peractæ, hominem in fide stantem ad altissimarum rerum memoriam extollunt. His quoque adnumerandæ sunt cæteræ benedictiones ab Ecclesia institutæ et in Rituali contentæ; sed quamquam certissimum est, valere illas tum contra spirituales nequitas, tum etiam adversus naturales morborum causas; caveant tamen, qui benedicunt, ne vanas mulierum præsertim suspensiones de maleficiis, veneficiis, aliasque superstitiones foveant, aut occasionem præbeant aliquid de eo genere temere opinandi, et numquam formulis utantur quæ in Rituali non reperiantur, vel non certo constet a Sacra Rituum Congregatione fuisse approbatas.

VIII. Magnum aliquid sunt exorcismi, qui potestatem Ecclesiæ in diabolum et angelos ejus collatam patefaciunt. Cavendum nihilominus est, ne temere usurpentur, ideoque nullus clericus, nec sacerdos audeat exorcismo adjurare personas, quæ a maligno obsessæ reputentur, nisi accepta in scriptis ab Episcopo licentia. Qui aliter facere præsumpserint, severe puniantur.

(1) Tob. XII, 9.





PARS QUARTA.

DE CULTU DIVINO.

TITULUS I.

De cultus externi necessitate et præstantia.

ENS perfectissimum est Deus, qui bonorum nostrorum non indiget (1); immo de bonis suis dat omnibus affluenter; nam ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia (2). Nulla igitur infinitæ illi gloriæ, qua circumdatus est in propria essentia, obvenire potest accessio ex creaturarum laudibus. Honor tamen, et laus illi debetur, ideoque vult, et justissime, ut homines, quos ad imaginem et similitudinem suam creavit, summum Creatori benignissimo honorem deferant, eum adorationis, gratitudinis et amoris debito colentes obsequio. Hoc ipsamet humana ratio docet, hoc sacræ litteræ innumeris locis inculcant.

I. Cum duplici substantia, anima nempe et corpore a Deo hominidatus existat, et cum pro utraque æterna beatitudo a cœlorum Domino parata sit, in anima et corpore hominem Deum colere oportet. Unde exurgit duplex in Ecclesia catholica receptus et præceptus cultus, internus scilicet et externus. Latet in anima primus: per sensibiles actus exhibetur secundus. Potest esse et verus, et sincerus et

(1) Ps. XV, 2. (2) Rom. XI, 36.

Deo gratus qui in pectoris ambitu continetur, ut integrum tamen et completum sit obsequium ab homine Summo rerum omnium Domino præstandum, per demonstrationes illas, quæ externum catholicum cultum constituunt, illum adorari etiam necesse est.

II. Extat pro cultu nostro externo et alia ratio, ex Ecclesiæ constitutione desumpta, optime aptata et hominis naturæ, et ejus pro hac vita destinationi. Est enim Ecclesia Christi societas, et quidem perfectissima, unde socialem vitam acturos ejus filios clarissime elucet. Cum vero hæc socialis vita locum habere nequeat absque communibus actibus et publicis manifestationibus, cumque præterea singuli christiani stimulos præbere debeant confratribus ad munia religionis obeunda, cumque postremo catholicæ religioni deesse non possit quod habuerunt religio naturalis et Mosayca, quæ actus externi cultus præcipiebant; idcirco Ecclesia Christi, divino Spiritu edocta, a suis primordiis hujusmodi cultum promovit et exhibuit, etiam in catacumbis, cum extra non posset, congregans filios suos, qui nec mortis quidem periculo deterriti, a sacris conventibus frequentandis abstinere volebant.

III. Non desunt tamen, misera hac nostra ætate, qui malignis imbuti doctrinis, et opus Dei pervertere cupientes, ut societatem faciant atheam, non verentur temere docere, religionem ad summum individua respicere, ideoque amovendam esse a publica et sociali vivendi ratione, eo quod hominum societas nonnisi de hujus vitæ bonis sollicita esse debeat, ac si prima omnium obligatio non esset, sic transire per bona temporalia ut non amittamus æterna, vel cultus religiosus, a concordi hominum societate Deo exhibitus, non princeps esset conditio felicitatem ipsam temporalem rite auspicandi. Horum recentiorum naturalistarum deliramenta, qui uti superstitionum et puerilem externum et publicum cultum impetunt et templo atque altari bellum indicere non exhorrescunt, cum Ecclesia catholica damnamus atque rejicimus. Ut autem ab ejusmodi erroribus grex nobis commissus et nunc, et in posterum immunis servetur, frequenter et accurate populis inculcanda est utilitas et necessitas religiosi externi cultus, necnon observantia eorum omnium quæ illum comitantur, ejusque splendorem constituunt.

IV. Cultus etenim quem Ecclesia Deo exhibet, augustissimus sane est, non solum si finis ipsius spectetur, sed etiam si modus, ritus, cæremoniæ considerantur; nec levia dici possunt et vilipendenda, quæ ex apostolica descendunt traditione, quæque cultus divini, et in primis sacrificii majestatem commendant. Ea omnia plurimum valent ad fidem confirmandam, ad pietatis sensus alendos, et præterea alter alterum suo exemplo excitat ad emulanda charismata meliora, et ad

glorificandum Patrem qui in cœlis est (1), juxta illud archangeli Raphaelis ad Tobiam patrem et filium effatum: «Benedicite Deum cœli, et coram omnibus viventibus confitemini illi quia fecit vobiscum misericordiam suam» (2).

V. Nec verbo tantum docere et hortari fidelem populum satis habeant parochi, ceterique omnes divini cultus ministri, sed fide pleni, charitate ferventes, eximia, quæ exercenda acceperunt ministeria, omni exteriori obsequio ac reverentiæ attestazione pertractent, divinaque officia ita peragant, ut eorum sanctitas et Ecclesiæ leges exigunt. Pro viribus adlaborent ut catholici cultus majestas ac splendor conservetur et augeatur, serio considerantes universam Ecclesiæ liturgiam altissimo fini inservire: obtestandum nempe nostram Deo subjectionem, gratitudinem, amorem, ad fidem publice profitendam, ad mentem per visibilia signa ad invisibilium rerum meditationem sustollendam, devotionisque igne inflammandam, ad arctius Ecclesiæ membra inter se jungenda, unitatemque catholicam ob omnium oculos ponendam, ad manifestandam denique religionem a Christo Domino intitutam, quæ sicut sola fidei veritate consistit, ita etiam sola veri cultus decore ac majestate præfulget.

VI. Summa diligentia curantes præsertim parochi populum, in recte sancteque persolvendo cultu publico, verbo et exemplo docere, illaque tantum ab Ecclesia probata admittere, diu noctuque advigilent, utpote rationem de abusibus Deo reddituri, ne quid introducatur minus rectum et religioni consentaneum. Quidquid superstitiosum sapiet, ut veri Christi ministri, vel domibus, vel templis eliminent; magna tamen prudentia se gerant, si de inveteratis abusibus agatur, et Episcopum ante omnia certiosem faciant, et de recta agendi ratione consulant ne dum zizania eradicare velint, eradicent etiam et triticum (3), atque dissensiones et scandala in populis oriantur.

TITULUS II.

De Sacrosancto Missæ Sacrificio.

Cultus divini præcipuus actus est sacrificium, per quod Deus agnoscitur rerum omnium Dominum, immo vitæ et mortis auctor, et illi supremi gradus adoratio exhibetur. Sanctissimæ igitur religioni nostræ hostia et sacrificium deesse non poterat, et quidem sanctissimum et divinissimum, quod nec ab hominibus inveniri, nec in prioris foederis figuris, nisi figurative offerri licuit. Per Malachiam prophetam

(1) Matth. X, 11. (2) Tob. XII, 6. (3) Matth. XIII, 29.

illud prænuntiari voluit Deus hisce verbis: «ab ortu solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus, ait Dominus omnipotens» (1).

Hoc sacrificium tanto excellentius ac perfectius hostiis legalibus, quanto excellentior et Deo acceptabilior victima, quæ in eo immolatur, instituit Christus, sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech (2), cum in supremæ nocte cœnæ, postquam panem et vinum in corpus suum et sanguinem transmutavit, apostolis, ut idem in sui memoriam facerent mandavit (3). In divino hoc sacrificio, quod in Missa peragitur, ait Tridentina Synodus, idem ille Christus continetur, et incruente immolatur, qui in ara crucis semel se ipsum cruenta obtulit... «Una eademque est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa,» cum in cruce fuerit cruenta, incruenta vero sit in altari (4). Nihil inde crucis derogatur sacrificio, cujus meritum per hoc applicatur, et quemadmodum sacrificium illud cruentum, ita hoc incruentum latreuticum, et eucharisticum, propitiatorium et expiatorium est sacrificium, atque pro vivis et defunctis solo quidem Deo, in honorem tamen sanctorum, pro certis etiam personis et ordinibus qui specialem fructum percipiunt, offerri potest. (5).

Religiosi igitur cultus nostri centrum quasi et anima est divini sacrificii oblatio, «quæ ineffabili prorsus ubertate redundans, præsentem æque ac futuram vitam complectitur. Ea enim oblatione placatus Deus, gratiam, donumque pœnitentiæ concedens, crimina et peccata etiam ingentia dimittit, ac licet peccatis nostris graviter offensus, ab ira ad misericordiam, a justæ animadversionis severitate ad clementiam traducitur: ea temporalium pœnarum reatus et obligatio dissolvitur: ea defunctorum in Christo animæ nondum ad pœnam purgatæ sublevantur: ea obtinentur quoque temporalia bona, si tamen potioribus non officiant; et sanctis, et imprimis Immaculatæ Sanctissimæque Dei Genitricis Mariæ eximius quidam honor cultusque conciliatur... Idcirco Sancta Mater Ecclesia, tanto divini sui Sponsi ditata thesauro, numquam destitit omnem curam, operam, diligentiamque in id conferre, ut tam tremendum mysterium a sacerdotibus, quanta maxima fieri posset, interiore cordis munditie et puritate peragatur, debitoque sacrarum cæremoniarum ac rituum apparatu cultuque celebraretur... ac pari sollicitudine studioque ipsa pientissima mater

(1) Malach. I, 22. (2) Hebr. VII, 27. (3) 1. Cor. XI, 24.

(4) Conc. Trid. sess. XXII. *De missæ sacrif.* cap. 1.

(5) Id. id. sess. XXIV. Pius VI. Const. *Auctorem fidei.*

numquam cessavit suos fideles filios commonere, hortari et inflammare, ut ea, qua oportet, pietate, veneratione, ac devotione ad hoc divinum sacrificium frequentissime convenirent» (1).

Hisce Concilii Tridentini, ac Summorum Pontificum luculentissimis verbis fidem nostram testantes, atque officio nostro inhærentes, nonnulla in mentem revocamus, tum sacerdotum ad rite sancteque celebrandam Missam, tum fidelium ad pie et salubriter illi assistendum, ejusque copiosissimum fructum percipiendum.

I. Et in primis, sicut ven. mem. Pius IX, ne umquam intermittant Episcopos omnes adhortatus est, «parochos præsertim, aliosque divini verbi præcones, et eos, quibus demandatum est munus erudiendi christianum populum, monemus et hortamur, ut fidelibus populis tam sancti, tamque admirabilis sacrificii necessitatem, præstantiam, magnitudinem, finem, fructus studiosissime et accuratissime exponant, explicant, ac simul fideles ipsos excitent, inflamment, quo eidem sacrificio ea, qua par est, fide religione ac pietate frequentissime intersint, ut divinam misericordiam, et omne, quo indigent, beneficiorum genus sibi comparare queant» (2). Nec diebus tantum Dominicis et festivis, uti gravissimo tenentur præcepto, sed et frequentius, immo quotidie, si absque detrimento potuerint, ut de fontibus Salvatoris hauriant cum spirituali gaudio aquam salientem in vitam æternam (3). Nihil enim agere certe possunt, quo magis honorificetur Deus; nec ulla est gratia, quæ non obtineri, nullum debitum, quod non solvi, nec infirmitas, quæ sanari non possit hoc vivifico et sanctissimo Christi sacrificio, nullumque opus bonum, quo vivi et mortui juvari queant efficacius divina illa hostia, qua Deo Patri in cruce reconciliati sumus, et de qua cœlestis vox in monte audita est: «hic est filius meus dilectus in quo mihi bene complacui» (4).

II. Numeratos omnes, et alios adhuc uberrimos percipient fructus fideles illi, qui mundo corde, et ea, qua par est, religione ac pietate incruento Missæ sacrificio intersint. Sed si tanta reverentia a fidelibus exigitur «quo solari radio purior ac splendidior non debet esse ea manus quæ hanc carnem dividit, os quod igne spirituali repletur, lingua quæ tremendo nimis sanguine rubescit?» (5). Ministris suis qui pro Christo legatione funguntur (6), dicit Dominus Deus: «Dii estis, et filii excelsi omnes» (7); «sancti eritis quia ego sanctus sum» (8). «Accedat

(1) Pius IX Encycl. *Amantissimi Redemptoris*. 1 Maji 1852. Conc. Trid. sess. XXII. Dec. *De observ. et evitand. in missæ sacrif.*

(2) Encycl. *Amantissimi*. (3) Isai XII, 3. Joann. IV, 14. (4) Matth. XVII, 5.

(5) S. Joann. Chrysost. Hom. 60 ad popul. Antiochen.

(6) 2. Cor. V, 20. (7) Ps. LXXXI, 6. (8) Lev. XI, 45.

ergo ad altaris tribunal sacerdos ut Christus, assistat ut angelus, ministret ut sanctus» (1); antequam celebret, se colligat et oret; antequam ad altare accedat, Missam perlegat; sacris vestibus indutus, cum nemine colloquatur, nec loquentibus det aures, et cum ad altare erit eundem, graviter et modeste procedat (2).

III. Memores verborum, quæ in ipso altari pronuntiant, «ego autem in innocentia mea ingressus sum» (3), serio cogitent Dei sacerdotes, quam cordis munditiam et puritatem induant necesse est (4). Quotidianas ergo cordis sordes, nam in multis offendimus omnes (5), octavo saltem die pœnitentiæ sacramento abluere studeant, neque, quantumvis contriti sibi videantur, sine sacramentali absolutione ad altare accedere præsumant, si (quod ab omnibus Deus prorsus avertat) alicujus mortiferæ culpæ conscientia opprimantur, ne rei sint Corporis et Sanguinis Domini, et iudicium sibi manducet et bibant, non judicantes Corpus Domini (6). Quod si urgente necessitate ad celebrandum compellantur, et omnino copia confessarii deficiat, summa diligentia perfectam contritionem in corde omni conatu excitare procurent, et quam primum ad pœnitentiæ sacramentum accedant (7).

IV. Habet sacrificium Missæ multos, eosque maxime insignes et solemnes ritus, quorum nullus supervacaneus et inanis existimandus est; sed omnes eo spectant, ut et tanti sacrificii majestas magis eluceat, et ad rerum divinarum, quæ in eo sacrificio occultæ sunt, contemplationem fideles excitentur (8). Ritus illos omnes et cæremonias ab Ecclesia institutas et approbatas servent adamussim et pie obeant sacerdotes (9), et quæ alta, quæ moderata, quæ submissa voce pronuntiari debent, ita pronuntient, adeo ut distincte, integre et devotissime omnia peragantur, et ne minimum quidem apicem nec addere, nec omittere, nec quomodolibet immutare præsumant. Ne quid vero per incuriam vel ignorantiam admittatur sacræ liturgiæ præscriptionibus vel minimum oppositum seu alienum, meminerint omnes se obligatione teneri frequenter legendi et considerandi quæ, de sacrificii celebrandi ratione, Missalis Romani rubrica docet ac præcipit.

V. In Missis quoque solemniori ritu celebrandis, cæremoniæ omnes eo strictius servandæ sunt, quo magis id requiritur, ut solemnitatis augmentum fidelibus quoque sit in devotionis stimulum. Quæ in

(1) S. Laurent. Justin. Serm. *De Eucharistia*.

(2) S. Carol. Borr. Conc. Mediol. I. (3) Ps. XXV. SS.

(4) Conc. Trid. sess. XXII, decret. *De observ. et evitand. in Missæ sacrif.*

(5) Jacob. III, 2. (6) 1. Cor. XI, 27, 29. (7) Conc. Trid. sess. XIII, cap. 7.

(8) Cateh. Rom. p. 11. *De Euch.* cap. 4, n. 79. (9) Conc. Trid. sess. XXII, cap. 5.

iis a sacerdote canenda sunt, integre semper et graviter canat, et similiter chorus quæ ab ipso cantanda sunt, quin pars aliqua brevitas causa inabsoluta relinquatur, et tamquam abusus abrogetur quæcumque contraria consuetudo (1). Nihil quoque vernacula lingua intra Missam cani licet, et in contrarium praxis, si alicubi viget, utpote corruptela omnino eliminari debet ab Episcopis (2).

VI. Quum nimia festinatio in celebratione Missæ religiosas aures oculosque offendat, et nimia prolixitas fastidium plusquam devotionem generet, omnes admonemus sacerdotes, ut utrumque vitantes extremum, nec minus quam tertiam horæ partem, nec plus quam dimidiam, Missæ privatæ impendant. Qui citius absolverit, sciat se a celebratione suspendendum (3). Difficillimum enim est, ut breviori tempore absolvatur Missa, etiam defunctorum, quin celebrans in verbis et actionibus delinquat; nec fieri potest, ut in verbis enuntiandis, et ritibus cæremoniisque exequendis eam præseferat gravitatem sacrificii dignitati congruentem, propriæ sanctificationi, et fidelium ædificationi necessariam.

VII. Postquam vero sacerdos hujus sanctissimi sacrificii celebrationem absolverit, in silentio secedat, et congruo tempore in gratiarum actione devote permaneat. Qui hoc debitum summo benefactori Deo obiter, vel ne obiter quidem persolvere assueverit, maledictionem se pro benedictione habiturum merito timeat. Parochos et ecclesiarum rectores stricte præcipimus, eorum conscientiam onerantes, ut si quos noverint sacerdotes sine debita præparatione et gratiarum actione, festinanter aut indecore Missas celebrare, nec post unam alteramve correptionem, fraterna charitate in Domino factam, respicere, omni posthabito humano respectu, Episcopo denuntient, qui contumaces a celebratione suspendat, et pro rei gravitate puniatur, ne in eorum peccatis connivere videatur (4).

VIII. Qui sacerdoti in Missæ celebratione inserviunt, et populi nomine respondent, eam corporis modestiam, habitus decentiam, et sinceram animi pietatem exhibeant, quibus sanctum hoc officium peragere decet; ideoque ii seligantur a parochis qui morum honestate commendabiles sint, eosque studiose edoceant tum verba ab ipsis integre ac devote dicenda, tum sacras cæremonias peragendas, tum sanctitatem actionis ad quam assumuntur, et in qua angelos socios habent. Meminerint parochi, mulieres altari inservire vetitum esse:

(1) S. Rit. Congr. 11 Sept. 1847.

(2) S. Rit. Cong. pluries, præcip. in Valentina 22 Mart. 1862.

(3) Ben. XIV, instit. XXXV, § 6, n. 32.

(4) Litter. Encycl. jussu Innoc. XI 1678.

urgente vero necessitate, id tantum permitti posse, ut extra presbyterii septa, sacerdoti celebranti respondeant (1).

IX. Quum ex Concilii Tridentini præcepto (2), nullus clericus peregrinus et ignotus, etiam si regularis sit, ad sacrum faciendum vel sacramenta administranda admitti debeat, nisi ea exhibuerit documenta, quæ omnem fraudis suspicionem excludant, decernimus, ut si quis extraneus sacerdos celebraturus accedat, is, si parochus sit probe cognitus, si tonsuram ferat, et congruis vestibus induatur, poterit ad breve tempus admitti ut sacrum faciat, at si diutius in diœcesi commoraturus sit, ad episcopalem curiam recurrere debet, ut debitam facultatem obtineat. Episcopi tamen, si attentis circumstantiis propriæ diœcesis, opportunum censuerint, hanc parochorum facultatem arctioribus limitibus circumscribant.

X. Si vero neque Ecclesiæ rectori, neque alicui integerrimæ personæ notus fuerit talis sacerdos, dummodo testimonialibus litteris Ordinarii sui sit instructus, semel atque iterum Missam celebrare poterit; moneatur tamen, ut si per hebdomadam tantum mansurus sit, Archipresbytero se sistat, si per longius temporis spatium, testimoniales litteras curiæ episcopali exhibeat, atque facultatem celebrandi petat: alioquin ad sacrum faciendum non admittatur.

XI. Ex sacrorum canonum præscripto sacrosanctum Missæ sacrificium nullibi celebrare licet, quam in ecclesiis consecratione, vel saltem benedictione Deo dicatis, ac in publicis oratoriis, quæ prius visitaverit et approbaverit Episcopalis auctoritas (3). In privatis vero oratoriis, nonnisi ex privilegio Apostolico (4). Altare consecratum esse debet, vel saltem aram consecratam habere, in eoque crux eminens, et talis ut non a celebrante tantum sed ab adstante populo conspici possit (5). Si vero in altari, et principali loco existat tabula, quæ vel celato, vel picto opere, imaginem Salvatoris cruci affixi exhibeat, satis erit. Quod si SSma. Eucharistia publice adoranda proponatur, cum ibidem sacrum peragitur, cujuscumque ecclesiæ consuetudo tenenda est in conservanda vel tollenda cruce altaris; vel parva tantum exhibenda (6).

XII. Tempus autem celebrationis, excepta nocte Nativitatis Domini nostri Jesu Christi, ab aurora ad meridiem metiatur; tertia tamen horæ parte Missam anticipare, seu protrahere licet (7). Nemini hos limites excedere absque culpa permittitur, nisi ex Apostolico indulto,

(1) Sac. Rit. Cong. in Veronen. 27 Aug. 1836. (2) Sess. XXIII, cap. 16, De-ref.

(3) Conc. Trid. sess. XXIII decr. *De observ. et vitand. in Missæ sacrif.*

(4) Ben. XIV constit. *Magno* 2 Jun. 1751. (5) S. Rit. Cong. 27 Sept. 1822.

(6) Ben. XIV constit. *Accepimus* 16 April. 1746. (7) Id. Instit. XIII, n. 4. XXXIV, § 3.

quo tamen parce erit utendum (1), vel ex gravi causa, exempli gratia, solemnitatis vel dandi viaticum.

XIII. Maxima diligentia adhibenda est, ut purissima et apta sit utraque materia in Christi Corpus et Sanguinem convertenda, qualis ex divina institutione requiritur, et per sacros canones præscribitur. Per se ipsos, non vero per laicos inservientes de hoc curare debent ecclesiarum rectores; quod eo magis commendamus, quo facilius nostris hisce temporibus adulterari solet farina triticea, et vinum ex substantiis heterogeneis. Nec ad solam materiæ sinceritatem, sed ad linteamina altaris, et ad sacra indumenta curas extendant, ut omnia decencia et munda sint, et sæpe mutantur, præsertim purificatoria et corporalia, in quibus Corpus Domini nostri Jesu Christi collocatur. Nihil enim indignius, quam apparatu sordido et indecoro Regem gloriæ suscipere, qui est candor lucis æternæ (2).

XIV. Opportunum judicamus in memoriam revocare, ut fideliter observentur hæ Sacræ Rituum Congregationis præscriptiones. In Missa privata illicitum est omnibus Episcopo inferioribus quatuor candelas accensas habere (3), quod tamen intelligendum est ratione personæ; ratione enim solemnitatis, aut Missæ quæ habetur pro parochiali, conventuali etc., licet sine cantu, tolerari possunt plus quam duo candelæ (4), quæ ex cera esse debent, non vero ex alia materia, ut stearina absolute prohibita (5). Candelabra super altari collocari jubentur, numquam vero hinc et hinc parieti, etsi altari fere tangenti, infixæ (6). Illicitum est etiam omnibus quibuscumque Episcopali dignitate non insignitis, duos ministros habere in Missa privata, vel unum cum superpelliceo assistentem ad Missale (7). Duo tamen ministri tolerari possunt non ratione personæ, sed solemnitatis (8). Celebrantes Episcopo inferiores debent per se, et non ope ministri, licet superpelliceo induti, et sacerdotis, Missale aperire, ejusque folia vertere, calicem in sacristia cum hostia præparare, ad altare illud deferre, discooperire, tergere, vinum et aquam infundere, atque post communionem cooperire, et ad sacristiam reportare (9). Et quamvis dicatur quod, ex S. Pii V privilegio, liceat in Hispania ante Missam calicem ad altare deferre et corporalia extendere, hoc ab ipsomet celebrante, vel a clerico in sacris constituto, in casu fieri potest, numquam vero a ministro laico, cui nefas est vasa sacra et corporalia tangere; ideoque prohibemus, ut ipsi hoc numquam permittatur.

(1) Paul. III, Bulla 22, t. 2, § 25. (2) S. Bonavent. opusc. 26.

(3) S. Rit. Congr. pluries. (4) S. Rit. Congr. pluries 12 Sept. 1857.

(5) Id. 16 Sept. 1843. (6) Id. 16 Sept. 1865.

(7) Id. 19 Jul. 1659.—13 Maji 1719 et pluries.

(8) Id. 12 Sept. 1857. (9) Id. 7 Sept. 1816.

XV. Antiquitus fideles inter sacrificium offerebant panem et vinum ex quo Eucharistia conficeretur, et sacrorum ministri alerentur. Hujus oblationis in locum, posterioribus sæculis pecuniam dare consuetum est, non ut consecrationis pretium offeratur, sed ut sacerdos sustentationis suæ stipendium habeat; æquum enim est, ut, qui altari inservit, de altare vivat (1), ideoque hujusmodi stipendium nulla simoniæ labe inficitur, si in illo recipiendo statutæ ab Ecclesia leges inviolabiliter serventur (2). Ad Episcopum Ordinarium pertinet Missarum stipendia, vel eleemosynam determinare pro locorum adjunctis, et præter taxam nemini licet aliquid quovis titulo exigere: si tamen sponte a fidelibus offeratur, illud excipere potest sacerdos. Etiam pro Missis, quæ certis horis celebrari debent, et pœnales vocantur, ratione laboris et molestiæ majus stipendium percipere permittimus, ab Episcopo aprobandum, si de perpetua agatur fundatione seu onere.

XVI. Quum nihil sit quod tam pietatem offendat, immo ab ipsa retrahat sacrificii oblatione, quam illud, quod peccatum grande nimis in veteri hostiarum immolatione appellatur (3), quodque Concilium Tridentinum imprimis execratur, et ab Episcopis omnino eliminandum jubet (4), nempe quidquid est simoniaca labe, vel turpi quæstu infectum, aut non longe abest, uti conditiones, pacta, necnon importunæ atque illiberales eleemosynarum exactiones, potius quam postulationes, Episcopi, auctoritate etiam Apostolica quæ pollent in omnibus ad magnum hoc sacrificium spectantibus (5), abusus exterminent, si quos in hac re deprehenderit, præ oculis habentes Constitutionem Pii Papæ IX *Apostolicæ Sedis*.

XVII. In memoriam denique omnium revocamus decretum Sacræ Congregationis Concilii, quo declaratum fuit, esse mercimonium, ab Episcopis coercendum, bibliopolarum vel mercatorum agendi rationem, qui adhibitis invitamentis et præmiis, vel alio quocumque modo eleemosynas Missarum colligunt, et sacerdotibus quibus celebrandas committunt, non pecuniam, sed libros, aliasve merces rependunt, etiamsi nihil ex eleemosyna imminuatur, et pauperibus sacerdotibus ita subveniatur, vel operi pio applicetur lucrum ex eleemosynarum permutatione haustum. Item ad hoc turpe mercimonium concurrere, qui acceptas a fidelibus, seu piis locis eleemosynas, bibliopolis, mercatoribus, aliisque earum collectoribus tradunt, sive aliquid præmii, sive non, ab eis recipiant, quique ab eis pro Missis celebrandis, libros

(1) 1. Cor. IX, 13. (2) S. Thom. 2.^a 2.^æ Quæst. 100 art. 2 ad 3. (3) 1. Reg. II, 17.

(4) Sess. XXII, decret. *De obs.r. et evitand. in Missæ sacrif.*

(5) Id. id. Ben. XIV, Const. *Accepimus* 16 Jul. 1746.

aliasve merces recipiant, sive harum pretio imminuto sive integro; licere tamen pro Missis celebratis recipere stipendii loco libros vel alias merces, seclusa quavis negotiatione, vel turpis lucri specie (1).

TITULUS III.

De cultu et expositione Smi. Sacramenti.

Quum in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento Dei Filium præsentem adesse credamus, quem Pater æternus, introducens in orbem terrarum, dixit: «et adorent eum omnes angeli Dei» (2), quem magi procidentes adoraverunt (3), quem denique in Galilæa ab apostolis adoratum fuisse Scriptura testatur (4); nullus dubitandi locus relinquitur, quin omnes Christi fideles, pro more in catholica Ecclesia semper recepto, latriæ cultum, qui vero Deo debetur, eidem exhibere debeant (5). Ut ergo vividius incitarentur fideles ad hunc cultum præstandum, accedentes cum fiducia ad thronum gratiæ (6), unde tot tantaque beneficia hominibus distribuere paratus est benignissimus Deus, cujus deliciæ habitare cum filiis hominum (7), quique omnes peramanter ad se invitat dicens: *venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos* (8), publice et solemniter Sanctissima Eucharistia in templis proponi cœpit. Ex quo venerando universalis Ecclesiæ more, uberrimi fructus fervoris, et Deo acceptissimæ devotionis colligi ab omnibus possunt, uti tot sancti, qui nostram illustrarunt regionem percepisse novimus, dum frequentissime ac diutius coram Sanctissimo Sacramento fide pleni et charitate ferventes in oratione perseverabant. Desiderio itaque desideramus hunc Sacratissimæ Eucharistiæ cultum ubique promovere, non tantum ut excitentur fidelium animi ad reverentiam, quæ Dei Filio debetur, præstandam, sed ut merito honore reparentur tot injuriæ ipsi augustissimo Sacramento illatæ ab impiis hominibus, qui satanico ducti spiritu templa Dei polluere, tabernacula profanare, Sacratissimam Hostiam sacrilego ausu in terram dejicere, pedibusque conculcare non reformidant.

Ut tamen omnia rite sancteque in hac re perficiantur, et ne cultus fervorem tepescere, et finem sacræ liturgiæ impediri contingat, sequentia monenda et præcipienda decernimus.

(1) S. Cong. Concil. 9 Sept. 1874. (2) Hebr. I, 6.

(3) Matth. II, ss. (4) Id. XXVIII, 17.

(5) Conc. Trid. sess. XIII, cap. 5. (6) Hebr. VI, 16.

(7) Prov. VIII, 31. (8) Matth. XI, 28.

I. Sacerdotes ministri amantissimi Domini qui in Sanctissimo Sacramento nos diu noctuque expectat, ut venia nos condonet, consolatione reficiat, amoris ulnis amplectatur, in publicis concionibus, in catechetica institutione, in poenitentiae administratione, in privatis quoque colloquiis, fideles ardenti zelo hortentur, atque commoneant, ut quam frequentissime pro rerum suarum conditione possint, ad illum devote visitandum et adorandum concurrant. Absit ut, tepescens animis, ab hominibus deseratur, qui propter homines in altari residet, ut vitam habeant, et abundantius habeant (1). Beatus ille populus, in quo piissima hæc praxis vigeat visitandi augustissimum Sacramentum, tum venerationi publice propositum, tum in tabernaculo reservatum, et adeundi ad hunc thronum gratiæ, ut misericordiam consequatur, et gratiam inveniatur in auxilio opportuno (2).

II. Sciant tamen nihil ipsorum verba profutura, nisi operibus confirmantur, ideoque exemplo præeant. Ministri Christi sunt; ad eum ideo frequentissime accedant, ut illuminentur (3), et tamquam Moyses illuminatam mentem, imo et faciem habeant ex consortio sermonis Dei (4). Pro hominibus constituuntur in iis quæ sunt ad Deum (5); inter vestibulum ergo et altare orantes consistent, ut gratiam et misericordiam omnibus impetrent, vices eorum gerentes, qui, vel necessitate impediti, vel negligentia tepidi, ad adorandum Dominum nunquam vel raro ad templum veniunt. Videantur a fidelibus prope tabernaculum in adoratione humiliter consistentes, et sic facilius trahentur et illi, dum eis dicant: ecce Deus noster; «venite adoremus, et procidamus ante eum: præoccupemus faciem ejus in confessione (6), et hauriamus aquas in gaudio de fontibus Salvatoris» (7). Laudem quidem merentur, et a Domino benedictionem accipient, qui, cum possint, horas canonicas coram Sanctissimo dicunt.

III. Nec ad persolvendum tantum adorationis, gratitudinis, amoris et fiduciæ pensum in frequenti Smi. Sacramenti visitatione, sacerdotes verbo et exemplo populum excitent, sed etiam ore et opere doceant pietatem, religionem, reverentiam ipsi exhibendam in veræ fidei testimonium. Transeuntes, accedentes vel recedentes ab altari ubi Smum. Sacramentum in tabernaculo clausum est, uno genu usque ad solum ducto, flectere debent cum gravitate, reverentia et modestia. Quando vero expositum est, sive in pyxide intra tabernaculum apertum, sive publice in throno, omnes cujuscumque conditionis et gradus ante altare transeuntes, vel ab illo recedentes, utroque genu graviter ac devote genuflectere debent. (8). Curent etiam verbo pariter et

(1) Joann. X, 10. (2) Hebr. IV, 16. (3) Ps. XXVIII, 6. (4) Exod. XXXIV, 29.

(5) Hebr. V, 5. (6) Ps. XCIV, 2. (7) Isai. XII, 3. (8) S. Rit. Cong. 19 Aug. 1691.

exemplo piam praxim commendare detegendi caput, quoties ante fores ecclesiæ transitus fiat, domum Dei reverentes, et augustissimum adorantes Sacramentum.

IV. Duplex ipsius fit expositio; *privata*, seu sacræ pyxidis intra tabernaculum, ejus ostiolo tantum aperto, et *publica*, seu sacræ Hostiæ in ostensorio insertæ, et in throno solemniter exhibitæ (1).

V. Ad privatam quod attinet, justa et rationabilis causa sufficit parochi ad illam faciendam, absque necessitate veniam obtinendi (2); et S. Caroli Borromæi exemplo innitentes, eam clero nostro commendamus fieri, præsertim diebus festis, et in publicis calamitatibus, aliisque fidelis populi necessitatibus. Episcoporum tamen erit instructionem conficere, ut digne peragatur quoad ritum servandum, lumina accendenda, incensum adolendum, et benedictionem in fine cum pyxide dandam, uti permitti posse declaravit nuperrime Sacra Rituum Congregatio (3).

VI. Ad publicam vero, seu solemnem expositionem quod spectat, ne ex ipsius nimia frequentia, nec Dei gloria augeatur, nec fidelium ædificatio fervorque promoveatur, non parochorum judicio relicta est ab Ecclesia, sed episcoporum auctoritati commissum est in unaquaque Diœcesi id statuere quod magis oporteat (4). Meminerint itaque rectores omnes ecclesiarum, etiam regularium, integrum ipsis non esse solemnem hanc Smi. Sacramenti expositionem, cum liberit, peragere, sed tempus, modum et ordinem ab Episcopo præscriptum retinendum esse (5). Si qua autem peculiaris causa in aliqua ecclesia adsit ad expositionem faciendam præter statutos et concessos dies, in unoquoque casu, vel, si ordinaria seu periodica fuerit, in unoquoque anno ab Episcopo petenda erit. (6).

VII. Quum a Summis Pontificibus sæpius commendatam sciamus solemnem expositionem, quæ extremis bachanalibus diebus peragitur et Quadraginta Horarum oratio appellatur, optamus, ut tam laudabile exercitium in omnibus populis, et in pluribus simul ecclesiis, etiam monialium, celebretur, ad gravissimas reparandas injurias quibus divina majestas miserrimis illis diebus offenditur, et ad impetranda cœlestia auxilia, ne fideles tentationis tempore a Domino recedant. Facultatem itaque facimus hanc piam functionem ubique celebrandi, et parochi, ad excitandam devotionem, indulgentias a Summis Pontificibus (7) in eum finem concessas annuntiant. Si pro

(1) Ben. XIV, Instit. XXX. (2) Ben. XIV, Ep. ad Card. Vicar. 27 Jul. 1755.

(3) 16 Januar. 1886. (4) Ben. XIV, Const. *Accepimus* 16 April. 1746.

(5) Id. Const. cit. et Epist. ad Vicar. Cardin. 27 Jul. 1755.

(6) S. Rit. Cong. pluries. (7) Clem. XIII, per dec. S. C. Indulg. 23 Jul. 1765.

locorum adjunctis, vel ob ecclesiarum penuriam per tot horas fieri expositionem difficile evaserit, saltem per aliquod tempus peragatur, vespertinis horis quæ fidelibus commodiores censeantur.

VIII. Decreta S. Sedis, præsertim in diuturna expositione præscribunt, ut altaris imagines tegantur (1), et ea tantummodo toleratur detecta, quæ principalem altaris, utpote eidem dicati, locum occupat, si agatur de festivitate Titularis (2), ita tamen ut præcipuus apparatus et honor semper divinissimo Sacramento tribuatur. Cum ratio harum præscriptionum sit, vitare ut fidelium mentes et oculi in Sanctorum imagines primario fixentur, unde minus attente ac devote Sacratissima Eucharistia adoretur, facile dignoscitur, non solum ab ipso altari expositionis amovenda esse, sed ne quidem prope illud, seu in cornu ejusdem collocari licere.

IX. Non semel a Sacr. Rituum Congregatione præceptum legimus, ne conciones habeantur Sanctissimo Sacramento exposito (3). Volumus ergo, ut sicut aliis in Diœcesibus servatur, in initio sermonis velo obtegatur Smum. Sacramentum, nisi de eodem fuerit sermo, vel de expositione agatur, quæ Quadraginta horarum dicitur, et ut campanulæ sonitu moneatur populus, tam in actu ostensorium occultandi, quam quum post concionem detegatur.

X. Si longiori tempore expositum remaneat, summa diligentia curandum est, ne, uno quidem momento, absque adoratoribus maneat, ad quod præsertim tenentur sacerdotes et clerici omnes, juxta quod statuit Benedictus XIV, scilicet, duos, vel saltem unum superpelliceo indutum in presbyterio, in actu adorandi flexis genibus constanter permanere (4). Si omnino toto tempore adesse nequeant clerici parœciæ adscripti, quos omnes ad id obligatos declaramus, curet ecclesiæ rector, ut duo saltem ex confratribus Smi. Sacramenti adsint, qui numquam tamen prope altare, nec intra presbyterium consistant (5).

XI. Serventur adamussim Rubricæ in omnibus, quæ pro expositione et repositione Smi. Sacramenti præscripta sunt. Amoveri debent tabellæ secretarum ab altari expositionis (6), necnon crux, nisi Missa celebretur: tunc enim uniuscujusque Ecclesiæ consuetudo servari potest (7). In actu, seu functione expositionis cantetur prima strophæ hymni, scilicet, *Pange lingua*; in repositione vero, *Tantum ergo, et Genitori*. Si diuturnior fuerit expositio, post stropham *Pange*

(1) Inst. Clem. § III, n. 3 et 9.—§ IV, n. 1.—S. R. C. 11 Mart. 1871.

(2) S. R. C. 27 Sept. 1828.

(3) S. Rit. Cong. 16 Febr. 1630.—23 Sept. 1837.—Instr. Clement.

(4) Ben. XIV. Inst. XXX. (5) S. R. Congr. 22 Jan. 1876.

(6) Id. 20 Dec. 1864. (7) Ben. XIV. Const. *Accepimus*.—S. Rit. Cong. 14 Maji 1707.

lingua, et versum *Panem de cælo*, ante orationem (si dicatur) dici potest *Dominus vobiscum*. In actu repositionis nequit dici ante nec post orationem, cujus conclusio brevis esse debet (1). Sacerdos, qui in throno collocat, vel inde amovet ostensorium, stola uti debet (2), non tamen humerali velo, tametsi ad posteriorem altaris partem ascendendum sit (3). Benedictio cum Smo. Sacramento in publica expositione semel tantum in die dari potest, in actu repositionis, præmisso hymo et oratione (4), et in actu benedicendi populo, nihil omnino recitari, vel cani permittitur, quavis non obstante consuetudine: nil tamen impedit quominus, non quidem ante, sed statim post benedictionem, pius aliquis concinatur versiculus, patrio licet idiomate (5). Rursum in actu benedictionis thurificatio Smi. Sacramenti minime præscripta est; potest tamen fieri a sacerdote assistente, vel thuriferrario, ubi adest consuetudo (6).

XII. Quo cultus tam augusto mysterio debitus melius conservetur et crescat, impense optamus et volumus, ut per parochos intituantur, vel potius resuscitentur aut accomodatius refoventur confraternitates Smi. Sacramenti, tot indulgentiis a Summis Pontificibus nutritæ et auctæ, quæ venerationis Sacratissimæ Eucharistiæ exhibendæ curam gerant, vel adorando, dum proponitur colendum, vel comitando, dum in processione, aut ad infirmos defertur, vel media subministrando ad honorem tali ac tanto Salvatori dignum, quantum fieri poterit, splendido cultu externo contestandum. Optandum quoque foret, ut in civitatibus, ac in præcipuis oppidis, consociationes instituerentur perpetuæ, vel saltem diuturnæ Smi. Sacramenti adorationis, quæ magno cum pietatis incremento pluribus in diœcesibus statutas esse constat, etiam in nostra provincia. Hoc enim assiduo adorationis studio eveniet ut fideles sibi gratulentur, illud nobis cum cœlitibus commune esse, ut utrique Christum Dominum præsentem habeamus; sed quo uno gradu ab eis distemus, illi præsentem beatam visionem perfruantur, nos præsentem et tamen ab oculorum sensu remotum sacrorum mysteriorum velamine se occultantem, firma et constante fide veneramus, ita tamen, ut aliquando revelata cernere facie, ejusque gloriæ visu beatos futuros esse speremus (7).

XIII. Ad cultum etiam sacratissimæ Eucharistiæ speciali modo persolvendum, constat præterea pie et religiose in Dei Ecclesia

(1) Cærem. Episc. Lib. II, cap. 33, n. 27.—S. R. C. pluries. Nuper 29 Mart. 1861.

(2) S. Rit. Cong. 12 Aug. 1854. (3) S. Rit. Cong. 16 Dec. 1828.—7 Dec. 1844.

(4) Id. Jul. 1857. (5) Id. 16 Mart. 1833.—3 Aug. 1839.—26 Mart. 1859.

(6) Id. 11 Sept. 1847.—7 Dec. 1850.—7 Sept. 1861.

(7) Catech. Rom. p. II, *De Euchar.* cap. 4, n. 36.

inductum fuisse morem, ut, præcelsum hoc et venerabile Sacramentum in processionibus reverenter et honorifice per sacra templa, vel etiam per vias et loca publica circumferatur, quo christiani, singulari ac rara quadam significatione, gratos ac memores testentur animos erga communem Dominum et Redemptorem pro tam ineffabili et plane divino beneficio, quo mortis ejus victoria et thriumphus repræsentatur (1).

XIV. Ne tamen hæ processiones, vel sua frequentia vilescant, vel cæremoniis pro lubitu introductis, solemnitatis magnificentiam obnubilent, institui minime possunt, nisi statutis a jure, vel ab Episcopo tempore et ritu.

XV. Primum locum inter omnes obtinet processio ab Ecclesia præscripta in festo Smi. Corporis Christi. Festum hoc, et processio ubique celebrari oporteret, atque ita optamus fieri, aut proprio solemnissimo ipsius die, aut ejus octava perdurante, quum ab Ecclesia hi dies specialiter ad Smum. Sacramentum solemnè adoratione colendum instituti fuerint. Attamen cum pluribus in locis nequeat illis diebus celebrari, Sacra Rituum Congregatio decrevit, ut ubi processio Smi. Sacramenti in ejus festo die, vel per octavam, ea qua decet solemnè pompa nequiverit haberi, designet Episcopus, pro suo arbitrio et prudentia, unicuique Ecclesiæ aliquam ex sequentibus Dominicis, in qua solemnè illa processio peragi possit (2). Cum vero, ex antiqua saltem consuetudine, jam assignati sint dies ad hoc festum celebrandum, in ipsis fieri confirmamus, quin ad alios transferri possit sine proprii Episcopi licentia. Iis parochis, qui, extra octavam hoc festum celebrant, notum facimus, Missam debere esse de Festo seu Dominica occurrente, cum commemoratione tantum Smi. Sacramenti, nisi indultum apostolicum habeatur celebrandi de eodem augustissimo mysterio (3), quod tamen ab Ordinario concedi nequit.

XVI. Etsi omnes sacræ supplicationes seu processiones singulari pietatis sensu celebrari debeat, tamen splendidiori pompæ apparatu, ac majori religionis et venerationis affectu hæc peragenda est. Itaque parochi, ea appropinquante solemnitate, fidelium animos ad illam sancte celebrandam excitent, eosque admoneant de indulgentiis quæ lucrari possunt, atque hortentur, ut sacramento pœnitentiæ expiati, ad sacram mensam accedant, et assidue in pietatis operibus se exercent, Deo gratias agentes pro ineffabili beneficio, quo in Sacra Eucharistia donati sumus. Servetur adamussim quidquid præscriptum est in Rituali Romano, tam in titulo de processionibus generatim,

(1) Conc. Trid. sess. XXIII, cap. 5. (2) S. Rit. Cong. 8 Mart. 1749.

(3) Id. 10 Sept. 1796.—11 Sept. 1847.

quam in speciali de processioni Smi. Sacramenti, circa ordinem et ornatum præcipue viarum per quas transitura sit supplicatio, atque summo studio vitetur et ammoveatur omne quod turbas excitat, profanum sapit, et a Dei honore abhorret.

XVII. Sanctissimum Sacramentum sub baldachino semper deferri debet (1), et ab ipso celebrante, si processio fiat inmediate post Missam vel officium (2). Omnes tam laici, quam clerici intorticia, seu candelas accensas quatenus id fieri possit, in manibus habeant (3), et summum præseferant religionis sensum, psalmos et hymnos cantantes. «Videant in primis sacerdotes, aliique ecclesiastici ordinis, ut remoto risu, mutuoque colloquio et vago oculorum aspectu, populum etiam ad pie devoteque precandum invitent (4). Toleratur consuetudo immemorabilis in processione pausandi, et Smum. Sacramentum super corporali extenso in altari seu mensa deponendi ad thurificandum, atque elargiendi cum ipso benedictionem, quam non tamen ubicumque altare aliquod exstructum sit dare licet, sed semel aut iterum (5).

XVIII. Præter hanc solemnem processionem, nulla alia cum Sanctissimo Sacramento extra ecclesiam celebrari licet, nisi ex gravi et publica causa ab Episcopo recognita et approbata (6). Intra ecclesiam fieri potest in functionibus, quæ Minervæ appellantur, et quoties licentia elargita sit solemniter exponendi Sanctissimam Eucharistiam.

TITULUS IV.

De cultu Sacratissimi Cordis Jesu.

I. Cultui Smi. Sacramenti jure merito jungamus oportet cultum Sacratissimi Cordis Jesu. Eximium hic cultus locum obtinet inter innumera beneficia, quæ Ecclesiæ contulit cœlestis ipsius sponsus, qui, cum sit mediator Dei et hominum (7), per quem accessum habemus ad Patrem (8), Cor suum dedit in consummationem operum, ipsius cultum in Ecclesia institui et propagari volens, ut omnia traheret ad se ipsum, unde in adorantes Patrem cum ipso et per ipsum in spiritu et veritate, divitias misericordiæ suæ benignus effundat. «Quid enim gratius et acceptius Deo nostro esse poterit, quidque fidelibus magis proficuum, quam quod Sacratissimum Cor Filii sui dilecti, in

(1) S. Rit. Cong. 12 Sept. 1840. (2) Cærem. Episc. lib. II, cap. 33. Rit Rom.

(3) S. Rit. Cong. 22 Maii 1841. (4) Cæremon. Epis. lib. II, cap. 33, n. 4.

(5) Rit. Rom. *De processione*. (6) S. Rit. Cong. 23 Sept. 1820. 26 Mart. 1859.

(7) 1. Tim. II, 5. (8) Ephes. II, 18.

quo sibi bene complacuit, speciali cultu veneremur, qui cum hostiam et oblationem noluit, corpus aptavit Filio suo, in quo Cor ejus offeratur Deo Patri hostia in odorem suavitatis? Deus meus volui, statim humana carne indutus clamavit, et legem tuam in medio Cordis mei» (1).

II. Cultus, et quidem patriæ (2) debetur huic sacratissimo et augustissimo Cordi: pars enim cum sit corporis a Verbo divino assumpti, est vere, ex vi unionis hypostaticæ, Cor ipsius Personæ Verbi. Unde misericordiæ et charitatis infinitæ, qua Christus nos usque in finem dilexit, et quæ impulit eum ut Sanguinem funderet, mortemque pro salute nostra subiret, atque nobis Corpus in cibum, et Sanguinem in potum in Eucharistia relinqueret, et symbolum et organum. Ex illo Corde, lancea in cruce perforato, nata est Ecclesia, manarunt sacramenta, exivimus et nos omnes, qui ex aqua et sanguine inde profluentibus renati sumus per baptismum, et facti sumus de carne et corpore Christi. In hoc Corde inexhaustus est thesaurus misericordiæ, fons perennis gratiarum, et plenitudo bonorum omnium in nos derivandorum, ut in fide stantes, et in charitate radicati et fundati (3) possimus ad Deum accedere, hostes profligare, virtutibus abundare, et ad immarcescibilem gloriæ coronam pervenire.

III. Jam vero, cum ubicumque hic cultus inducitur aut inductus viget, ibi splendere incipiat, aut augeatur et refulgeat amor divinæ Eucharistiæ, quæ vitæ totius spiritualis et fons et centrum est, atque perfectio et robur, ideoque fructus pietatis percipiuntur uberrimi, clarissime apparet, et a nemine negari potest, validissimum et vel maxime opportunum remedium exhiberi per hunc cultum, malis de quibus tantopere dolet piissima mater Ecclesia, quod nempe multorum in cordibus refriguerit charitas, et a pluribus deserta sint sacramenta, nomenque habentes quod vivant, mortui sunt (4). Ætate hac nostra in immensum succrevit superbiæ spiritus, atque inordinatus sui amor: at quomodo stare ista potuerint, si ab omnibus Ecclesiæ filiis divinum illud coleretur Cor, de quo pronuntiavit ipsemet Jesus: «Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde?» (5) Ea propter Pius IX, ven. memoriæ, fidelium omnium pietatem excitare voluit, «ut in plenitudine fidei semper confugiant ad Dominum nostrum Jesum Christum, qui redemit nos Deo in sanguine suo, ejusque dulcissimum Cor, flagrantissimæ erga nos charitatis victimam enixe jugiterque

(1) Conc. Tarracon. Preces ad Ssmum. Patrem Clement. XIII. Pro extensione officii et Missæ sacr. Cord. Jesu, 13 Nov. 1738. (2) Pius VI, Constit. *Auctorem fidei*.

(3) Ephes. III, 17. (4) Apoc. III, 1. (5) Matth. XI, 29.

exorent, ut amoris sui vinculis omnes ad se ipsum trahat, utque omnes homines, sanctissimo suo amore inflammati, secundum Cor ejus ambulent digne Deo per omnia placentes, in omni bono opere fructificantes» (1).

IV. Studeant igitur qui animarum curam gerunt, omnesque verbi divini præcones, huic cultui et piissimæ devotioni tum sibi magis magisque intelligendæ et comparandæ, tum aliis, iis præsertim qui perfectiora æmulantur, aperiendæ et inculcandæ. Nihil in hoc pio opere omittant, præ oculis semper habentes, se eo magis ovibus suis esse profuturos, quo majori arserint charitatis igne erga Cor Domini sanctissimum, ex quo divitiæ gratiæ suæ abundantissime diffluunt in eos qui sui cultum amplectuntur, et sollicite curant ut ab aliis pariter amplectatur.

V. Hanc adhortationem eo promptiore mentis affectu commendamus, quod hæc ipsa civitas velut incunabula fuit in Hispania pulcherrimi illius ac frugiferi cultus, ex qua ad omnes catholicæ nostræ gentis provincias, diœceses, civitates, oppida, et pagos ipsos celerrima diffusionem pervenit, ideoque potiori studio et ardore in ipsa, ac in tota provincia adorandum et amandum est divinum Cor in nos charitate æstuans, ac pietate redundans. Ad hoc hortandum, et ad sacratissimi Cordis cultum toto zelo promovendum, etiam urget nos solemnitas totius provinciæ consecratio illi facta, cujus primus absque dubio fructus, auspice sancta Teresia, est hæc ipsa Provincialis Synodus. Statim enim ac illa peracta fuit, unanimi impulsu permoti, et communi concordans voto de synodo celebranda deliberavimus.

VI. Promoveatur ergo sacratissimi Cordis cultus, ut clerus, spiritu sacerdotali in suo fonte potatus, libentissime se impendat et superimpendat pro animabus (2), et populus spiritu Christi informatus, et ad Cor altum accedens, locum refugii inveniat, ut salvus fiat ab hostium omnium incursione. Doceantur etiam fideles, hunc saluti-ferum cultum in hoc præcipue esse, ut præter adorationem divino Cordi exhibendam, præter frequentes actus ad reparandas injurias Deo illatas directos, præter alia, tum publica, tum privata piæ devotionis exercitia, ad imitandum Christum Jesum animum nostrum convertamus, ut ipso per fidem habitante in cordibus nostris (3), vita etiam ejus manifestetur in carne nostra mortali (4). Sanctissimi enim Cordis illi veri cultores sunt, qui ipsius humilitatem, obedientiam, rerum omnium, et præsertim sui ipsius abnegationem, in omnes sincerissimam charitatem, in Patrem ardentissimum amorem, pro suo

(1) *Encycl. Quanta cura* 8 Dec. 1864.

(2) 2. Cor. XII, 15. (3) Ephes. III, 17. (4) 2 Cor. IV, 11.

modulo, æmulantur, cum ipsemet Jesus cunctos alloquatur dicens: *discite a me* (1); *exemplum enim dedi vobis* (2).

VII. Ut autem hæc omnia ad praxim facilius reducantur, utque devotio erga Smum. Cor Jesu, et erga purissimum Cor B. M. V. magis magisque in dies crescat, optamus in singulis provinciæ nostræ parœciis et regularium ecclesiis, fidelium venerationi exponi imagines sacrorum Cordium Jesu et Mariæ. Concionatores insuper, sacerdotes omnes, sed præcipue parochos, gratitudine pleni et spe ducti hortamur in Domino, ut conatus et labores validos adhibeant ad commendandam, statuendam, fovendam et conservandam, prout fieri possit, in omnibus populis vel confraternitatem sacratissimi Cordis Jesu, vel piam precantium fœderationem, quæ *Apostolatus orationis* dicitur. Utraque, sed postrema præsertim commendatur, et gratiis augeatur a Sanctissimo Domino nostro Leone XIII, tamquam aptissimum et efficacissimum medium, tum ad fidelium pietatem fovendam, tum ad obtinendas a divina clementia gratias, quibus hisce luctuosissimis temporibus tantopere indigent fideles (3).

TITULUS V.

De cultu Beatissimæ Virginis Mariæ, et Sanctorum.

I. Sicut Spiritu Sancto afflante, inclamavit Apostolus Paulus: Regi sæculorum immortalis et invisibilis, soli Deo honor et gloria (4), ita, illo pariter dictante, nos alloquitur Psalmista: laudate Dominum in sanctis ejus (5) quia mirabilis est in illis.—Deum itaque adorantes, sanctos quoque veneremur oportet. Hæc enim sanctorum cum Christo regnantium veneratio, nihil aliud est, nisi cultus Dei mediatum, quippe cujus majestas et benignitatis donum mirifice in iis resplendet, qui conformes facti sunt imaginis Filii ejus (6), quorumque exemplis efficacius adigimur, atque intercessione juvamus ad serviendum Deo viventi, et æternam gloriam promerendam, ut cum ipsis pariter gloriamur.

II. Jam vero inter omnes cœlites, una super omnes eminet beatissima Dei Genitrix Maria, quæ exaltata est super choros angelorum ad cœlestia regna, quamque «in primo instanti suæ Conceptionis, singulari omnipotentis Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Christi Jesu, Salvatoris generis humani, ab omni originalis culpæ labe

(1) Matth. XI, 29. (2) Joann. XIII, 15.

(3) Litt. *Cum a Sodalibus* 30 Martii 1886.

(4) 1. Tim. I, 17. (5) Ps. XC, 1. (6) Rom. VIII, 29.

præservatam immunem» (1) fida fide lætabundi profiteamur, quemadmodum a prioribus Ecclesiæ sæculis gens nostra piisimo amoris sensu professam est, ab Apostolica Sede, in posterioribus, dogma fidei declarari sæpius expostulavit, et publicis solemnitatibus, extractis templis, et piis multiplicatis foundationibus testificata semper fuit.

III. Hanc igitur speciosissimam Virginem, non fortuito inventam, sed a sæculo electam, ab Altissimo præcognitam et sibi præparatam, ab angelis servatam, a patribus præfiguratam, a prophetis promissam (2), cui fecit magna qui potens est (3), quam angelus reverenter salutavit, *Ave gratia plena* (4), de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus (5), et cujus ipse subditus esse voluit, eam matrem agnoscens (6), quamque nobis quoque matrem donavit (7), singulari prorsus amoris obsequio et cultu prosequamur, illique pleno gaudio venerantes jubilemus: est enim unde apud ipsam quodammodo gloriemur (8); quia naturam nostram habet, non aliam (9), gratia plena sibi, superplena est nobis (10), omniaque per eam Deus nos habere voluit (11), per quam in Filio suo abundantius recepimus, quod in Heva tristes perdidimus. Unde sanctissima quoque ipsius destinatio est, ut sit apud Patrem misericordiarum deprecatrix, patrona, advocata, et mediatrix nostra, sentiantque omnes suum juvamen, quicumque implorant maternum ejus patrocinium.

IV. Magno cordis solatio populi nostri avitam religionem erga beatissimam Matrem Dei commendantes, eo ardentius optamus, ne umquam ipsius pietas arescat; sed potius in dies augeatur, quo certius persuasi sumus, uberrimos exinde gratiæ fructus in ipsum esse redundaturos. Omnes itaque fideles nostros vehementer hortamur, ut totis medullis cordium, totis præcordiorum affectibus, et votis omnibus Mariam colere pergant, sicuti patres nostri voluerunt, «atque ad hanc dulcissimam misericordiæ et gratiæ matrem in omnibus periculis, augustiis, necessitatibus, rebusque dubiis ac trepidis, cum omni fiducia confugiant. Nihil enim timendum est, nihilque desperandum ipsa duce, ipsa auspice, ipsa propitia, ipsa protegente, quæ maternum sane in nos gerens animum, nostræque salutis negotia tractans, de universo humano genere est sollicita, et cœli terræque regina a Domino constituta, ac super omnes angelorum choros, sanctorumque ordines exaltata, adstans a dextris Unigeniti Filii sui Domini nostri

(1) Pius IX, Bull. *Ineffabilis* 8 Dec. 1854. (2) S. Bernard. Serm. 1 super *Missus*.

(3) Luc. I, 49. (4) Id. id. 28. (5) Matth. I, 16. (6) Luc. II, 51.

(7) Joann. XIX, 27. (8) S. Thom. a Villan. Conc. 2 de Nativ. Virg.

(9) S. Petr. Damian. Serm. 1 de Nativ. Virg.

(10) S. Bernard. (11) Id. Serm. de Nativ. B. M. V.

Jesu Christi, maternis suis precibus, validissime impetrat, et quod quaerit invenit, ac frustrari non potest (1).

V. Nullo igitur studio, nullo labori parcant parochi, ceterique Dei ministri, ut Bmæ. Virginis Mariæ cultui majora semper incrementa accedant. Festa ipsi sacra per anni decursum redeuntia, omni devotione ac insigni apparatu celebranda curent, et quantum fieri poterit, sacras novemdiales, vel triduanas supplicationes illis præmittantur, quæ et augendo devotionis fervori, et animis ad sacramenta in ipsis suscipienda præparandis summopere conferunt. Solidos et amore pleno sermones habeant de mysteriis, virtutibus et meritis Bmæ. Virginis, atque de venerationis officio et modo, omnes præsertim hortantes, ut imitatores tantæ matris sint ut filii carissimi, unde melius consequantur, ut suos misericordes oculos ad ipsos pientissime convertat, atque tenerrimos erga illam affectus, ceu insigne fidei et innocentiae tutamen jam parvulis instillantes. Nullo enim modo optime colitur Bma. Virgo, quam earum virtutum exercitio, quæ in ipsa resplenderunt; vanaque est religio, quæ virtutibus vacua est.

VI. Probamus, laudamus, et parochis populo docendas commendamus omnes in Ecclesia Catholica usitatas preces, et alia pietatis exercitia, quibus Mater Dei condigno modo publice et privatim colitur, laudatur et invocatur, necnon diversa sodalitia et confraternitates, auctoritate legitima probatas, quæ sub invocatione Beatæ Mariæ Virginis eo fine coaluerunt, vel coalescunt, ut non modo pietas erga illam in cordibus fidelium magis magisque invalescat; sed speciales quoque salutares fines tanta sub protectione facilius obtineantur. Præcipimus tamen, ne quis insolita usque nunc pietatis publica exercitia, sive sodalitia, sine expressa sui Episcopi licentia, introducere audeat. Cavendum enim summopere est, ne prætextu pietatis, aut aliqua indigna exerceatur superstitio, aut mores eo corrumpantur quo corrigi debuissent.

VII. Speciali prorsus modo commendamus, et a parochis ac verbi Dei præconibus commendari volumus piissimum Smi. Rosarii Beatæ Virginis exercitium, tot laudibus ornatum a Smo. in Christo Patre ac Domino Leone XIII, qui repetitis Apostolicis Litteris ac decretis (2), et memoriam facit insignium beneficiorum, quæ in universam Ecclesiam, et in singulos fideles ex hanc sanctissima devotione obvennerunt, et omnes hortatur ad illud frequenter, immo quotidie recitandum, ac præcipit, ut singulis mensis Octobris diebus publice

(1) Pius IX Bulla: *Inneffabilis* 8 Dec. 1854.

(2) *Encycl. Supremi Apostolatus*, 1 Sept. 1883. Litt. in forma brevis, 24 Dec. 1883. *Encycl. Superiori anno*, 30 Aug. 1884. S. Rit. Cong. Decret. Urb. et Orb. 20 Aug. 1885.

dicatur Rosarium in omnibus ecclesiis parochialibus, aliisque Beatæ Virgini dicatis, ad ipsius pientissimæ matris implorandum auxilium in miserrimis his temporibus, quibus tot tantaque mala Ecclesiæ Catholicæ, ejusque Supremo Pastori ingruunt. Probatissima est hæc precandi forma, quæ cum salutatione angelica pie iterata, quasi rosis rosas jungat, rosarii nomen haud immerito tulit. «Rosarii devotione gaudeat indoctus, nec eam aspernatur doctus, humilians se, sicut parvulus, ut major sit in regno cœlorum (1). Omnes autem precum coronam ita texere studeant, ut mentem ad benedictam inter mulieres, et benedictum fructum ventris sui erectam teneant, et mysteria reparationis nostræ, per singulas decades disposita, ac intimo animi sensu recolant» (2), ita tamen ut, et imitentur quod continent, et quod promittunt assequantur.

VIII. Volumus pariter, ac hortamur, ut pius et optimus mos servetur et augeatur, singulari ratione mensem Majum cultui Bmæ. Virginis consecrandi. Hoc in mense, dum jam hiems transiit, et flores apparuerunt in terra nostra (3), dum campis, silvisque decor suum rediit, cœlum ridet, flores florent, animus rerum divinarum amans invitatur ad memoriam Reginæ cœli et terræ, quæ est flos campi et liliium convallium (4), et velut e spinis mollis rosa surrexit acutis, nil quod lædat habens (5). Omnia tamen fiant juxta ordinem ab Episcopo præscriptum, seu probatum pro locorum adjunctis.

IX. Peregrinationes quoque sacras ad Bmæ. Virginis Mariæ celeberrima sanctuaria, ceu pergratum devotionis exercitium, immo et pœnitentiæ documentum, Ecclesiæ suffragio probatum, laudamus ac fovere volumus ita tamen, ut non nisi consulto Episcopo et probante fiant; cujus erit omnia rite ordinare, ut præside parcho, aliove sacerdote, peregrinantium devotio aptissimis dirigatur consiliis, et caveatur omnino ne abusus irrepant, aliæve res inconvenientes agantur quibus fidelium pietas scandalum accipiat, ac impietati adversariorum calumniandi occasio præbeatur. Hoc etiam de omnibus peregrinationibus ad quemcumque pium locum faciendis intelligatur.

X. Cultui illo eximio, quo Reginam angelorum et sanctorum omnium præ ceteris honoramus, accedat pia veneratio aliorum cœlitum, qui adstant ante Deum, et cum Christo regnant in æternum, ut per ipsos gratiam obtineamus apud Dominum, et auxilia opportuna consequamur ad eorum exempla sectanda, atque repromissum præmium a Patre cœlesti promerendum; nam, ut ait Augustinus, multa Deus

(1) Matth. XVIII, 4. (2) Concil. Prov. Vienn. 1858. (3) Cant. II, 12.

(4) Id. id. I. (5) Sedul. Carmen. Pasch. II, 29, 30.

non concedit, nisi mediatoris ac deprecatoris opera et officium accesserint (1).

XI. Foveant parochi, cunctique sacerdotes, in populis cultum et venerationem Sancti Josephi, quem catholicæ Ecclesiæ Patronum ven. mem. Pius IX declaravit (2). Il omnes, quibus sanctum et dulce est Christum adorare, et Mariam celebrare, dulce et sanctum quoque erit illum colere, qui Christi pater putabatur, patris officia Christo exhibuit, cuique Christus in terris subditus erat (3). Ejus patrocinium nos celebrare voluit sancta mater Ecclesia: omnes igitur ad ipsum confugiant oportet, et religioso cultu illum prosequentes, eximias virtutes imitentur. Filius David justus et humilis superbiæ humanæ fastum confundit, et labore manuum suarum, et in sudore vultus sui comedens panem, ac Jesu et Mariæ necessaria procurans, omnibus qui in laboribus versantur et fatigantur, exemplum sit et præsidium. Apud homines quidem faber lignarius dicebatur, sed in cœlis ineffabili fulget gloria, et validissima sua oratione cunctis eum implorantibus spiritualia et temporalia saluti congruentia a Deo impetrat beneficia.

XII. Colant sacerdotes et fideles nostri Sanctum Michaëlem Archangelum, cujus patrocinio indigemus ad prælianda prælia Domini, et inimicorum fidei nostræ, Satanæ ministrorum tela confringenda, quemque quotidie invocari in universa Ecclesia præcepit Smus. Dominus Leo XIII post Missas private celebratas (4). Ille Deo fidem servans in magno cum dracone certamine cœlestem militiam ad victoriam duxit sub gloriosa nominis sui tessera: *Quis sicut Deus*. Ille princeps populi Dei in sacris litteris appellatur (5): ille tutelariorum sanctæ Dei Ecclesiæ, cui semper adjutor fuit, et cui præcipue in illo ultimi discriminis tempore validissimus defensor aderit (6): ille denique animas in Domino morientium Deo repræsentat in lucem sanctam, quam olim Abrahæ promisit et semini ejus. Colant angelos in singulorum custodes datos insidiantibus hostibus ne succumbamus, et ut custodiant nos in omnibus viis nostris (7).

XIII. Speciali ratione a fidelibus nostris honoretur, et invocetur flos ille Carmeli fragrantissimus, Hispaniæ decus, totius provinciæ nostræ, et præsertim Abulensis civitatis ornamentum et gloria, Sancta Teresia a Jesu, quæ animo martyr ab incunabulis extitit, virgo prudentissima semper accensam fidei lampadem habens, quæ virtutum ac scriptorum splendore non Hispaniam tantum, sed totam per

(1) Quæst. 149 in Exod. (2) Decret. S. R. C. 8 Dec. 1870.

(3) Luc. II, 51. (4) Decret. S. Rit. Cong. 16 Januar. 1884.

(5) Dan. XII, 1. (6) Id. id. (7) Ps. XC, 11.

orbem terrarum illustravit Ecclesiam, mulier fortis in Dei opere explendo, supernæ charitatis victima cœlesti jaculo transverberata, cui Christus ipse, data dextera, tamquam veræ sponsæ suum honorem zelandum commisit, cujusque mirabile transverberatum et integerrimum cor quasi spinis circumdatum, Albæ de Tormes ubi gloriosum ei stat sepulchrum, diebus nostris sese exhibet stupore venerandum. Diurna nocturnaue manu ejus opera pervolvantur ab iis quibus in corde est christianam vitam gerere, et in via perfectionis progredi, eamque confidenter invocent; cum enim totius Hispaniarum regni, et nostræ speciatim provinciæ patrona, Dei beneficio habeatur, minime dubitandum est, eam nobis a dilectissimo Sponso Jesu validissima sua oratione gratiam impetraturam, qua corda nostra igne charitatis concremet, et gentes sibi creditas averni ab igne liberet.

XIV. Summa veneratione habeantur ceteri Sancti in provincia nostra nati, qui eam maximis virtutibus illustrarunt, quique per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones (1). Illos indulisit Deus populis nostris, ut in terris essent exemplo et in cœlis patrocínio. Colant pariter illos quorum corpora in nostris venerantur ecclesiis, his sacris pignoribus a Deo ditatis. Eorum gloriam celebrantes, memoria retineamus, ut ad illos imitandos provocemur, quæ Tobias filio suo inculcavit: «filii sanctorum sumus, et vitam illam expectamus quam Deus daturus est his, qui fidem suam numquam mutant ab eo» (2). Nec minori studio hortandi sunt fideles, ut cœlites venerentur, imitentur et invocent, quorum nominibus insigniti sunt, dum per baptismum adoptionem filiorum Dei acceperunt, et quos patronos apud Deum habent.

XV. Summo denique studio curent parochi, ut speciali religione celebretur dies Sancto uniuscujusque populi cœlesti Patrono, vel Ecclesiæ titulari dicatus, ut in memoriam omnium revocentur ipsius excellentissimæ virtutes, quas æmulentur, et beneficia, ipso intercedente accepta, quæ gratitudinem exigunt, ac spem fovent ampliora in futurum accipiendi, si illius protectionem promereri satagant. Ne tamen ex errore delinquant, moneantur a parochis diem Patrono sacrum non esse festivum de præcepto, nisi in Dominicam incidat, vel in generali festorum in utroque colendorum albo recenseatur, nam per decretum Sac. Rit. Congregationis, diei 2 Maji 1867, Patronorum particularium festa abrogata sunt, uti non semel eadem declaravit Sacra Congregatio (3). Caveatur præsertim, ne Sanctorum celebratione, et Reliquiarum visitatione, homines ad commessationes

(1) Hebr. XI, 33. (2) Tob. II, 18.

(3) Sac. Rit. Cong. in Oriolen. 10 Jun. 1870, In Gerund. 9 Sept. 1880.

et ebrietates abutantur, quasi festi dies in honorem Sanctorum, per luxum ac lasciviam agantur (1); sed id semper in fidelium mentes revocetur ut imitari non pigeat, quod celebrare delectat (2).

TITULUS VI.

De Sacris Reliquiis et Imaginibus.

I. Cum Tridentini Concilii Patribus profitemur et docemus, «sanctorum martyrum, et aliorum cum Christo regnantium corpora, quæ viva membra fuerunt Christi, et templum Spiritus Sancti, ab ipso ad æternam vitam suscitanda et glorificanda, a fidelibus veneranda esse, per quæ multa beneficia a Deo hominibus præstantur» (3). Similiter, «imagines Christi, Deiparæ Virginis, et aliorum sanctorum in templis præsertim habendas et retinendas, eisque debitum honorem et venerationem impertiendam, non quod credatur inesse aliqua in iis divinitas vel virtus, propter quam sint colendæ, vel quod ab eis sit aliquid petendum, vel quod fiducia in imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat a gentibus, quæ in idolis spem suam collocabant; sed quoniam honor, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa quæ illæ representant; ita ut per imagines, quas osculamur, et coram quibus caput aperimus et procumbimus, Christum adoremus, et sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur» (4).

II. Et quoniam ab ipso Œcumenico Concilio Episcopis, cæterisque docendi munus curamque sustinentibus mandatur, ut de Reliquiarum honore et legitimo imaginum usu fideles diligenter instruant, parochis aliisque curam animarum moderatoribus inculcamus, ut catholicam de hac re doctrinam sæpius explicant, et præcipue occasione arrepta ex alicujus sacræ Reliquiæ publica expositione, vel sanctorum festivitate, et ad ipsorum imagines venerandas populi concursu. Hæc sana et proficua doctrina iis temporibus, accuratius tradenda est, cum non desint qui, a fide aberrantes, alios pariter in errorem inducere conantur, quique uti superstitiosum, imo et idolatriam sapientem a simplicium cordibus eradicare satagunt piam sanctamque praxim sacras reliquias, imagines, et numismata secum deferendi, vel publice in templo venerandi, vel Bmæ. Virginis et sanctorum patrocinium per ipsas impetrandi.

(1) Conc. Trid. Sess. XXV. Decret. *De invocat. et vener. Sanc.*

(2) S. August. Serm. 47 de Sanctis.

(3) Conc. Trid. loc. cit.

(4) Conc. Trid. sess. XXV. Decret. *De invocat. et venerat. Sanctor.*

III. Ipsiusmet Concilii sapientissimis verbis ad hoc utantur; ait enim: «per historias mysteriorum nostræ redemptionis, picturis, vel aliis similitudinibus expressis, erudiri et confirmari populum in articulis fidei commemorandis et assidue recolendis: tum vero ex omnibus sacris imaginibus magnum fructum percipi, non solum quia admonetur populus beneficiorum et munerum, quæ a Christo sibi collata sunt, sed etiam quia Dei per sanctos miracula et salutaria exempla oculis fidelium subjiciuntur, ut pro iis Deo gratias agant, ad sanctorumque imitationem vitam moresque suos componant, excitenturque ad adorandum ac diligendum Deum, et ad pietatem colendam» (1).

IV. Præterea pro nostro officio sequentia monemus ac præcipimus.

1. Prohibitum omnino est novas reliquias excipere ac venerationi exponere, nisi ab Episcopo recognoscantur et approbentur (2).

2. Ecclesiarum rectoribus inculcamus per amorem sanctorum, quorum gaudemus reliquiis, ut piissima sollicitudine invigilent, ne pretiosa hujusmodi ossa et divinæ protectionis pignora, ullo modo profanentur, aut hominum incuria pereant. Quod si reliquias quasdam, vel earum particulas citra culpam reppererint adeo corruptas, vel apposito carentes sigillo, ut amplius nec publicæ venerationi tuto ac decenter proponi, nec alias digne recondi possint, ad Episcopum deferant, ut quid faciendum sit pro sua auctoritate decernat.

3. Duo extrema vitanda sunt, videlicet, sacras reliquias semper expositas habere, quod nefas est sine luminibus (3), vel eas numquam fidelium venerationi exhibere. Custodiantur ergo in armario interius exteriusque pro dignitate exornato, sera clavique firmato; ac si fieri possit in aliquo Ecclesiæ sacello, vel in sacristia separatim ab aliis rebus ibi custodiendis. Quoad expositionem debitis temporibus faciendam adamussim serventur omnes liturgiæ præscriptiones.

4. Exponi nequeunt in altari ubi publicæ adorationi propositum est Smum. Sacramentum (4), nec publice collocari sub parvo baldachino seu tentoriolo, nisi sint ex Sma. Cruce, aut alio Dominicæ Passionis instrumento (5), neque super tabernaculum sacræ Eucharistiæ, aut ante ipsum (6), sed super gradum altaris inter candelabra. Nequeunt deferri sub baldachino in processione, nisi sint Sanctissimæ Crucis, aut sacrarum Spinarum, quo in casu licet, ubi vigeat

(1) Conc. Trid. sess. XXV. Decret. *De invoc. et venerat. Sanctor.*

(2) Conc. Trid. sess. XXXV. Decret. *De invoc. venerat. et reliquiis Sanctor.*

(3) S. Rit. Congr. 12 Aug. 1854. (4) S. Rit. Congr. 2 Sept. 1741.—19 Maji 1838.

(5) Ex Decret. Clement. XI. (6) S. Rit. Congr. Decret. gen. 21 Mart. 1821.

consuetudo (1). Sacerdos eas deferens discooperto capite incedere debet (2), licetque eas fidelibus osculandas exhibere, iisdemque cum illis benedicere (3).

5. Quoad cultum Reliquiæ Smæ. Crucis sequentia præscripta commemoramus. Non nisi solemniter exponatur in altari, ab eoque retrahatur, adhibita thurificatione, quæ stando, prout cum cæteris reliquiis, fiat (4). Dum in sua custodia post expositionem aut processionem reponitur, fidelibus cum ea benedicatur, quin tamen aliqua interim antiphona, aut oratio canenda sit (5). Dum canonici aut cæteri de clero transeunt ante altare in quo reliquia Smæ. Crucis (quod et de reliquia sacrarum Spinarum dicendum est) clausa custoditur, non genuflectant, sed caput tantum inclinent; at si in altari exposita appareat, honor unius genu submissione eidem adhibeatur (6). Sacerdos dum Missam celebrat in altari, ubi exposita est reliquia Sanctissimæ Crucis, vel sacrarum Spinarum, in accesu et recessu ab altari, et quoties transiit per medium ejusdem, genuflectat (7). Usus gestandi reliquiam Smæ. Crucis, vel sacrarum Spinarum cum velo humerali retineri potest (8). Reliquia Smæ. Crucis simul cum aliis sanctorum in eadem theca nequit haberi (9): si qua ergo ita indebite in aliqua Ecclesia inveniatur, ad Episcopum deferatur, ut necessaria segregatio fiat, et in distincta et propria theca collocetur.

6. Absque facultate ab Episcopo tradita nemini licet thecam ullam, eoque minus capsam in quibus reliquiæ conditæ sunt aperire, neque partem extrahere, aut alteri donare, vel in aliam Ecclesiam transferre, multoque minus vendere sub pœnis prout de jure imponendis (10).

V. Imagines publicæ venerationi exponendæ ex fragili materia minime conficiantur, nec, prius quam benedicantur ab habente facultatem, exponi possunt (11). «Statuit sancta synodus (Tridentina) nemini licere ullo in loco vel Ecclesia, etiam quomodolibet exempta, ullam insolitam ponere vel ponendam curare imaginem nisi ab Episcopo approbata fuerit» (12). Imagines ergo sub nova forma ab Ecclesia non approbata, minime introducantur, et servantur præscriptiones Apostolicæ Sedis (13). Quum vero sanctorum imagines ad hoc ordinandæ

(1) S. Rit. Congr. Decret. gen. 25 Aug. 1752.—27 Mart. 1826.

(2) Id. 23 Jan. 1649.—1 Dec. 1657. (3) Sac. Rit. Congr. 24 Jul. 1683.

(4) Id. 23 Sept. 1837. (5) Id. 18 Febr. 1843. (6) Id. 9 Maji 1746.

(7) Id. 23 Maji 1835. (8) Id. 16 Sept. 1741.

(9) Id. Decret. gen. 27 Maji 1826. (10) S. Congr. Indic. 21 Dec. 1878.

(11) Rit. Rom. et Pontific. Rom. *De Benedict. imagin.*—S. Rit. Congr. 12 Aug. 1856.

(12) Sess. XXV. Decr. *De invocat. et vener. Sanctor.*

(13) S. Rit. Congr. 12 Maji 1877.

sunt ut corda fidelium ad cœlestia erigant, graves, modestæ, devotæ, ac spiritui Sanctæ Matris Ecclesiæ apprime sint congruentes. Moneamus itaque Ecclesiarum rectores, ut novas, quæ comparandæ sint, imagines, non nisi a piis et peritis artificibus confici curent, et ut securius procedant certiores prius faciant Episcopum, eumque consulant. Imagines autem artis et pietatis pretio prorsus destitutas, vel ex non licita materia confectas etiam si gratis, et ex voto offerantur, ut publice in Ecclesia exponantur, minime recipiant; et si ab offerente ægre fertur, rem ad Episcopum deferant. Si qua vero jam inveniantur, quæ religioni, aut honestati repugnent, aut intuentium risum, aut spretum moveant, vel pietatem quavis ratione imminuant, amoveantur, nisi facile concinnari possint. Instauratio autem non a quocumque, sed ab expertissimo tantum artifice fieri curetur. Quæ vetustate, aut alia quavis de causa, ita deturpatæ fuerint, ut instaurari nequeant, neque donentur, neque in usum profanum convertantur, aut in loco indecoro reponantur, sed a sacrista in loco Ecclesiæ contermino comburantur, atque earum cineres in sacrarium projiciantur. Veta-
mus tamen ne inconsulto Episcopo fiat, ad vitandam destructionem illarum imaginum, quæ antiquæ artis christianæ signum præseferant.

VI. Volumus postremo et speramus diligentem adhibendam esse a nostris parochis curam circa sacrarum imaginum vestes. In harum ornatu vitandum et prohibendum est ab ipsis, quidquid nostræ religionis spiritum dedecet, vel prototyporum virtutibus offendat, vel profanum sapiat, vel irrisionibus occasionem præbere possit.

TITULUS VII.

De sacris ritibus.

I. Ecclesia Catholica de sacri sui cultus majestate ac splendore summopere sollicita semper fuit, tum ut per sacros ritus ipsamet fides divina ostenderetur, et summæ in Deum reverentiæ suæ sensus panderet, tum ut immensum, quem possidet thesaurum in sacramentis, ac præcipue in sacratissima Eucharistia, ad quam omnia in religione tendunt, quasi cingeret et ornaret. Cum vero hi sacri ritus ac cæremoniæ ab apostolica traditione ac avita disciplina institutæ magnam christiani populi eruditionem, veræque fidei protestationem contineant, fidelium mentes ad rerum altissimarum contemplationem sustollant, et devotionis etiam igne inflamment (1); idcirco opportunum magnopere erit, eorundem significationem, data occasione

(1) Sixt. V Constit. *Immensa æterni Dei*, 22 Jan. 1582.

populo exponere, uti Tridentina Synodus fieri præcepit de sacrosanctæ Missæ tenore et ritu, de Sacramentorum cæremoniis, deque cæteris aliis catholicæ liturgiæ partibus, ut majori cum reverentia et animi devotione sacris interesse discat (1).

II. Memoria semper retineant sacrorum administri, gravi peccato conscientiam suam maculari, qui receptos Ecclesiæ Catholicæ ritus notabiliter negligeret, pro libito omitteret, et in novos mutaret (2).

III. Parabitur nova Ritualis Romani editio, usui hujus provinciæ accommodata, ut ubique in ea observetur et in omnibus functionibus habeatur opportuna conformitas; sitque tam copiosa, ut non solum ecclesiis omnibus sufficiat, sed et clericis qui illius exemplar præ manibus habere ad se magis magisque instruendos, aliosque docendo exoptent.

TITULUS VIII.

De cantu ecclesiastico et musica.

Quum ad significandos excitandosque animi affectus sonus apte dispositus plurimum conferat, cantus et musica a laudibus divinis numquam abfuerunt. Testantur veteris fœderis libri, in quibus legitur, quod, curribus Pharaonis et exercitu in mare projectis, Moyses et filii Israel carmen cecinerunt Domino (3), et quod in templo Hierosolymitano Levitæ deputati erant, qui Dominum in psalmis laudarent et canticis, in cytharis et cimbalis jubilationis. In novo testamento Apostolus Paulus hoc ipsum commendavit, dum fideles hortatur, ut loquantur sibimetipsis in psalmis et hymnis, et canticis spiritualibus, cantantes et psallentes Domino in cordibus suis (4). Iis inhærens Catholica Ecclesia prout cæteras artes, ita harmoniarum concentum ad laudem Dei, a primis jam sæculis admisit in liturgia sua ad promovendum simul fidelium ædificationem. Sed cum facillime in musica misceantur sacra et profana, caute agendum esse voluit, ut omnia quæ pietatem impedirent, potius quam foverent, omnino eliminarentur. Tridentina quidem Synodus Ordinariis præcipit, ut ab ecclesiis musicas eas, ubi sive organo, sive cantu, lascivum aut impurum aliquid miscetur, arceant (5). Unde Benedictus XIV: «Hoc etiam procul dubio ad Episcopi officium pertinet, ut synodalibus decretis

(1) Conc. Trid. sess. XXII *De Sacrif. Missæ* cap. 8 sess. XXIV cap. 7 *De ref.*

(2) Id. sess. VII *De Sacram. in gen.* can. 13.

(3) Exod. XV, 1. (4) Ephes. V, 19. Coloss. III, 16.

(5) Conc. Trid. sess. XXII. *Decr. De observ. et vitand. in Miss. sacrif.*

ecclesiasticæ musicæ rationem, quatenus in diœcesi sua opus esse cognoverit, ad certas regulas exigat atque componat, ut corda fidelium ad pietatem excitet, non aures solas, sicuti fit in theatris, inani voluptate demulceat (1). Hac ipsa de re constitutionem edidit (2), sicut et alii Summi Pontifices fecerunt (3), et sæpe Sacræ Romanæ Congregationes; novissime autem illa sacrorum Rituum, quæ instructionem splendidissimam dedit Episcopis Italiæ (4),

Ecclesiæ igitur traditionibus, legibusque insistentes, quæ sequuntur monendo et observando decrevimus.

I. Cantus vere et proprie ecclesiasticus est ille, qui firmus dicitur, seu Gregorianus a Sancto Gregorio Magno, qui ejusdem instaurator ac promotor fuit, et de quo fovendo, et rite instaurando datæ sunt litteræ a Summis Pontificibus Pio IX et Domino nostro Leone XIII (5). Hic cantus cultui divino est adaptatus, et ad glorificandum Deum, mentesque sursum fovendas aptissimus, adeo ut illius harmonia, si recta fuerit, castis auribus, cordibus piis maxime conveniat (6). Illum esse omnis cantus ecclesiastici fontem nullo alio supplendum, atque sanctius quid et sublimius spirare, quam omnes illos modos, qui labentibus sæculis in usum venerunt, et musicæ profanæ inservire solent, rerum periti non negant. Adlaborandum itaque omnino est tam ab Episcopis, quam a capitulis, et ab omnibus ecclesiarum rectoribus, ut hujusmodi præstantissimi cantus usus foveatur et restituatur, ita ut omnes abusus et corruptelæ in illius modo et methodo introductæ prorsus et quam citius eliminentur. Hoc ut facilius obtineatur, statuimus imprimis, ut in omnibus seminariis cantus scholæ instituantur vel foveantur, ubi a peritissimis viris in veri cantus gregoriani cognitione et praxi, juxta Smi. Dni. Leonis XIII monita, omnes alumni edoceantur (7): statuimus etiam, ut summa diligentia curent omnes, qui ecclesiis præficiuntur, capitula præsertim cathedralia, ut quidquid minus recte in hac gravissima re inveniatur fieri, quam primum reformetur, ac semper graviter et devote, non vero cursim peragatur, et ad normam apostolicarum præscriptionum ordinetur.

II. Hæc dum statuimus, cantus harmonici seu figurati, utpote a sæculis in ecclesiam introducti, usum minime reprobamus (8). Sed cum nullus certe erit, qui inter cantum sacrum et scenicas

(1) De Synod. Diœc. lib. XI, cap. 7, n. 1. (2) *Annus qui* 19 Febr. 1749.

(3) Alexand. VII, 23 April. 1657. Decr. Innoc. XI, 20 Augusti 1692.

(4) *Ordinat. pro sacr. musica* 24 Sept. 1884.

(5) Brev. 3 Mai. 1873. Brev. 15 Nov. 1878. Decr. S. Rit. Congr. 10 Apr. 1883.

(6) Bened. XIV, *Encycl. Annus, qui hunc* 19 Feb. 1749.

(7) Conc. Trid. sess. XXIII cap. 18. De ref. (8) Bened. XIV *Encycl. cit.*

modulationes discrimen aliquod non desideret, sonosque profanos in ecclesia tolerari non ægre ferat, volumus ac jubemus, ut hujusmodi cantus sit gravis et castus, domui Dei, et laudibus divini apprime accommodatus (1). Nullus itaque cantus musicus umquam admittatur in ecclesiis, qui artis christianæ legibus non conveniat, quique proinde gravitate et decore, puritate et majestate non distinguatur et excellat. Invigilare volumus ecclesiarum rectores, ut huic præscriptioni obediatur, et ne ullæ introducantur modulationes scenicos modos imitantes, vel levitatem mundanam redolentes, vel denique tales, quæ nimio instrumentorum et vocum conclamantium, magis quam concinentium, strepitu, animi distractionem, potius quam ædificationem pietatemque pariant et nutriant. Illud etiam caveri debet omnino, ne fiant verborum divisiones, transpositiones, neque plures, longæque repetitiones, et illud in primis, ne nimia prolixitate sacer concentus protrahatur, cum absque dubio, et ut omnibus compertum est, non modo id ad fidelium devotionem fovendam minime conferat, sed immo haud parum noceat, et fastidio sit. Redeant præsertim cathedralia nostra ad opera illa, quæ ab antiquis ipsarum musicæ magistris concinnata fuere, et quarum thesaurus in suis archiviis servatur, atque ad eorum normam, utpote classicam et vere ecclesiasticam, moderni cantus rectores alia sanctitati et decori divini cultus apprime congruentia conficiant.

III. Similia dicenda sunt de instrumentis musicis ad cantum adhibendis. Per longam sæculorum seriem aliis in musica instrumentis Ecclesia vix usa est, præterquam organo. Quod si præter illum, alia admisceri instrumenta ex ipsius Ecclesiæ indulto libeat, ob oculos habendum est monitum Benedicti XIV, musica scilicet instrumenta adhiberi, «ut cantantium vocem corroborent et sustineant, minime vero ut opprimant et sepeliant, et solummodo ad vim verborum cantui adjiciendum, ut magis magisque audientium mentibus eorum sensus infigatur, commoveanturque fidelium animi ad spiritualium rerum contemplationem, et erga Deum, divinarumque rerum amorem incitentur» (2).

IV. Ipsius organi sonus nec voces cantantium opprimat, nec mentes audientium offendat, ejusque moduli sint incessu graves, melodia casti, ab omni artificii vanitate alieni, divino tandem, quod agitur, officio rectissime convenientes (3).

V. Dum ergo compositiones harmonicas cum organo et instrumentis permittimus, volumus tamen, ut omne vitetur, quod levitatem, nugas sæculares, theatralem sonum sapiat, seu voces et verba

(1) Bened. XIV, Encycl. cit. (2) Encycl. cit. (3) Cærem. Episc. lib. 1. cap. 28 n. 11.

negligendo, mutilando vel premando, sonis tantum alliciat, atque aures titillando sensui lenocinentur (1).

VI. Dominicis Adventus et Quadragesimæ usus instrumentorum in Ecclesia prorsus prohibetur, præter illud quod fagote dicitur ad intonationem secure faciendam usitatum. In Missa, sub elevatione, ipsum quoque organum vel omnino sileat vel graviori et dulciori sono cum omni melodia et suavitate pulsetur (2).

VII. Intra Missam solemnem cantiones omnes in lingua vulgari prohibemus (3). Nihil intra divini sacrificii oblationem canatur, nisi ex ipso Missali, et ex propria diei Missæ desumptum. Post Missam, et in aliis functionibus cantiones admittimus patrio idiomate conditas, dummodo eorum argumentum et melodia vere ædificet, et falsæ, ineptæ, vel profanum sapientes prorsus eliminantur. Immo optandum est, ut iis in functionibus fideles omnes uno ore et corde, in hymnis et canticis religiosis, pios animi affectus ad cœlestia dirigant, eorumque voces adscendant ad thronum gratiæ et misericordiæ.

VIII. Quemadmodum cantus Ecclesiastici scopus plane pessum datur, si eo dirigatur, ut aures tantum inani voluptate demulceat, ita cultus divini majestas, nisi cantores tales sint, qui Ecclesiam non dedeant. Mulierum in cantantium choro Ecclesiæ usu non recipiuntur in sacra liturgia, quia illas, et cultus divini leges, et cantus liturgici dignitas plane arcendas edicunt. Decernimus itaque et mandamus, excludendas prorsus esse ab odeo cantorum. Licitum tantum sit, Missas solemnes, aliasque sacras functiones cantu prosequi monialibus, aliisque foeminis in communitate degentibus. Licebit etiam puelis in minoribus et ruralibus ecclesiis, ubi cantores deficient, et in functionibus ad eas speciatim pertinentibus uti sunt novemdiales filiarum Mariæ, exercitia mensis Mariani, et alia hujusmodi. Parochi invigilent, ne occasione hujus permissionis, aliquis abusus introducatur, et præcipue ne diversi sexus personæ simul concentus musicos peragant.

IX. Laici vero, qui ad officium canendi in Ecclesia admittantur, religiosi sint, ac vitam vere christianam ducentes; tales nimirum qui quod ore cantant, corde credant, et operibus comprobent (4). Proprio autem munere pie decenterque ipsi fungantur, et illius sanctitatem semper præ oculis habeant. «Quid enim beatius, inquit S. Basilius, quam in terra concentum angelorum imitare, et hymnis et canticis creatorem laudare?» (5).

(1) Conc. Trid. sess. XXII. Decr. cit. Cærem. Episc. loc. cit. n. 12.

(2) Cærem. ibid. n. 9 lib. II cap. 8 n. 70. (3) S. R. C. in *Valentina*, 22 Mart. 1862.

(4) Conc. Carthag. IV. Can. 10. (5) Epist. 1, ad Gregor.

TITULUS IX.

De Ecclesiis et Oratoriis.

Deus cujus deliciae sunt esse cum filiis hominum (1), templa sibi extruenda voluit, ubi in augustissimo amoris Sacramento nobiscum sit usque ad consummationem saeculi (2). Templum ergo, utpote tabernaculum Dei cum hominibus ad habitandum cum eis (3), sanctum est, Dei structura est, Dei aedificatio est, domus orationis, in qua omnis qui petit accipit, qui quaerit invenit, et pulsanti aperietur (4). In ea ingressi per baptismum, filii Dei nominamur et sumus (5), Spiritu promissionis Sancto signamur, Deum adoramus, sacratissimam et unice dignam ipsi hostiam offerimus, a peccatis mundamur, pane caelesti reficimur, Dei verba audimus, quibus fides nutritur, spes erigitur, charitas fovetur. In ea tamquam cives sanctorum, et domestici Dei habitare permittimur, et ad caelestium contemplationem vocati, colloquia cum Deo miscemus, ejus dona consecuturi donec in caelesti Hierusalem in perpetuum permansuri ingrediamur et summo nostro bono, Deo scilicet, in aevum perfruamur. Locus ergo iste sanctus est, in quo orat sacerdos pro populo, ideoque eum decet omnis sanctitudo (6), nihilque in eo nisi sanctum, nisi ad pietatem trahens, nisi ad venerationem excitandam idoneum inveniri debet.

Eapropter, ut nostrae provinciae templa, tam ea quae sunt, quam quae in posterum extruenda sint, sanctitatem, decorem, munditiam spirent, iisque sint instructa quae eorum dignitas, Christi religio, et ecclesiastica disciplina requirit, capita quaedam ex decretorum Ecclesiae thesauro delibantes, sequentia proponimus, et ut executioni, quantum fieri possit, religiose mandentur, decernimus.

I. Quamvis Ecclesias et publica oratoria extruere pium et laudabile opus sit, a sacris tamen canonibus statutum est, nemini id licere nisi veniam ab Episcopo in scriptis obtinuerit (7), quae dari nequit, quin prius constet de necessaria dote ab ipso Ordinario praefigenda, prout sufficiens sit ad conservationem, ornatum, et instaurationem, atque pariter comprobetur, nec alicujus juri praejudicium inferri, nec

(1) Prov. VIII, 31. (2) Matth. XXVIII, 20. (3) Apoc. XXI, 1.

(4) Matth. VII, 8. (5) S. Joann. III, 1. (6) Ps. XCII 7.

(7) Can. Nemo 8. De consecr. Can. Ecclesias de cons. cap. *Cum olim de privileg. cap. Auctoritate. De privileg. in 6.*

aliis incommodis occasionem dari (1). Vetitum est similiter jam erecta templa novis constructionibus amplificare vel mutare, nisi præhabita Ordinarii licentia, cujus examini et approbationi subjicienda est novæ Ecclesiæ, oratorii, seu cappellæ adumbratio.

II. Locus pro nova Ecclesia extruenda, quoad fieri possit, editus ac prominens eligatur, uti ab antiquissima traditione, ab Apostolis derivata, commendatur, in memoriam Salvatoris nostri, qui Calvariæ monticulum ascendit ad se ipsum pro omnium salutem immolandum, et ut significetur civitas sancta Ecclesia supra montem posita (2). Oportebit ergo templa, quæ non nisi in plano condi possunt, aliquantum eleventur, ita ut per aliquot gradus, numero quidem impares ad ipsa ascensio fiat.

III. Curandum quoque est, ut a quibuscumque ædificiis aliquantum dissitæ sint Ecclesiæ, ac prorsus separatæ. Quod si rationabili de causa aliter fieri oportet caveatur saltem, ne adjuncta ædificia prospectum et decorem domus Dei impediunt vel offendant.

IV. Architecturæ dispositio eligatur, quæ magis consentanea traditioni ecclesiasticæ, ac arti christianæ censeatur; sed præcipue commendamus, ut Ecclesiæ forma illa sit, ab Apostolorum constitutionibus sacrata (3) quæ crucis, scilicet, in qua salus mundi pependit, speciem quamdam exhibeat, ad representanda orthodoxæ fidei mysteria præ omnibus apta.

V. In delineanda Ecclesia, quatenus locorum dispositione liceat, presbyterium vertatur in orientem, in occidentem porta principalis, ita ut tam sacerdos in altari principali sacrificium offerens, quam assistens populus orientem æquinoctialem respiciant. Sic antiquitus, et, juxta plures auctores, ex apostolico instituto, condebantur templa, ut videlicet, «ad paradysum unde excidimus, antequam patriam et regionem nostram respiciamus, atque Deum oremus, ut ad locum, unde exules ejecti sumus, nos velit restituere (4).

VI. Quod apostolicæ sanctiones cavent, ne scilicet in fornicibus, aut tectis Ecclesiæ vel oratorii alicujus, in quo sacra fiunt, ambulacra sint, vel conclavia ad profanos usus, aut cubicula dormientibus destinata, aut loca ubi columbæ, vel alia altilia alantur, stricte observanda edicimus (5).

VII. Nemini etiam absque apostolico privilegio, ex contigua domo, nisi conventualis vel parochialis sit, januam aut fenestram habere et

(1) Can. 9. De consecr. dist. 1. Can. *Quidam* 10 caus. 18 quæst. 2.

(2) Matth. V, 14, 16, 18, Apoc. XXI, 10. (3) Const. Apost. lib. II, cap. 57.

(4) S. Isidor. De origin. lib. XV, cap. 4. Athanas. ad Antioch. Princ. Quæst. 37.

(5) S. Cong. Episc. et Regul. 26 Jul. 1623.—2 Oct. 1626. Edict. S. Pii V pro urbe
28 Nov. 1572.

aperire licet, quæ in ecclesiam prospectum, aut ingressum præbeat, neque tribunam, seu angusta odea (1).

VIII. Ecclesiarum præsidēs, ac præcipue parochos provocamus, ut domus Dei tamquam sponsæ suæ charissimæ curam gerentes, solerter ac studiose invigilent illius integritati et incolunitati, et ut tectum ac parietes in integro statu conserventur, atque mox instauretur quidquid reparatione indigeat. Semel saltem in anno inspectio fiat tectorum ad reponendas tegulas, quæ ruptæ fuerint, aliasque opportunas instauraciones faciendas in trabibus, in parietibus, in pavimento, ne ex incuria grave obveniat detrimentum, ad quod resarciendum minime sufficiant Ecclesiæ redditus.

IX. In ecclesiis et oratoriis instaurandis caveant, qui illis præpositi sunt, ne quid antiqua architectura immutetur, aut pereat quidquid ad antiquitatem aut historiam pertinet, ideoque, antequam manus admoveant, Episcopum certiores faciant, et optatæ innovationis delineationem ad ipsum deferant, sine cujus licentia nihil in æde sacra sive interius, sive exterius locare aut immutare præsumant. Obtenta vero licentia, in cunctis, vel minimis, approbatæ delineationis insistant, vigilesque videant, ut opus piis mentibus, et manibus peritis credatur.

X. Optandum foret, ut parochi, omnesque sacerdotes solidam archæologiæ ecclesiasticæ peritiam, ac sufficiens de artis christianæ principiis et ministeriis iudicium acquirerent, ne sinistro eorum arbitrio, uti non semel accidit, deficiente siquidem scientia et dexteritate, conservanda tollantur, abolenda retineantur, et instauranda, potius deformata, quam renovata vituperentur. Hac de causa prohibemus, statuam seu tabulam principalem altaris vel quamcumque aliam, etiam sub prætextu novam et meliorem substituendi, a suis locis amoveri absque Episcopi licentia, post visitationem et inspectionem loci et rei, in scriptis concessa.

XI. Parietes interiores ecclesiarum nitidi semper sint, ab omni situ et squalore detergi, et pavimentum a sordibus mundum. Quare jubemus ut illæ semel saltem in anno perpoliantur: hoc semel in hebdomada, vel pluries etiam, si opus fuerit, scopis everratur, et sedilia, altaria, sedes confessionales, omnia denique a pulvere emundentur. Parietes exteriores non sint indecori, neque arboribus, vepribus, fructicibus, hæderis, aliisque id genus obducti, ne quid detrimenti ex iis patiantur Ecclesiæ fundamenta aut muri.

XII. Januæ Ecclesiæ firmissimis valvis, clavibus et forti sera muniantur, et claves fideliter custodiantur. Item ostium turris campanariæ

(1) S. Cong. Episc. et Reg. 17 Julii 1629.—8 Jun. 1646.—3 Oct. 1692.

sera et clavi munita et clausa sit. Fenestræ, nisi quam maxime ab humo elevatæ, clathris seu retibus ferreis muniantur, et vitreis cancellis protegantur.

XIII. Ecclesiarum rectores invigilent ut campanæ semper ordinate, videlicet, debito tempore ac modo pulsentur; ita ut fideles ad sacras quidem functiones vocari possint, eisque opportuna religionis ac pietatis signa præberi; nullatenus vero ipsis, præsertim ægrotantibus, tædium ac molestia afferatur. Nec patiantur, ut dum sacræ functiones in Ecclesia peraguntur, pulsentur campanæ ob alias non religiosas causas, et si dissidium aliquod circa hoc, vel circa alios abusus oriatur, summa prudentia se gerant, et certiores illico Episcopum faciant, ut id agere sua auctoritate possit, quo gravia incommoda et mala vitentur.

XIV. Ad augendam domus Dei majestatem et decorem optandum est, ut saltem insigniores Ecclesiæ parochiales, data opportunitate solemniter consecrentur (1).

XV. Postquam generatim de Ecclesia ediximus, nonnulla etiam circa ejus partes decernenda et monenda opportunum censemus.

XVI. Præcipua Ecclesiæ pars est altare, propter quod et ipsa consecratur Ecclesia, quodque ipsum Christum Dominum repræsentat (2), qui petra est et lapis Ecclesiæ angularis. Deceret igitur omnino, ut quemadmodum majores nostri a sæculo commendarunt, ex integro, et solido et perpolito lapide, saltem altare princeps uniuscujusque Ecclesiæ formaretur. Quod si procurari non possit, tam ipsius majoris, quam aliorum altarium mensæ, quæ noviter erigantur, ad minus lateritiæ sint. Si vero ligneæ fuerint, parieti colligatæ esse debent (3). Nullum in altari fixo armarium aut fenestella aperiatur cum solæ sanctorum reliquiæ subtus illud custodiri possint (4), quod congruenter et ob reverentiam intelligi debet etiam de omnibus altaribus. Minime convenit altaria multiplicare, atque sic locare, ut ecclesiæ pilis seu columnis adhæreant. Nisi superior mensæ pars unius sit petræ consecratæ, in medio illius inseratur ara consecrata, quæ petra altaris, aut altare portatile dicitur, quæ pro altari majore talis esse debet, ut commode præter calicem et patenam, sacra pyxis et ostensorium in occasionibus collocari possint. Tribus mappis seu tobaleis lineis et mundis operiatur mensa, quarum superior ex utroque latere decenter perpendeat usque ad solum, nisi mensa ad instar sepulchri extracta fuerit. Circa angulos nullæ coronides nec ligneæ, nec utcumque pretiosæ ducantur, sed eorum loco apponi poterunt

(1) S. Rit. Cong. 7 Aug. 1875. (2) Pontif. Rom. *De ordinat. subdiac.*

(3) S. Rit. Cong. 10 Nov. 1612.—3 Dec. 1661. (4) Act. Eccles. Mdiol.

fasciæ ex auro vel serico confectæ et variegatæ (1). Pallio autem, quod antependium dicitur, mensæ pars anterior ornari solet, nisi ipsamet particulari formositate picturæ seu sculpturæ alioquin emineat, et quantum fieri poterit, officii colori respondere debet.

XVII. Super gradum mensæ sit inter duo saltem candelabra, et in altari majori semper inter sex, *eminens effigies* sculpta, seu picta, Christi Domini e cruce pendentis, ita collocata, ejusque magnitudinis, ut quemadmodum jubet Benedictus XIV (2), sacerdos celebrans et populus sacrificio assistens *Crucifixum*, non vero crucem solam, facile et commode intueri possint. Reprobamus ergo usum apponendi in ipsa mensa, vel super cartellam, vulgo *sacra*, parvam crucem quæ a populo nequit videri, dum Missa celebratur: *eminens* enim, et omnibus visibilis esse debet (3).

XVIII. Tabernaculum ad asservendam Sacratissimam Eucharistiam sit pro cujusque Ecclesiæ facultatibus affabre elaboratum, eleganterque ornatum conopeo vel saltem cortinula in exteriori parte, intus vero vel deauratum, vel panno serico albi coloris circumvestitum, et in eo candidum sternatur corporale, quod frequenter, alternis saltem mensibus, mutandum erit. Minime vero requiritur ara lapidea consecrata, quæ ad oblationem Sacrosancti sacrificii tantum est necessaria, et de qua in tabernaculo habenda nulla stat liturgica lex. In ipso nihil præter augustissimum Sacramentum reponi licet; non sacra olea, non sanctorum reliquiæ, non calices, non parva pyxis ad viaticum deserviens, aut aliud quidpiam, quantumvis sanctum sacramque videatur (4). Nihil quoque supra tabernaculum præter crucem collocari licet, non imagines, non candelabra, non vasa cum floribus, non denique sacræ reliquiæ cujuscumque sint dignitatis, ne illud sit veluti basis ad alia sustentanda (5). Nequit etiam ante ejusdem ostiolum vas florum, nec quid aliud retineri (6), neque in ipso imagines sculpi aut pingi, nisi Domini Salvatoris, vel sacræ Eucharistiæ allegoriam (7). Ostiolum sit bene firmum, suaque sera et clavi munitum, atque tale, ut sacra pyxis facile ac reverenter introduci ac extrahi possit. Clavis sit argentea, vel saltem deargentata, et duplex, ne, una amissa, fabri ferrarii manus adhiberi necesse sit ad illud aperiendum, semperque sit apud parochum vel rectorem Ecclesiæ, numquam vero apud Sacristam laicum, vel cappellanum assistentem.

(1) Cæremon. Episc. Lib. I, cap. 12, n. 11. (2) Const. *Accepimus*. 16 Jul. 1746.

(3) S. Rit. Cong. 27 Sept. 1822. Decret. Gener. (4) S. Congr. Episc. et Reg. 3 Maj. 1693.

(5) S. R. C. 3 Apr. 1821. Decret. Gener. 2 Maj. 1836.

(6) S. R. C. 22 Jan. 1701.—6 Sept. 1846, (7) Gardell. adnot. ad Decret. Gen. 3 Apr. 1821.

XIX. Baptisterium, quod semper et merito uti ecclesiæ nobilissima pars reputatum fuit, quoad fieri possit, debet esse prope januam majorem templi, in ea ejusdem parte, quæ cornu Evangelii altaris majoris respondet, scilicet in prima cappella ad lævam, vel in eodem loco prope januam in navi ecclesiam laterali. Cancellis occludatur sera munitis, ut omnis vitetur irreverentia, neque accessus pateat, nisi in actu baptismum ministrandi. Fons baptismalis sit marmoreus, vel saltem ex alio lapide polito, et minime poroso, ne aquam persorbeat. Si qui nunc habentur reformandi fuerint, vel noviter alius struendus, in modum pyxidis fiat, et columna pariter lapidea fulciatur, ita ut in cappellæ seu navis medio fixus appareat, neve muro adhæreat. Forma exterior conchæ octangularis sit, ob significationem symbolicam juxta S. Ambrosii monitum. In interiore parte geminum habeat fundum, ut hinc salutaris unda stet, illinc eadem ex infantis capite defluens colligatur, et in sacrarium seu piscinam, infra ipsum fontem statuendam, tramite in subjecta columna et basi recluso demittatur. Fundus ad continendam aquam major sit, nec perforatus; alter minor et foratus. Foramen, expleto baptisate, recludatur, ne ex emanationibus inferioris piscinæ aqua sancta corrumpatur. Fons operculo ligneo vel metallico ipsi bene inhærenti tegatur, ex cujus labro attollatur pyramis ex ligno nucis, vel alio bene picto, in cujus vertice crux affabre elaborata, et deaurata seu depicta, emineat. Pyramis clavi firma muniatur, præsertim si cancelli baptisterii minoris sint altitudinis, ne quis aqua baptismali possit abuti, et clavis in sacristia caute custodiatur. Spatium cancellis clausum tam amplum sit, ut baptizantem, baptizandum, baptizandique susceptores facile et commode contineat.

XX. Ubi fons perforatus sit, vel lapis, ex quo factus est, minime conservet aquam, hæc in pelvi habeatur, quæ metallica sit oportet, et operculo munita, atque in cavitate ipsius fontis collocata.

XXI. Imago S. Joannis Christum baptizantis in pariete baptisterii depicta, vel defixa sit, ut magis augeatur adstantium fides et religio. In pariete etiam adaptetur armarium bipartitum et clavi obseratum, ubi vascula sacrorum oleorum custodiantur in superiori parte; in alia vero cochlear, sal, vestis alba baptizantis imponenda.

XXII. Exedræ, seu sedes confessionales, quæ in aperto Ecclesiæ loco esse debent, tabulis a tergo et ab utroque latere septæ sint (1), et a fronte tantum pateant ita tamen ut volubili ostio seu cancello occludantur. In utroque latere sint fenestellæ, quibus ferreæ laminæ angustis foraminibus pertusæ, firmiter adhæreant. Quæ hodie sunt

(1) S. Carol. Borr. *Instructio fabr. Eccles. De confessionali.*

crates ligneæ seu largis foraminibus interpunctæ, vel reformatur ut supra, vel interius cooperiantur tela metallica. Super illas, a parte poenitentis, oportet aliquam apponere Crucifixi, vel Bmæ. Virginis imaginem ad pios affectus in illius corde excitandos; intus vero, ex parte confessarii, locus in quo scheda casuum reservatorum, et stola violacea servantur (1).

XXIII. Ecclesiæ pars censetur et est sacristia, ideoque de ea etiam peculiaris cura habenda, ut et nitida conservetur. Sit in loco ejus conspicuo crucifixi imago; sit armarium in quo servantur libri præscripti, Missalia scilicet, Rituale romanum, et kalendarium diocesanum. In alio armario, sera et clavi munito, vel si in eodem quo libri, decenter et separatim omnino, custodiantur calices, pyxides, aliaque diurno servitio necessaria. Tabella etiam affigenda est ex juris præcepto (2), in qua legantur onera missarum, et elenchus aliarum functionum statutis diebus celebrandarum. Fiat quoque fossa sat profunda et ampla, quæ, excepto fundo, undique opere lateritio vestita sit, operculo lapideo vel ligneo tuto claudenda, atque ita disposita, ut aqua, qua lavantur purificatoria, corporalia, pallæ, manus quæ tetigerint quidquid a solis sacerdotibus tangi possit, alio non decurrat, sed illic sistat, et in humo insumatur.

XXIV. Permittimus, ut in sacristiis, præsertim amplioribus, sedes quædam confessionalis, crate tamen instructa et commode aptata collocetur, quæ audiendis confessionibus surdorum, senum et infirma valetudine laborantium inserviat.

XXV. Non possumus non impense monere ecclesiarum rectores, ut diebus ac noctibus sit eis fidelissima cura sacristiæ, prout in officium ostiariorum electi moniti fuerunt, et sponderunt. Quæ igitur ceu vigiles domus Dei custodes ab ipsa ecclesia remove non dubitant, eadem quoque a sacristia arceri procurent. Vigilent, ut ibidem, quantum negotia necessaria et ministrorum officia patiuntur, religiosum servetur silentium: unde conventus et confabulationes inservientium, nugasque puerorum, qui, deficientibus clericis, ad ministeria quædam admittuntur, minime tolerabunt, et quoad fieri poterit, præpedient ne populus per sacristiam indiscriminatim adire ecclesiam assuescat, nec ibi morentur qui ad illius ministerium non pertinent.

XXVI. Parochi fideles edoceant quomodo ecclesiam ingredi et in ea potissimum se gerere debeant, scilicet «sit in ecclesiis humilis et devotus ingressus, sit in eis quieta conversatio, Deo grata, inspicientibus placita, quæ considerantes non solum instruat, sed

(1) S. Carol. Borr. *Instructio fabr. Eccles.* De confessionali.

(2) Innoc. XIII, Const. *Nuper*, 23 Nov. 1697.

ædificet» (1). Sacerdotes imprimis sancta sua conversatione, summaque reverentia fidelium pietatem, devotionem et fidem excitent. Absit a domo Dei quicquid irreverentiam præ se ferre, ac loci sanctitatem offendere possit. Prohibeant ne mendici per ecclesiam vagentur elemosynam postulantes (2); ne fiant cachini, colloquia, strepitus, ne canes introducantur, ne inservientes contra honorem aut loco sancto, maxime autem Smo. Sacramento, aut fidelibus debitum delinquant, et ne quid quod ecclesiæ sanctitatem dedecet, in ipsa inducant. Uno verbo, omnia quæ non modo pietatem et religionem lædunt, sed proxime ad eam non tendunt, vel loci dignitati repugnant, ab eo omnino rejiciantur (3). Frequenter igitur fideles alloquantur parochi, atque reverentiam templo Dei exhibendam eis inculcent: mulieribus præsertim insinuent, qua modestia ac decencia, velato capite, juxta Apostoli monitum (4), et ecclesiasticas præscriptiones domum Dei ingredi, in eaque versari debeant.

XXVII. Meminerint sacerdotes verborum quæ quotidie in altari pronuntiant: «Domine, dilexi decorem domus tuæ, et locum habitationis gloriæ tuæ, (5), et quod ore proferunt, operibus comprobent. Nec existiment se officio suo jam satisfecisse, si curæ inservientium omnia relinquunt, eos tantum monentes; sed ut de Nepotiano dicit S. Hieronimus, ipse sint solliciti, si niteat altare, si parietes absque fuligine, si pavimenta tersa, si sacrarium mundum, si vasa sint luculenta (6). Quæ cura sit continua, nec ad solas majores ecclesiæ solemnitates restricta. Cæterum laudabile opus præstabunt fideles si curæ hujus et ipsi participes fuerint. Hortentur etiam, et exemplum, pro suo posse, præbeant sacerdotes, ut religiosa largitate ad decorem templi concurrant, his præsertim temporibus, cum suis bonis expoliatas vident ecclesias, quibus antea ad fabricæ conservationem et cultus divini splendorem utebantur. Filii, filiæque Israël, ad faciendum opus tabernaculi, vestesque sacras, et omnem cultum componendum, mente promptissima ac devota, armillas suas, inaures, annulos et dextrariola, vasa aurea, purpuram, byssum et lapides pretiosos Domino obtulerunt (7).

XXVIII. Ecclesia violatur et polluitur, ideoque sacrosanctum Missæ sacrificium, aliæque ecclesiasticæ functiones in ipsa celebrari nequeunt, nisi prius reconcilietur (8): 1.º Quando in ea sanguis humanus in notabili quantitate, per voluntariam, injuriosam, et graviter

(1) B. Greg. X cap. Decet. *De immunit. eccles.*

(2) S. Pius V, Cons. *Cum primum*. Clem. XI, Edict. 11 Julii 1703.

(3) Conc. Iliberit. can. 35. Carthag. III. (4) 1. Cor. XI, 13. (5) Ps. XXV, 8.

(6) Epitaph. Nepotiani. (7) Exod. XXXV, 21 et seq. (8) De consecr. dis. 1, c. 2.

peccaminosam actionem effunditur (1); 2.^o Quando in ea patratur homicidium voluntarium et injuriosum, etsi sanguis non effundatur (2); 3.^o Quando humanum semen criminosè, voluntarie et notorie in ipsa effunditur (3); 4.^o Quando in ea sepelitur excommunicatus vitandus, aut notorius clerici percussor, aut infidelis, aut in duello occisus (4). Præter hos casus in jure expressos, etsi per sacrilegum facinus detestanda ecclesiæ inferatur injuria, minime tamen ita violata censetur, ut nequeant sacræ peragi functiones, nisi prius reconcilietur. Ad cautelam tamen reconciliari debet, si inservierit stationibus militaribus (5). Reconciliatio, si consecrata fuerit ecclesia, ab Episcopo facienda est, non vero a simplici sacerdote, nisi ex Romani Pontificis expressa delegatione (6): si autem benedicta tantum fuerit, fieri potest a sacerdote ab Episcopo delegato (7), et si urgeat, etiam sine delegatione (8).

XXIX. Oratoria, ad quæ per viam seu aream publicam, sive directe, sive indirecte accessus patet, publica sunt, et privilegiis omnibus, quibus publica donantur, frui possunt, atque ad illa pertinent leges de ecclesiis condendis, conservandis, et instaurandis; ideoque neque ædificari, nec benedici, nec dirui, nec ad profanos usus converti possunt, nisi ex Episcopi licentia (9). Omnia itaque quæ de ecclesiis dicta sunt, de oratoriis publicis intelligantur etiam, et parochi ea frequenter visitent, præsertim cum proximus sit dies, in qua functionem aliquam ibi celebrari oporteat, ut constet an omnia rite habeantur, et vel oportune ordinentur, vel functio solemnis, imo et Missa lecta omittatur, si indecorus inveniatur locus.

XXX. In privatis oratoriis domorum, sine Apostolicæ Sedis facultate, Missa celebrari nequit (10), omnesque servandæ sunt conditiones in Pontificiis litteris pro eorum erectione statutæ. Visitationi Ordinarii subjacent pro eorum approbatione, et quoties indultarii aliam domum incolere instituant, vel de una in aliam domus cellam transferri velint oratorium, ut sciri possit, an omnia juxta rubricas, et

(1) Cap. *Sicut* II. *Nullus* 14. *Ecclesiam* 27. *Ecclesiam* 28. De consecr. dist. I cap. *Ecclesia* 10. De consecr. *Eccles.*

(2) Cap. *Si Ecclesia*. De consecr. eccles. Cap. unic. De eodem tit. in 6.^o

(3) Cap. *Si motum* 19. dist. 5. De consecr. Cap. *Proposuisti* 3. De consecr.

(4) C. *Ecclesiis* 20 dist. 1. De consecr. Cap. *Si ecclesiam unic.* De consecr. eccles in 6.^o C. *sacris* 12 De sepult. Cap. *Consuluisti* 7 De consecr. eccles. (5) S. R. C. 27 Febr. 1847.

(6) Cap. *Aqua* 9. De consecr. eccles. S. R. C. 19 Maj. 1607.

(7) Rit. Rom. S. R. C. 9 Febr. 1608.

(8) Cap. *Si ecclesia* 10. De consecr. eccles. Bened. XIV. De Syn. diœc. lib. XIII, cap. 15 n. 2. (9) Cap. 51. De regulis juris in 6.^o

(10) Conc. Trid. sess. XXII. Decret. *De observ. et evit. in Miss. sacrif.* Bened. XIV Const. *Magno* ad Episc. Polon.

Apostolicum indultum ordinata sint (1). Parochi itaque aliquando inquirant de his, et si quid corrigendum noverint, ad Episcopum referant. Haberi nequeunt oratoria, ubi res domesticæ et profanæ tractantur, sed in cubiculo a domesticis usibus amoto. Nemo, qui Missæ adest in privatis oratoriis, etiam indultariis præsentibus, Ecclesiæ præcepto de ea audienda satisfacit, nisi ex illis sit, quibus in Brevi Apostolico conceditur, ut satisfacere possint (2). De hoc moneantur familiæ a parochis, necnon de prohibitione excipiendi sacramenta Pœnitentiæ et Eucharistiæ, nisi peculiari venia obtenta (3).

TITULUS X.

De sacra et ecclesiastica suppellectili.

Habitaculum Dei vivi ut decenter exornemus sacra Scriptura nos commonet (4). Dignus quippe est Deus noster accipere gloriam et honorem et virtutem (5), ut ei, per quem omnia facta sunt, serviant etiam omnes creaturæ, et ad augendam divini cultus dignitatem omnia conspirent. Ipsemet Deus in priori fœdere Moysi famulo suo manifestare dignatus est quidquid in tabernaculo, cujus exemplar ei monstravit, faciendum volebat, sacrificiorum ritus præscripsit, sacrorum vasorum numerum et materiam, sicut et vestium, quibus tum Summus Pontifex, tum sacerdotes, tum levitæ in ministrando uti debuerint. Quod in umbra, hoc in veritate; unde ab initio, et sequentibus sæculis Ecclesia Catholica sapientissime ordinavit quidquid in offerenda divina Hostia, in sacramentis ministrandis, in omni cultu adhiberi debeat ab Episcopis, a sacerdotibus, et clericis divino ministerio mancipatis, ut per externa adminicula ad rerum divinarum meditationem altius elevemur, atque per visibilia religionis ac pietatis signa in invisibilium amorem rapiamur.

Ut ergo sanctissimæ Ecclesiæ leges ad unguem observentur in omnibus quæ ad Dei gloriam et divini sacrificii honorem spectant, sequentia de sacra suppellectili monenda et statuenda decernimus.

I. Omnis Ecclesia instructa debet esse sacra suppellectili, quæ numero ministrorum, ac sacris in ea celebrandis functionibus congrua sit et sufficiens. Præ omnibus autem vasa sacra, ornamenta, et quidquid in oblatione incruenti sacrificii, in Sacratissimæ Eucharistiæ expositione, et in sacramentorum administratione adhiberi debet, ejusmodi sint oportet, ut divinatorum mysteriorum majestatem commendent, animisque fidelium ingerant æstimationem et reverentiam.

(1) Vid. Ferraris verbo *oratorium* n. 26. (2) S. Congr. Conc. 15 Jul. 1797.

(3) Bened. XIV Const. *Magno* ad Episc. Polon. n. 15. (4) Ps. XXV. (5) Apoc. IV, 11.

II. Quum inter vasa mystica illa sint prima, quæ ad offerendum et consecrandum panem vitæ æternæ et calicem salutis perpetuæ requirantur, tenore Missalis romani et Sac. Rit. Congregationis decretorum declaratur, calices, ad quos omnino patena quoque pertinet, debere esse aurei, vel argentei, aut saltem eorum cuppa et patenæ ex argento intus deaurato (1). Alia quæcumque materia in cuppa vetita est (2), etsi in reliquo ex alio solido metallo conficiantur.

III. Ab Episcopo consecrari debent antequam ad sacrosanctum sacrificium celebrandum adhibeantur; iterumque requiritur consecratio, quando de novo inaurantur (3), vel quando effracta, aut a pede rescissa est cuppa, nisi sit tornatilis; sed abusus est, minime tolerandus, ut quoties vasa sacra artificis opera indigeant, prius quam ei tradantur, per sacerdotem ictu manus vel instrumenti despiciantur, ut consecrationem amisisse, et execrata esse censeatur (4).

IV. Eadem decoris ratio postulat, ut pyxis seu ciborium quoque sit aureum vel argenteum, sed attenda ecclesiarum paupertate, et impiorum hominum avaritia, quæ non reformidat sacra vasa profanare et furare, permittimus, ut ex alio metallo sit intus deaurato, numquam vero ex fragili materia (5). Præter pyxidem in qua Sanctissimum Sacramentum asservatur, alia sit parva, et ex eodem metallo, ad ipsum infirmis ministrandum. Ostensorium, quo major sacra Hostia publice exponitur, habeat lunulam ex auro vel argento inaurato confectam. Illud vero, ob prædictas rationes, nihil obstat quin ex ære, aut stanno, aut *metallo albo* efformetur. In ejus summitate crux visibilis ex præcepto requiritur (6).

V. Pyxis, ostensorium et lunula consecratione non indigent, sed benedictione tantum, quæ fieri potest ab habente facultatem sacra suppellectilia benedicendi.

VI. In memoriam omnium revocare debemus, nemini in sacris non constituto, minus vero non clerico, licere, extra casum necessitatis, aut nisi mediante velo, tangere aut deferre vasa sacra, quæ immediate attingunt Sacram Eucharistiam (7), et similiter dicendum est de corporali, palla et purificatorio, postquam in celebratione adhibiti fuere.

VII. Sacra paramenta, vestes nempe sacerdotales et leviticæ, etsi non pretiosa, uti certissime oporteret, et dolendum quam maxime est non licere ob ecclesiarum paupertatem, non sint lacera, aut scissa,

(1) Missal. Rom. rit. celebr. Miss. I, n. 1. *De defectib. in Miss.* tit. X, n. 1.

(2) S. R. C. 20 Mart. 1875. (3) Id. 14 Jun. 1845. (4) Id. 20 Apr. 1822.

(5) Id. 31 Aug. 1867. Rit. rom. *De SS. Euchar. sacram.*

(6) S. R. C. 11 Sept. 1847. (7) S. R. C. 24 Sept. 1626.

sed integra et decenter munda et pulchra (1). Curent summopere parochi et ecclesiarum rectores, ut pulchriora habeantur saltem pro solemnitatibus majoribus. Etsi enim Ecclesiæ Æterni Regis filiæ decus et gloria sit ab intus, placuit tamen cœlesti sponso, qui ipsam dilexit, et tradidit semetipsum pro ea (2), ut adsit ceu regina a dextris suis in vestitu deaurato circumdata varietate (3).

VIII. In omnibus sint liturgicis præscriptionibus respondentia, quoad formam, materiam et colorem. Ad primam quod attinet, nihil absque Sedis Apostolicæ venia innovare licet, uti approbante Summo Pontifice edixit Sacra Rit. Congregatio (4). Quoad materiam vero, prohibitum est ea confici ex tela lineâ, vel ex gossipio, vel lana, quamvis coloribus præscriptis tincta vel imbuta (5) sed ex pannis sericis, vel argenteis, aliisque juxta probatam consuetudinem, cujus vi tolerantur etiam ex vero auro confectæ (6).

IX. Quæ de colore paramentorum, tum generalibus rubricis (7), tum variis Sacr. Rit. Congregationis decretis sancita sunt, admodum observentur. Paramentis albi, rubri, violacei, viridis, et nigri coloris Ecclesiæ omnes instructæ sint. Cumque eadem Sacra Congregatio iterato edixerit, minime continuari posse usum illarum ecclesiarum, quæ pro coloribus liturgicis, nigro excepto, adhibent paramenta flavi coloris, vel mixtis diversi coloris floribus, sacra indumenta conficiantur ex panno seu textili unius coloris, vel saltem unus color in fundo ita prædominetur, ut facile primarius dignoscatur, et paramenta unius potius quam alterius coloris dici possint (8). Tolerari autem possunt pro tribus coloribus albo, rubro, et viridi quæ revera ex auro sint confecta (9). Cærulei coloris nequeunt adhiberi, nisi ex privilegio apostolico in Missis Immaculatæ Conceptionis Bmæ. Virginis Mariæ (10).

X. Prout in altari ad sacrum pro defunctis faciendum parato, sic etiam in paramentis nigri coloris, cruces albæ, vel mortis imagines, et multo minus ethnicorum signa ullo modo appareant (11). Stemmata gentilitia donantis licet, sed minus decet, apponere in sacris indumentis (12).

XI. Bursa corporalium crucem habeat in parte superiori: manipulus et stola tres, in medio scilicet, et in extremitatibus, cumque in quamplurimis desiderentur, præcipimus, ut quam primum imponantur. Velum

(1) Rubr. Missal. rom. (2) Ephes. V, 25. (3) Ps. XLIV, 10. (4) 21 Aug. 1863.

(5) Id. 23 Sept. 1837.—28 Jul. 1881. (6) 28 Apr. 1866. (7) Rub. Missal. tit. XVIII.

(8) S. R. C. in Vicen. 19 Mart. 1829. In Marsor. 7 Aprilis 1832.—29 Mart. 1851.

(9) S. R. C. 28 April. 1866.

(10) 12 Nov. 1831.—16 Mart. 1833.—23 Febr. 1839.—26 Mart. 1859.

(11) Cœrem. Episc. lib. II, cap. 11, n. 1. (12) S. R. C. 7 Dec. 1844.

debet esse sericum (1) et coloris paramentorum, et tam longe lateque patens, ut calicem ex omni parte tegat, cum quippe sacerdos ad altare procedens calicem velo undique coopertum deferre debeat.

XII. Velum humerale Subdiaconi, in Missa solemnè adhibendum, coloris sit Missæ convenientis; illud vero celebrantis in expositione Smi. Sacramenti, vel in benedictione cum ipso danda, numquam nisi coloris albi sit, prout oportet etiam ut conficiantur vela ciborii, et baldachinum pro deferendo venerabili Sacramento (2).

XIII. Ut porro quod jam ab Ecclesiæ primordiis de reliquis indumentis sacris, et divini sacrificii supellectilibus traditum est, pie custodiatur seu restituatur; ex generalis Sac. Rit. Congregationis decreto statuimus, ut amictus, albæ, corporalia, pallæ, purificatoria et altarium tobaleæ ex lino aut cannabe conficiantur, non autem ex alia quacumque materia, etsi hæc munditie, nitore ac soliditate linum aut cannabem exæquet vel superet. Pauperibus tantum ecclesiis permittimus, ut si quæ ex gossipio habentur, adhiberi possint, sed tantum donec consumantur, quod minime volumus intelligi de corporalibus, pallis, et purificatoriis (3).

XIV. Eadem traditionis continuæ, et mysticæ significationis ratio exigit, ut etiam superpellicea et rocheta, necnon mappa ad dispensationem sacrae communionis destinata, ex lino aut cannabe, quantum fieri possit, conficiantur, seclusis aliis telis cujuscumque generis, quæ vel materiæ vilis sunt, vel profanum ornatum redolent. Tam in his, quam in cæteris ecclesiasticis indumentis nil leve, nil molle, quod ad cogitationes profanas intuentium mentem perducere queat, in signis et figuris apparere debet. Signum crucis amictui in medio insinuandum de præcepto est (4). Ad exornandas albas, reticulata texta minime requiruntur de præcepto; si vero adhibeantur, rubrum vel alterius coloris supponere fundum nullo modo licet (5).

XV. Cingula sint reticulæ lineæ seu cannabinæ et albi coloris; possunt tamen esse serica vel lanea, et coloris paramentorum, sed congruentius linea et alba. Quoniam vero per cingulum significantur funes, et flagella quibus Christus Dominus et ligatus et cæsus fuit, reprobamus ea cingula, quæ non ex funiculis, sed ex panno plus minusve ornato confecta, zonam sive fasciam muliebrem potius quam verum cingulum referunt, ideoque omnino abolenda atque usu exempta declaramus.

(1) Rubr. Missal. tit. I, n. 1.

(2) Cœrem. Ep. lib. I, cap. 14, n. 1. Rit. Rom. *De Sacram. Euchar. S. R. C.* 9 Jul. 1678 in Taggen. (3) Id. Decret. Gen. 18 Maji 1819. (4) Missal Rom. *rit. celebr. Miss. I*, 3.

(5) S. R. C. in una ord. S. Joann. de Deo, 17 Aug. 1833.

XVI. Indumenta sacra lacera et usu trita, quæ instaurari nequeunt, nec in aliud quid ecclesiæ opportunum mutari possunt, ne vendantur, nec in usus profanos convertantur; nam etsi vestes profanæ, ex materia congruenti, ad usum sacrum licite applicari possunt, quoniam quidquid mundani contraxerunt, nova confectione et benedictione abstergitur; e contra sacra indumenta tametsi benedictionem amisserint, in usus profanos converti, nullo pacto Ecclesiæ canones sinunt. Comburantur ergo, et cineres in sacrarium proficiantur. Si vero ratione antiquæ artis christianæ alicujus pretii reputantur, ad Episcopum deferantur, ut quid agendum sit decernat.

XVII. Monemus et obtestamur in Domino ecclesiarum rectores, omnesque sacerdotes, ut sacræ suppellectili asservationi advigilent, eam uti rem Deo sacram revereantur, mysticam harum omnium rerum significationem considerantes, et de illa reficienda vel renovanda, vel augenda, prout divini cultus excelsa dignitas expostulat sint solliciti, et religiosam ipsam sollicitudinem in fidelibus sibi commissis excitare satagant. Denique cum ad sacerdotii dignitatem evecti, ab officio reliquorum ordinum minime exemptos arbitrari se possint, ceu ostiarii agant, quasi rationem Deo reddituri pro iis rebus quæ sub clavibus sibi commissis recluduntur. Cumque subdiaconum inter alia oporteat pallas altaris et corporalia abluere, officii hujus memores, linteamina hæc, itemque purificatoria ipsi, prius in vase quodam nitido ad hoc speciatim disposito, diligenter abluant, et tunc demum piis laicorum manibus lavanda committant.

TITULUS XI.

De cœmeteriis, et ecclesiastica sepultura.

Sancta Dei Ecclesia, quæ nos vis in lucem editos maternis suscipit ulnis, ac per totam vitam sanæ doctrinæ pabulo et sacramentorum virtute fovit ac nutrit in vitam æternam; etiam post obitum piam ac maternam sollicitudinem in nos impendit. Nam firma fide tenens et docens tum carnis resurrectionem et vitam æternam, tum «purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis juvari (1), sancta et salubri cogitatione pro filiis suis defunctis exorat, ut a peccatis soluti, lucis perpetuæ ingrediantur beatitudinem,» corpora autem, quibus tamquam organis et vasis ad omnia bona opera sanctus usus est Spiritus (2) in terra, piis precibus sacrata, tamquam in loco dormitionis, spe gloriosæ resurrectionis condit ac deponit.

(1) Conc. Trid. sess. XXV decret. *De Purgator.* (2) S. August. *De civit. Dei* lib. I, c. 13.

Hanc tamen futuræ resurrectionis expectationem, imo cujusvis futuræ vitæ fidem ex animis tollere, et omnino, si possent, deleri omni ope conantur, qui religionem respuunt; quod ut assequantur, in abolendam cœmeteriorum nostrorum sanctitatem conspirant, ut omnis de medio tollatur distinctio inter eos, qui in pace Ecclesiæ obierunt, et eos qui extra sinum ejusdem. Nec desunt homines dubiæ fidei, vel massonicæ sectæ addicti, qui contendunt, ut ethnicorum usus de hominum cadaveribus comburendis instauretur, atque in hunc finem speciales etiam societates instituunt, ut sensim imminuatur in fidelibus reverentia erga christianam, constantem et solemnibus ritibus ab Ecclesia consecratam consuetudinem fidelium suorum corpora humandi (1).

Nostri est igitur, necnon Cleri totius, etiam hoc in certamine inimicorum tela refringere, ecclesiasticæ disciplinæ integritatem tueri, et populorum fidem et religionem conservare ac promovere.

I. Parochi ideo et concionatores diligenter doceant fideles, quænam sit catholica doctrina de vita futura, de corporum resurrectione, de purgatorio, de efficacia suffragiorum quæ a viventibus fiunt pro defunctis, et demonstrent quantum et quale sit Ecclesiæ jus ea ordinandi quæ ad filiorum suorum funera spectant, et quanta eam injuria afficiat quisquis ausus fuerit ejus leges de ecclesiastica sepultura, deque funeribus celebrandis quomodolibet violare. Doceant etiam quæ sit sanctitudo loci in quo corpora fidelium conduntur, vulgo *Campo santo* dictus, quæque ei reverentia debet adhiberi; illosque opportune moneant, præsertim si sciverint dolosis verbis incautos circumveniri, illicitum esse nomen dare societatibus, quibus propositum est promovere usum comburendi hominum cadavera, et si agatur de societatibus massonicæ sectæ filialibus, incurrere pœnas contra hanc latas; necnon vetitum esse mandare ut sua, aliorumve cadavera comburantur (2).

II. Cœmeterium rite benedictum est locus sacer, ideoque ecclesiasticæ jurisdictioni subjacet, etsi a civili potestate extruatur. Ejus clavis a parochio tenenda est, vel a sacerdote cui cœmeterii cura commissa fuerit, prout non solum sacri canones, sed civilia etiam decreta sæpissime declararunt (3). Muro alto munitum esse debet, ejusque aditus cancellis vel janua firma præcludatur, sera et clavi instructis, ne impiorum hominum flagitiis, aut profanis conventibus, pecorumve pastui pateat. In medio emineat crux, et ubi per facultates liceat, aut locus sufficiat, sacellum ædificetur in quo preces pro defunctis ali-

(1) S. Cong. Suprem. et Univer. Inquis. 19 Mart. 1886.

(2) S. Cong. Suprem. Inquis. Decr. cit. (3) R. O. 18 Mart. 1861 et pluries.

quando fieri possint, et Missæ celebrari. Nisi aliud pro acatholicis extractum fuerit, sit in ipso locus distinctus et non benedictus, muro, aut sepe, aut saltem effosione a parte benedicta separatus, ubi sepeliantur non baptizati, et omnes quibus sepultura ecclesiastica deneganda sit.

III. Quum ecclesiastica sepultura sit aliquid sacrum, jus declarandi quibus danda vel deneganda sit, tum quoad locum, tum quoad ritum, ad Ecclesiæ potestatem pertinet. «Sacris est canonibus institutum, ut quibus non communicavimus vivis, non communicemus defunctis, et ut careant ecclesiastica sepultura, qui prius erant ab ecclesiastica unitate præcisi, nec in articulo mortis Ecclesiæ reconciliati fuerint» (1).

IV. Tam quoad locum, quam quoad ritum seu funerale officium, non est deneganda nisi in sequentibus casibus, et quidem minime dubiis.

1. Infidelibus quibuscumque, et pueris absque baptismo defunctis. — 2. Hæreticis, et nominatim excommunicatis, qui contumaces usque ad mortem permanserint. — 3. Iis qui pertinaciter et notorie respuerunt Ecclesiæ Sacramenta in supremo morbo. — 4. Morientibus in actu evidenter criminoso, quin signa pœnitentiæ dederint. — 5. Iis qui se ipsos occiderunt, si probabilis non habeatur ratio ad hunc desperationis actum amentia abreptos fuisse. — 6. Iis qui in duello certantes occiderunt, vel ex vulnere in certamine accepto, etiamsi confessi et reconciliati fuerint prout mandavit Benedictus XIV, *sublata Episcopis interpretandi, et dispensandi facultate* (2). — 7. Concupinariis publicis, quales sunt qui civili tantum consortio copulati vixerunt, meretricibus publice notis, usurariis infamatis, de quorum pœnitentia non constat.

V. Quoad ceteros peccatores publicos, qui catholicam fidem professi, non positive confiteri renuerunt, et improvisa morte oppressi sunt, cum possit præsumi eos fuisse contritos et voluisse confiteri, non videtur denegandam esse ecclesiasticam sepulturam.

VI. Stante dubio an suicida mente compos fuerit, an impos, in loco sacro sepeliatur, seclusis tamen, propter scandalum, solitis funerum ritibus. Si tandem dubium occurrat, num quis semetipsum interfecerit, an casu, vel violenta manu percussus obierit, favendum est defuncto, cum in dubio delictum tam grave de nemine præsumi debeat (3). Similiter in ceteris casibus, cum in dubio odia sint restringenda, magis indulgentiæ, quam severitati consulendum est, præsertim quoad locum. Ut recte ac tuto procedant parochi rem ad

(1) Cap. *De Sepulturis*. (2) Constit. *Detestabilem* 10 Nov. 1753.

(3) Cap. II, *De Sepulturis*.

Episcopum vel ad Vicarium Generalem deferant, et si urgeat, ad Archipresbyterum occurrant.

VII. Si vero sepulturam indigni in loco sacro nullo modo impedire possent ob violentiam factam, vel turbas excitatas, caveant primum parochi ne quid dicant, vel faciant, quo et ipsi ullo modo connivere videantur; deinde ad Episcopum negotium deferant, ut quid faciendum sit pro sua prudentia et auctoritate decernat. Si antequam responsionem accipiant, necesse fuerit aliquem humari, ejus locus seu fovea peculiariter benedicatur formula in Rituali præscripta.

VIII. In funeribus celebrandis servetur omne ipsius Ritualis Romani præscriptum, et quidquid in Synodalibus Constitutionibus ordinetur, omnesque preces, quibus pia mater Ecclesia vult ut juventur omnes filii ejus, adhibeantur etiam in pauperum funeribus, quos sine illis humari nullo modo tolerandum est, quique a parochis gratis et honeste sepeliendi sunt.

IX. Feretris laicorum, qui aliqua dignitate civili, vel militari honestati fuerunt, ejusdem dignitatis signa apponi licet. Signa vero cujuslibet societatis ab Ecclesia damnatæ, ulli feretro imponi, omnino interdiciamus. Si vero in ipso, vel in comitatu exhibeantur, Clerus statim recedat.

X. In omnibus locis in quibus christianus usus servatur associandi cadavera, volumus ut parochi illum sartum tectum retineant; ubi vero in desuetudinem abiit, zelanter adlaborent ut instauretur, et omnia peragantur quæ in Rituali Romano præscripta sunt, ne quasi pagano more fidelium cadavera absque redemptionis signo præeunte, et sacerdotibus vel sacerdote saltem orante, ad cœmeterium deducantur. Hortentur fideles, instent parochi, et si a civili potestate defunctorum corpora in ecclesiam duci non videtur, oportet, ut ad valvas saltem parochialis templi illa deferantur ad officium prout in Rituali peragendum, vel ut parochus cum clericis in ipsa defuncti domo hoc officium super cadaver persolvat.

XI. Curent etiam parochi ut mundana pompa a funeribus arceatur, et fidelibus commendent ab ea abstinere, etsi solemnes voluerint exequias. Ad ea attendatur, quæ vera suffragia constituunt, non ad quæ vanitatem et inutilem faustum redolent. Omnes hortentur ut cuncta charitatis officia erga defunctos exhibeant, sancta enim et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur (1), et ad cœlestem patriam quam primum perveniant, ubi pro vivis ardentissimo charitatis affectu constanter exhorabunt, ut ipsorum societati tandem aggregentur.

(1) 2 Machab. XII, 46.



PARS QUINTA.

DE PERFECTIÖNE CLERICI.

TITULUS I.

De vita et honestate clericorum.

Duo professus est clerus, clericatum et sanctitatem (1). A die ergo qua, in sortem Domini vocati, comas capitis deponentes, et sæcularem habitum exuentes, diximus; «Dominus pars hæreditatis meæ et calicis mei» (2); et a Pontifice audivimus: «Induat te Dominus novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia, et sanctitate veritatis» (3), ad sanctitatem et perfectionem vitæ omni conatu assequendam vocavit nos benignissimus Deus, qui elegit nos, ut simus ei (4), et ut simus sancti et immaculati in conspectu ejus in charitate (5), et ut eamus, et fructum afferamus, et fructus noster maneat (6). Ex tunc auribus nostris intonuit Deus: Dii estis, et filii Excelsi omnes (7): Sancti eritis, quia ego sanctus sum. (8).

Hæc meditantes omnes de clero, et gratias agentes Deo Patri, per quem vocati sunt in societatem Jesu Christi Filii ejus (9), et ut legationem fungantur pro Christo (10), sic vitam omnem componant, ut conformes facti imaginis Filii Dei (11) omnibus possint dicere:

(1) S. August. serm. I, *De communi vita cleric.* (2) Ps. XV, 5.

(3) Pontif. Rom. *De Cleric. faciendo.* (4) Deut VII. 6. (5) Ephes. I, 4.

(6) Joann. XV, 16. (7) Ps. LXXXI, 6. (8) I. Petr. I, 16.

(9) I. Cor. I, 9. (10) 2, Cor. V, 20. (11) Rom. VIII, 29.

imitatores mei estote, sicut et ego Christi (1). Non enim tantum de propria salute consequenda ipsis agendum est, sed et de aliorum, ad quos missi sunt, et de quibus Deo rationem sunt reddituri. Unde ait Tridentina Synodus, Spiritu Sancto ducta. «Nihil est quod alios magis ad pietatem, et Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita et exemplum, qui se divino ministerio dedicarunt. Cum enim a rebus sæculi in altiorem sublatis locum conspiciantur; in eos, tamquam in speculum reliqui oculos conjiciunt, ex iisque sumunt quod imitentur» (2).

«Sed si ullum fuit tempus, quo opus fuerit, ut clerici vitam integram deducerent ac sanctam, neque solum a malo, sed etiam ab omni specie mali remotissimam, ac præcellenti fulgerent scientia et disciplina, hoc est profecto, quo, cum ob leges in Ecclesiæ perniciem conditas, sacerdotum numerus imminutus sit, ipsi duplicare operam suam, et excellenti sedulitate, studio ac devotione exiguam copiam compensare obligantur» (3).

Jam vero cum ad propositam sanctitatem obtinendam, duo requirantur juxta Davidis, et Principis Apostolorum verba: «Diverte a malo, et fac bonum» (4), ex debito officii nostri, quid fugiendum, quid agendum, ad sacrorum canonum normam, etsi ab omnibus jam sciatur, in memoriam revocare, et vehementer commendare intendimus.

I. Non ea tantum quæ mala sunt, sed et omnem speciem mali, cunctaque malo ansam præbentia, vel quæ fidelibus offensionem esse possunt, vel sacrum ministerium a suis ministeriis rite sancteque fungendis, quæque virum gravem ac sacerdotii dignitatem non decent, fugienda sunt ab iis, qui in sortem Domini vocati sunt. Unde Tridentina Synodus gravissimis verbis præcipit «ut quæ alias a Summis Ponticibus, et a sacris conciliis de clericorum vita, honestate, cultu, doctrinaque ac simul de luxu, comessationibus, choreis, aleis, lusi- bus ac quibuscumque criminibus, necnon sæcularibus negotiis fugiendis, copiose et salubriter sancita fuerunt, eadem in posterum, iisdemque pœnis, et majoribus, arbitrio Ordinarii imponendis, observentur; et si quæ forte remissa fuisse contigerit, ea per ipsos Ordinarios quam primum in usum revocentur, ne subditorum neglectæ emendationis ipsi condignas, Deo vindice, pœnas persolvant» (5).

II. Duplici quidem ratione hæc vult et præcipit piissima mater Ecclesia; tum scilicet ut sanctitati consulat eorum, qui ipsius sunt

(1) 1, Cor. IV, 16. (2) Sess. XXII, cap. I, De ref.

(3) Leo XIII, Encycl. *Etsi nos*. 15 Febr. 1882.

(4) Ps. XXIII, 15. I, Petr. III, 11. (5) Conc. Trid. sess. XXII, cap. I, De ref.

nobiliiores filii, nolens illos reprobos fieri dum aliis prædicant (1), tum ut populi saluti prospiciat, cum clericorum vita liber sit laicorum qui in illos oculos conjiciunt (2).

III. Unde inquit Chrysostomus: «Neutiquam occultari possunt sacerdotum vitia, sed etiam exigua cito conspicua sunt. Quemadmodum ipsorum præclara gesta multis prosunt ad simile studium evocantia, sit et eorum vitia alios ad virtutum exercitia segniores efficiunt, et ad bonorum operum laborem torpere faciunt» (3); et S. Gregorius: «Nemo quippe in Ecclesia nocet amplius, quam qui perverse agens nomen vel ordinem sanctitatis habet. Delinquentem enim hunc nemo arguere præsumit et in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reverentia ordinis peccator honoratur» (4).

IV. Memores itaque promissionis Deo solemniter factæ de vita cœlibi et virginali castimonia, quæ proprium et angelicum est ordinis sacerdotalis ornamentum, quidquid cœlesti huic virtuti nocere potest cautissimi fugiant. A frequentiori consortio mulierum, etiam earum, quæ pietatis et modestiæ laude non immerito potiuntur abstineant.

V. Ut ut enim castitas servari queat in mulierum consortio, rarum tamen bonum nomen retineri potest (5). Ne idcirco vel levem scandalum, aut sinistrae suspicionis occasionem præbeant, illam S. Bonaventuræ regulam sequantur: cum feminis, non exceptis eis ingenuis ac verecundis, sermonem brevem et rigidum esse habendum (6), neque sub proprio tecto eas recipiant sine testibus, ne specie quidem salutaria monita tradendi (7): Cum non possint sibi famulos adsciscere, quod maxime optandum foret pro re domestica procuranda, ancillas quadraginta annis minores nullatenus habeant, easque bene probatas, fama integras, et pietate commendatas (8); et quas domi habeant, etsi propinquas et consanguineas, si mala fama laborare cœperint, eas nequaquam retineant.

VI. Mensæ cum inservientibus non assideant, in earum cubiculo, vel ubi rebus domesticis vacant, absque necessitate non morentur: cum illis publice non ambulent, dummodo de nimia ætate, et maxima propinquitate tales sint, et talis ab omnibus habeantur, quæ nullum vel remotum dent mali suspicandi locum; nec illas denique, etsi consanguineas, sinant quidquam agere quod domum sacerdotalem non

(1) I, Cor. IX, 27. (2) S. Hieron. Epist. ad Eliodor.

(3) *De sacerdotibus*. libr. III, cap. 4. n. 14.

(4) Pastoral. lib. I, cap. 2. Can. *Nemo* 2. Dist. 83 cap. 14.

(5) Conc. prov. Camerac. (1563) tit. 8, n. 3.

(6) *De Puritate consc.* cap. 14. (7) *C. Clerici* 20 *Volumus* 24 Dist. 81.

(8) *Cap. A nobis* 9 de cobabit. Cler. et mulier. *C. Volumus* can. *Oportet* can. *Fœmina* dist. 81.

plenissime deceat, aut negotiorum ecclesiasticorum ordinem perturbet.

VII. Caveant, ii præsertim qui curam animarum gerunt, ne mulieres, etsi propinquæ, ingrediantur absque imperiosa necessitate cubiculum, ubi de rebus ac negotiis ad ministerium pertinentibus agitur, sive ubi de iis scripta, adnotationes, vel libri asservantur nec eas coram laicis de istiusmodi rebus colloquium habere patiantur. Actum est de auctoritate parochi, quem sui a mulieris imperiosa voluntate pendere autumant (1).

VIII. Continentiæ ac pudicitiaë socia et custos est temperantia; illius vero et omnis sanctitatis inimici crapula et ebrietas (2). Frugali itaque mensa utantur clerici, et in frequentandis laicorum conviviis cauti et parci sint. Vehementer omnes hortamur, ut ab adeundis conviviis nuptialibus, vel baptismalibus, et cœna apud laicos, præsertim vero cum in multam noctem protrahitur, pro posse abstineant (3), Multum deorsum trahimur, dum sæcularibus continuo admiscemur, et facile contemnitur clericus, qui sæpe vocatus ad prandium, ire numquam recusat (4); et si sobrietas desit, sacerdos spiritum sanctitatis extinguit (5).

IX. Cauponas et tabernas, et apothecas vulgo *cafés* sine necessitate nec itinere ingrediantur. Si necessitate compulsi ingrediantur, brevissime commorentur, et tantummodo dum necessitati subveniunt, ac maxima gravitate ac modestia se gerant. Prohibemus, ne eas ingrediantur quæ in propria vel vicinis parœciis sint, nisi ministerii causa adire necesse fuerit.

X. Publicis in locis nulli, ne honesto quidem ludo dent operam: ludis vero aleatoriis ne, uti spectatores quidem, assistant (6). Quod si aliquando animi remittendi, et amicitiaë fovendæ gratia, domi inter se, vel aliquo sibi in socium adscito laico bonæ famæ, ludis vacent, quibus magis industriaë et ingenio, quam fortunæ seu sorti sit locus (cæteri enim etiam privatim interdicuntur) caveant, ne ultra duas horas protrahatur ludus, et longius in illis tempus insumant, quod multo nobilioribus deberetur officiis. Notabilem pecuniæ summam in ludo apponere, nefas est clericis, qui sive in alendis pauperibus, sive in aliis charitatis et pietatis operibus, si quid ipsis superest, impendere debent, et uti docet Angelicus Doctor, «ludus congruat personæ,

(1) Conc. Vienn. 1858. (2) Cap. *Ante omnia* Dist. 35.

(3) Cap. *A crapula* De vit. et honest. Cleric.

(4) S. Hieron. Epist. *ad Nepotian.* 15. (5) S. Petr. Chrysolog. serm. 26.

(6) Can. *Episcopus* Dist. 36 cap. *Clerici officia.* De vit. et honest. cler. Bened. XIV. *De Synodo diœc.* lib. XI, cap. 10.

tempori et loco, et secundum alias circumstantias debite ordinetur, ut scilicet sit tempore et homine dignus» (1).

XI. Clericos qui propter Christum spectaculum facti sunt mundo et angelis et hominibus (2), omnino dedecet illuc adire, quo optandum esset maxime ne ipsi adirent laici. Prohibemus, itaque ne publicis spectaculis, pompis et choreis intersint, ne se cœtibus illis commisceant, ubi amatoria et lubrica agantur, vel canantur, nec in publicis theatris actionibus scœnicis cujuscumque generis assistant. Hoc etiam expresse statuimus de taurorum agitationibus, juxta Pontificias præscriptiones (3). Si qui vero clericalis honestatis immemores prædictis assistere fuerint ausi, ad sacrorum canonum normam a proprio animadvertantur Episcopo.

XII. Profecto optandum esset, ut clerici, animarum venatione contenti, quæ illis est propria, a cæteris omnino abstinerent; et sacri quidem canones vetant, gravissimis etiam pœnis propositis, venationem, quæ magno fiat cum apparatu et clamore (4). Licitas vero, et quietas venationes, quæ ad relaxandum animum fieri solent, toleramus, dummodo clericalia insignia non deponant clerici, atque diebus festis, et jejuniis ac pœnitentiæ sacris, ab illis abstineant, et numquam sint ipsis gravi ac diuturnæ occupationi, potius quam brevi levique recreationi.

XIII. Curas et tutelas clerici suscipere nequeunt absque licentia (5), neque medicam artem exercere sine indulto apostolico (6), neque procuratoris, advocati, tabellionis, notarii munus ad sæculare tribunal exercere (7), neque munus aliquod publicum, licet gratuitum et honorificum, et ne privatum quidem, quod, ut expleatur et multo egeat tempore, et magna corporis et animi defatigatione (8). Artes vero serviles aut mechanicas exercere, a sacris canonibus clericis omnino prohibitum est (9). Abstineant se quoque clerici a mercatibus et nundinis frequentandis; id enim qui faciunt, si non negotiandi, certe otiandi causa faciunt, horum utrumque improbandum præter cetera, quia gravem præbent populo scandali occasionem sive habitum deponant, sive cum illo accedant.

(1) 2.^a 2.^a Quæst. 168 art. 2. (2) 1. Cor. IV, 9.

(3) S. Pius V. *De salute gregis*, 17 Sept. 1567.—Greg. XIII, *Exponi nobis*, 1 Nov. 1575.

(4) Can. *Episcopus 1 Omnibus*, 2 De Cleric. venatore.—Conc. Lat. IV, can. 15.—Conc. Trid. sess. XXIV, cap. 12. De ref.

(5) Cap. *Ciprianus* can. 21, 9, 3.—C. fin. Dist. 88.

(6) Ben. XIV. De synod. lib. XIII, cap. 10, n. 11 et seq.

(7) C. *Quamquam* q. 2, *Clericis* De cleric. nec monachi.

(8) C. un. De oblig. et ration.—C. *Sed nec* 4 De cler. vel monach.

(9) S. Alph. de Lig. *Theolog. mor.* lib. IV, n. 189.

XIV. Avaro nihil est scelestius; nihil iniquius quam amare pecuniam; hic enim et animam suam venalem habet (1). Nec quidquam est quod fidelium fiduciam in clericum tantopere minuatur, quam inordinata ipsius habendi cupido. Ideo vel speciem quidem avaritiæ clerici omnes summo declinent studio. Vana est illorum excusatio, qui sollicitudinem in posterum allegant, cum ignorent quid erit in crastino (2), et memorari debent quid dictum fuerit diviti congerenti: «stulte, hac nocte animam tuam repetent a te; quæ autem parasti cujus erunt? (3) Sciant etiam non immunes esse immisericordiæ labe, qui futuras, ac proinde imaginarias suas necessitates, præsentibus membrorum Christi indigentis anteponunt.

XV. Cum autem Apostolus dicat: «nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus (4), Benedicti XIV et Clementis XIII auctoritate innixi, prohibemus nequis clericus emptione et venditione quæstum cujusvis generis exercere præsumat. Graviter peccant enim qui negotiationem cujuslibet nominis ac generis, vel per se, vel per alios exercent, aut quin in ea exercenda laicis se socios adsciscunt, vel qui opera publica sive suo, sive alieno nomine conducunt, et in reluctantes Episcopi pœnas constituere debent (5). Quod si qua oriatur dubitatio de aliquo contractu, an clerico licitus sit, Sacræ Congregationis Concilii sententia erit expetenda, atque accurate servanda (6).

XVI. Ordinis sui memores, quo possunt studio fugere debent homines leves, in quibus nihil singularis pietatis, et christianæ virtutis elucet; multo vero magis illos, quorum vita scelerata in vulgus nota sit, nisi zelo illos lucrandi ducantur, et spes effulgeat emendationis eorum.

XVII. Ne apud se libros, neve pagellas, neque ephemerides habeant aut legant, quorum lectione bene agendi studium, morum disciplina, et timor charitasque Dei languescere possint: minus autem illos, quorum auctores regno Dei et Christi bellum indixerunt; nam inde venenum paulatim haurire, et ipsos bonos, licet non indoctos, quotidiana experientia compertum est. Quod si, necessitatis vel charitatis causa, aliquando ad adversariorum libros lectionem convertere debent, ita se gerant, ne sibi afferant periculum, neu fidelibus scandalum occasionem præbeant. Qui illiusmodi ephemeridibus nomen dat, aut eas publice emit vel legit, etiamsi nullo periculo in legendo obviaret (quod non ita facile putamus) duplici se culpa obstringit, id est, inobedientiæ erga Ecclesiam et scandalum, atque sua pecunia ad mali diffusionem concursus præstat.

(1) Eccli. X, 9, 10. (2) Jacob. IV, 14. (3) Luc. XII, 20. (4) 2 Tim. II, 4.

(5) Bened. XIV. Const. *Apostolicæ servitutis* 25 1741 Clem. XIII. Const. *Cum primum* 17 Sept. 1759. (6) Bened. XIV. De Syn. diœc. lib. X, cap. 6, n. 3.

TITULUS II.

De clericali habitu et tonsura.

Ea semper fuit mens Ecclesiæ et disciplinæ ratio, prout ex Pontificali Romano apparet, ut ii quibus habitus sacræ religionis imponitur, ignominiam sæcularis habitus se deposuisse palam profiteantur, et signis etiam externis clerici dignoscantur (1). Habitus quidem non facit monachum; decencia tamen habitus extrinseci morum honestatem intrinsecam ostendit (2), Scriptura testante quæ ait: «amictus corporis, et risus dentium et ingressus hominis enuntiant de illo» (3). Unde Sacrosancta Tridentina Synodus puniendos per Episcopos, et quidem gravissimis pœnis, decernit illos, qui «honestum habitum clericalem, illorum ordini et dignitati congruentem, et juxta ipsius Episcopi ordinationes et mandatum non detulerint» (4). Jam vero «fere omnia quæ post Tridentinum celebrata sunt concilia, clericos adegerunt ad gerendam vestem talarem nigri coloris, quæ quidem unice clericorum propria, eorumque ordini maxime conveniens est» (5).

I. Præcipimus ergo clericis omnibus, iis præcipue qui sacris ordinibus sunt insigniti, vel ecclesiastico beneficio aucti, ut vestes talares nigri coloris adhibeant semper, saltem dum in civitatibus et oppidis, etiam parvis versantur. Quoniam vero ex nonnullorum locorum, adjunctis, fortasse aliquid dispensari oporteat, Episcoporum prudenti arbitrio relinquitur, id in sua Diœcesi decernere, quod atentis ipsius circumstantiis, magis expedire in Domino judicaverint. Illud tamen stricte jubemus, ut talari veste induti sint semper sacerdotes, omnesque clerici ad ecclesiam accedentes, et quoties etiam extra illam ritualement quamcumque actionem obituri sint. Quidquid mundanum redolet, omnino debitent tam in materia, quam in forma: luxum et exquisitam elegantiam constanter fugiant; simplicitati et modestiæ indulgentes, munditiem ac decenciam procurent, sancti Bernardi monitum considerantes «talia debent esse vestimenta servorum Dei, in quibus nihil possit notari novitatis, nihil superfluitatis, nihil vanitatis, nihil quod pertineat ad superbiam et vanam gloriam» (6).

II. Clerici omnes tonsuram, quam coronam vocant, gerere debent, eamque conspicuam et ad formam unicuique ordini congruam. Profecto enim indigni essent regali sacerdotio, qui venerandum hoc illius

(1) Pontif. Rom. *De cleric. faciendo*. (2) Conc. Trid. sess. XIV, cap. 6. De ref.

(3) Eccl. XIX, 27. (4) Conc. Trid. loc. cit.

(5) Ben. XIV. De syn. diœc. lib. VI, cap. 8 et 9. (6) *De modo bene vivendi* cap. 9.

signum erubescerent. Capillis simplicem prorsus atque modestum cultum adhibeant, atque comam minime nutriant (1). Illa autem fictitia, vel in casu necessitatis in Ecclesia non utantur, nisi obtenta dispensatione (2), quin tamen quidquam leve aut inane illa præseferat. Hæc vero lex de clericorum habitu et tonsura omnes clericos pertingit, si canonis et fori privilegii perfrui velint (3).

III. Eam negligentes, et indebite incedentes pœnas a Clemente V impositas incurrunt (4), nec possunt «beneficiorum fructus facere suos, quos proinde percipere non valent, sed perceptos, ante omnem iudicis sententiam, sub pœna lethalis culpæ, in subsidium pauperum, vel commodum fabricæ ecclesiarum, in quibus beneficia sunt constituta, erogare debent, a quo onere nemo, nisi Romanus Pontifex, (vel Cardinalis pœnitentiarius) in casibus occultis absolvere potest» (5).

TITULUS III.

De vitæ sanctimonia a clericis sectanda.

I. Qui a Deo vocati tamquam Aaron, ad subdiaconatus ordinem admissi fuerunt, et Ecclesiæ ministerio perpetuo mancipati, quique per altiores gradus provecti Sacerdotes facti sunt, irrevocabilem Dei militiam professi, ejusque indelebili caractere insigniti proprium et præstantia sua singularem statum adepti sunt, quo a cæteris fidelibus distinguuntur. Magna certe dignitas quam omnes Ecclesiæ Patres mirantes, summis laudibus extulerunt. Super omnia enim celebria jactæ sunt divinæ in Ecclesia sortes sacerdotum, qui typum Domini in puribus habentes, Christi possessio sunt, primogeniti Ecclesiæ, in quibus flos ejus gratior, et ætas perfectior; mysteriorum latentium præsules, qui, invisibili quadam vi animam in melius transformatam gerunt, qui a Dominatore universæ terræ receperunt supremum dominium, et a diebus sæculi non solum hominibus, immo et angelicis spiritibus plane inauditum (6).

II. E dignitatis ergo sublimitate sanctimoniam sublimitas qua sacerdotii ministri fulgere debent, metienda est. Cum enim augentur dona, rationes etiam crescunt donorum (7). Majorem equidem, sanctioremque, quam a fidelibus virtutem et sanctitatem postulat ipse Deus,

(1) C. *Prohibere* 21. — *Clericis* 22. — *Non licet* 23 Dist. 23.

(2) Ben. XIV, Inst. XXXIV et XCVI. (3) Conc. Trid. sess. XXIII, cap. 6 De re.

(4) Const. *Quoniam*. Conc. Trid. Sess. XIV, Cap. 6 de Ref.

(5) Ben XIII. Const. *Catholicæ Ecclesiæ*. n. 5.

(6) S. Ephrem. *De sacerdotio*. (7) S. Greg. Magn. Hom. 9. in Evangelia.

qui eos tantopere sublimavit, nec minorem certe, sed ampliorem quam a veteris fœderis sacerdotibus, de quibus ad Moysen locutus est Dominus dicens: «Loquere ad sacerdotes, et dices ad eos; sancti erunt Deo suo.... incensum enim et panes Dei sui offerunt.... sint ergo sancti, quia ego sanctus sum, Dominus qui sanctifico eos» (1). Sancti Deo suo, id est, Deo dicati, Deo sacri, utpote segregati a peccatoribus, ut sint ei, et non sibi vivant, sed ei qui eos vocavit. Dicant ergo, et quod verbis proferunt, operibus demostrent: ego non sum de hoc mundo, renuntiavit cor meum. Ecce relinquimus omnia (2): quid enim mihi est in cœlo et a te quid volui super terram? Omnia arbitror ut stercora ut Christum lucrifaciam (3) Deus cordis mei; pars mea Deus in æternum (4).

III. Sancti, quia ego sanctus sum, ait Dominus; id est, imitatores mei estote sicut filii carissimi (5), a peccato immunes, Deo omnino et unice adherentes, et imagini Filii ejus conformes (6), ut et vita Jesu manifestetur in corporibus suis (7), omnesque hortari possint dicentes cum Apostolo Paulo: «imitatores mei estote, sicut et ego Christi» (8).

IV. Hæc continuo et assidue meditantes cuncti de Clero omnibus virtutibus præcellere satagant, ut sint vere lux mundi, et sal terræ (9), et sic eos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei (10) in multa patientia... in charitate, in scientia, in longanimitate, in suavitate, in Spiritu Sancto, in charitate non ficta (11). Propriæ dignitatis, et ab ea requisitæ sanctitatis tanto certius Dei ministri memores sint oportet, quanto fortius hodierni Ecclesiæ hostes, et divinæ sacerdotii missioni obluctantes, et ex culpa sacerdotum vel levissima innumera calumniandi prætexta lubentes sibi confingunt. Tales ergo sint, ut qui ex adverso est, vereatur nihil habens malum dicere de nobis (12). Una enim sanctitas vitæ, cujus quidem splendor ac nitor nulla obscuretur macula; hæc una tantum poterit nobis, cum populi amorem atque æstimationem comparare, tum de cœlo impetrare virtutem quæ strenue prælio Domini possimus decertare, dum tam atrox bellum in Ecclesiam commotum est, atque inexplebili odio totus Ecclesiasticus ordo ad extremum quodammodo exitium ab inimicis crucis Christi designatur.

V. Fidem, totius sanctitatis radicem et fundamentum, non tantum firmissimam habeant sacerdotes, omnesque clerici, atque profiteantur et prædicent; sed assidue foveant ac nutriant, ut non solum

(1) Levit. XXI, 1, 8. (2) Matth. XIX, 27. (3) Philip. III, 8. (4) Ps. LXXII, 25.

(5) Ephes. V, 1. (6) Rom. VIII, 29. (7) 2. Cor. IV, 10. (8) 1 Cor. IV, 16.

(9) Matth. V, 13, 14. (10) 1 Cor. IV, 1. (11) 2 Cor. VI, 4, 6. (12) Tit. II, 4.

sit fides mentis, sed cordis, et quod ore credunt, corde retineant, et opere compleant (1), per charitatem quæ diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis (2). Et quoniam justus ex fide vivit (3), ambulent coram Deo, et sint perfecti (4), atque eorum oculi sint semper ad Dominum (5), ad quem accedentes illuminentur (6), et abundant in omne opus bonum (7).

VI. Deum in omnibus et super omnia diligant ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, ex totis viribus (8); plenitudo enim legis est dilectio (9), quæ est honorabilis sapientia (10) et consummata justitia (11). Bonorum omnium summa Deus est; ipse est nobis summum bonum; ideoque neque infra remanendum nobis est, neque ultra quærendum: alterum enim periculosum, alterum nullum est (12).

VII. Hæc ut facilius consequantur, meditationi et humili orationi quam frequenter incumbant. Oratio enim, et meditatio vitæ spiritualis nutrimentum sunt, unde ait Bernardus, «primum quidem ipsum fontem suum, id est, mentem de qua oritur, purificat consideratio; deinde regit affectus, dirigit actus, corrigit excessus, componit mores, vitam honestat et ordinat» (13). Christum imitentur qui erat pernoctans in oratione Dei (14), et apostolos qui dixerunt; «nos orationi, et ministerio verbi instantes erimus» (15). Quod dicunt quotidie, id faciant, ne ex ore suo judicentur. Dicunt enim: meditabor in mandatis tuis quæ dilexi (16); testimonia tua et lex tua meditatio mea est» (17). Qui orationem mentalem negligunt, neque illam verbis conceptam rite persolvere sufficiunt: vix enim fieri potest, ut verborum labiis efformatorum sensui cogitatio et affectus respondeat, nisi cœlestia ponderare assidua meditatione assueverimus.

VIII. Meditationis præcipua materia quærat in vita et passione Domini Nostri Jesu Christi. «*Hæc est*, ait, ipse ad Patrem, *vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum*» (18). Ast, quomodo cognoscent eum sacerdotes, qui divina mysteria cursim pertractantes nec meditatores, assimilentur homini consideranti vultum nativitatis suæ in speculo? Consideravit enim se, et abiit, et statim oblitus est qualis fuerit (19). Quomodo non orantes, gratiam assequantur per quam detur illis Christum habitare per fidem in cordibus suis, in charitate radicati et fundati (20)? Imagini filii Dei conformes fieri debemus; qui dixit nobis: «discite a me (21), exemplum

(1) Pontif. Rom. (2) Rom. V, 5. (3) Id. I, 17. (4) Gen. XVII, 1. (5) Ps. XXIV, 15.
(6) Id. XXXIII, 6. (7) 2. Cor. IX, 8. (8) Marc. XII, 30. (9) Rom. XIII, 10.
(10) Eccl. I, 14. (11) Sap. XV, 3. (12) S. August. *De Moribus Eccl. Cathol.* cap. 8.
(13) S. Bernard. *De considerat.* lib. I, cap. 7. (14) Luc. VI, 12.
(15) Act. Apost. VI, 4. (16) Ps. CXVIII, 47. (17) Id. 24, 77.
(18) Joann. XVIII, 3. (19) Jacob. I, 23. (20) Ephes. III, 17. (21) Matth. XI, 29.

enim dedi vobis» (1): discamus ergo meditantes, ut omnia sua corde retineamus, et in ipso tamquam palmites in vite per fidem et charitatem manentes, multum fructum afferamus (2). «Oratio igitur et meditatio nobiscum surgat, transeat nobiscum in labore diurno, adsit in domo Dei, vigiletque in cubiculo; vespere nos a sordibus mundet, somno cedentibus claudat oculos, semperque habitet nobiscum; ut simus tamquam lignum, quod plantatum est secus decursum aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo (3).

IX. Sed assiduæ orationes et obsecrationes adjungendæ sunt piæ meditationi. Quod enim omnibus dixit Dominus, sibi specialiter dictum reputare debent sacerdotes: «oportet semper orare, et numquam deficere» (4). «Sacerdos, ait S. Petrus Chrysologus, ante Dominum stat jugiter, versatur inter altaria semper, neque a Dei oculis recedit umquam; peccatorum causas, dolores populi suscipit, offert; ingerit preces, accipit, refert, restituit impetrata, ex homine totus in angelum substitutus» (5).

X. Attende lectioni, ait Apostolus (6): lectio vero præcipue a sacerdotibus æstimanda et agenda est, quam canones commendant. Sciant igitur sacerdotes Scripturas Sacras et Canones, ait concilium Toletanum IV (7). «Vaca lectioni divinæ in meditatione Scripturarum; verba sunt doctoris nostri S. Isidori: vaca in lege Dei: habeto in divinis lectionibus frequentiam; assiduitas lectionis sit tibi; lectio enim docet quod caveas, lectio ostendit quod teneas, quo tendas, quo sensus et intellectus augetur; multum proficis cum legis, si tamen facis quod legis (8). «Imprimis ergo legant, et devote legant clerici omnes Sacram Scripturam; nam omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia (9). Libros quoque spirituales secum habeant, de quibus ajebat Chrysostomus: «ubicumque fuerint libri spirituales, illinc omnis expellitur vis diaboli» (10). Nec obliviscantur vitas sanctorum perlegere, ex quibus hauriant quid vero ecclesiastico sectandum vel fugiendum sit, quæque fidelibus exempla, ut pie sancteque vivant, proponere debeant.

XI. Non desinant Smum. Sacramentum frequentissime fervideque invisere. Illius ministri sunt; ad illum adorandum accedant, qui propter nimiam charitatem suam qua dilexit eos, et vocavit, ut pro eo legatione fungantur, in ipsa ordinatione dixit eis: jam non dicant

(1) Joann. XIII, 15. (2) Id. XV, 5.

(3) *Memoriale vitæ sacerdotalis* cap. 38. Ps. I, 2, 3. (4) Luc. VIII, 1.

(5) Serm. 26. *De fideli dispensatore*. (6) I. Tim. III, 16. (7) Can. 25.

(8) *De contemptu sæculi*.—*De lectione*. (9) Tim. IV, 13. (10) Conc. 3. *De Lazaro*.

vos servos sed amicos meos (1). Ad divinum veniant amicum colloquendum, qui expectans, diu noctuque expectat nos, nec ullam habet amaritudinem conversatio illius (2).

XII. Singulari cordis affectu colant clerici Smam. Virginem Mariam, amantissimam matrem nostram, cleri Reginam et gloriam sacerdotum, quam qui invenerit, inveniet vitam et hauriet salutem a Domino (3). Eam imitando colentes, et in ejus cultu propagando assidui, quotidie ejus patrocinium implorent, Sanctissimum ipsius Rosarium cum suis domesticis devote recitando.

XIII. Hæc omnia absque dubio commendat quilibet sacerdos animarum zelo succensus, illarumque sanctificationis amator, cunctis fidelibus, iis præsertim, qui christianum piisque vivendi morem gerunt, et frequenter ad sacramenta accedunt. Quæ illis utilia prædicant, sibi necessaria reputent; ad majorem enim perfectionem tenentur, illisque sint in exemplum et stimulum, in propriis moribus ostendentes copiosos virtutum fructus, quos indubie percipient.

XIV. Utinam iis præstantissimis auxiliis utentes Sacerdotes et Clerici omnes, dirigantur viæ illorum ad custodiendas justificationes Domini! Utinam ita vivant, prout eos qui quotidie communicandi desiderium panderent, ipsi vivere juberent! Neminem enim fugere potest, justissimam hanc legem esse, et ex suo ipsius ore judicandum, qui eam sequi nolit cum quotidie ad sacram mensam accedat. Sed quoniam sumus homines mortales, fragiles lutea vasa portantes, quotidie labimur, et in multis offendimus omnes (4). Benedictus tamen Deus, qui non amovet misericordiam suam a nobis (5), dum enim præcipit et ait: «mundamini qui fertis vasa Domini» (6), voluit ut prope sit fons patens domui David in ablutionem peccatoris (7). Ad eam accedant Sacerdotes Domini ut mudentur ab omnibus inquinamentis suis, ut sint nitidi, mundi, puri, casti (8), ac purum et immaculatum ministerii sui donum custodiant (9), et non polluant nomen et mensam Domini. Tridentina Synodus decrevit, ut alumni militiæ sacræ adscribendi singulis saltem mensibus confiteantur. Si hoc *adscribendis* intimatur, nonne juxta Ecclesiæ mentem, qui jam adscripti sunt, frequentius faciant oportet? Ardentissime ergo optamus, ut omnes unaquaque hebdomada, vel saltem bis in mense, vere compuncti peccata sua confiteantur, ut dignius ad altare ascendant, et hauriant aquas in gaudio de fontibus Salvatoris (10).

(1) Joann. XV, 15. (2) Sap. VIII, 16. (3) Prov. VIII, 35. (4) Jacob. III, 2.

(5) Ps. LXV, 20. 2 Machab. VI, 16. (6) Isai. LII, 11. 2. Cor. VI, 17.

(7) Zachar. XIII, 1. (8) Pontif. Rom. *in ordinatione Diaconi*.

(9) Id. *in ordinat. Presbyt.* (10) Isai. XII, 3.

XV. Sacerdotes et clericos omnes, quos in visceribus Jesu Christi diligimus, de hoc gaudentes, et gratias agentes Deo, quod religionis spiritu probe animatos illos agnoscimus, iterum, iterumque obtestamur et obsecramus, ut in finem perseverantes crescant quotidie per omnia in illum, qui est caput Christus (1) meliora æmulantes charismata (2) ut sint perfecti et integri in nullo deficientes (3), et impleantur in omnem plenitudinem Dei (4). Quæ paterna charitate monenda duximus, meditentur et compleant, atque sanctimoniam sui ordinis, propriam sectandam, conservandam et augendam sedulam operam adhibere nunquam intermittant. «Neminem enim latet, ajebat venerabilis memoriae Pius IX, quantopere Ecclesiam hisce præsertim temporibus, intersit idoneos habere ministros, qui vitæ sanctitate, et salutaris doctrinæ laude præstantes, ac potentes in opere et sermone, valeant Dei ejusque Ecclesiam sanctam causam strenue tueri, et ædificare Domino domum fidelem» (5).

TITULUS IV.

De Sacrosancti Missæ Sacrificii celebratione et Divini Officii recitatione.

Ex hominibus assumpti, et pro hominibus constituti in iis quæ sunt ad Deum (6) Sacerdotes considerent duo præcipue esse opera ad hoc præclarissimo munere fungendum instituta: divini scilicet sacrificii oblatio, et divini quoque officii recitatio. Tam sibi quam fidei populo his sanctissimis operibus consulit Dei minister; ideoque præ omnibus hæc æstimare debet, et vel maxima fide, pietate ac religione perficere. Experientia enim docet, sacerdotem qui rite, devoteque cum pietate Missam celebrat, et divinum recitat officium, ceteris omnibus muniis rectissime fungi, ac sacerdotalis vitæ virtutibus omnibus ornari; eum vero, qui de devota Missæ celebratione, et officii recitatione minus sollicitus est, et ceteras sui muneris partes facile negligere, et a sacerdotali perfectione admodum recedere.

I. Quoniam vero, cum de sacrosanctæ Missæ sacrificio superius verba fecerimus (7), monita dedimus jam ad pie et frugifere celebrandum, unice nunc in sacerdotum memoriam revocamus Tridentini Concilii admonitionem: «sacrosanctum Missæ sacrificium omni cum religionis cultu et veneratione celebrent; maledictus enim est, qui

(1) Ephes. IV, 15. (2) I. Cor. XII, 31. (3) Jacob. I, 4. (4) Eph. III, 19.

(5) Encycl. *Singulari quidem* 17 Mart. 1856. (6) Hebr. V, 1. (7) P. IV, tit. 2.

facit opus Dei negligenter. Quod si necessario fatemur nullum aliud opus adeo sanctum ac divinum a Christi fidelibus tractari posse quam hoc mysterium; evidens est omnem operam ac diligentiam in eo ponendam esse, ut quanta maxima fieri potest, interiore cordis munditie et puritate, atque exteriori devotione et pietatis specie peragatur» (1).

II. Nihil Ecclesiæ ministro post Sacrosanctum Sacrificium sanctius quam divini officii recitatio. Omnes christianos urget obligatio Deum per fidem cognitum piissima mentis et cordis subiectione colere, eidem pro acceptis beneficiis gratias agere, eum pro delictis deprecari, et pro nobis impetrandis beneficiis filiali cum fiducia preces fundere. Ad hoc validiori titulo obstringitur sacerdos, cui ampliora pro aliis concessit Deus, quique largioribus divinæ gratiæ muneribus eget. Unde ut pro hominibus constitutus eorum vices suppleat, qui debitum suum minime persolvant, et mediator Dei et hominum factus tam sibi, quam aliis, universæque Ecclesiæ pretiosa a Deo impetret bona. Ecclesia eidem ad Subdiaconatum promoti Breviarium tradit, librum scilicet, precum antiquitate, partium nexu, psalmorum selectu, eorum ad annum ecclesiasticum relatione, omnium longe præcellentissimum. «Libri hujus vinculo cælum et terra amico fœdere junguntur, beati spiritus et sanctorum animæ devote coluntur, patiens Ecclesia solatium ac suffragia accipit, ministri vero militantes Ecclesiæ sancto quodam fœdere, ad mutuuum adjutorium, et Dei laudem conspirant» (2).

III. Meminerint ergo omnes in sacris constituti, et qui beneficium ecclesiasticum adepti sunt, strictissimo præcepto sub gravi, et gravissimis pœnis, teneri ad quotidianam et absolutam divini officii recitationem ad normam Breviarii Romani; cum horarum canonicarum persolutio, ex mente Ecclesiæ, pars sit non exigua cultus divini, et pastoralis curæ. Divinum itaque officium congruo tempore et loco recitent, et in id intendant omnino, ut non sit mera lectio, sed vera oratio, ut non solum externa corporis compositio ac modestia, utique necessaria, sed et mens ad Deum attollatur, ore et corde psallant, ac digne attente ac devote, in psalmis, hymnis et canticis, veluti almæ Sionis æmuli, debitas divinæ majestati laudes persolvant.

IV. Meminerint etiam, nullo se meliori modo orandi legi obsecuturos, quam per devotam, piamque Missæ celebrationem et officii divini persolutionem. Præstantissimæ enim omnium sunt preces, quas Deus ipse per Ecclesiæ suæ ministerium selegit, nobisque

(1) Conc. Trid. sess. XXII. Decr. *De observ. et evit. in Miss. sacrif.*

(2) Conc. Prov. Coloccen. 1863.

proponit ac suggerit ad religionem nostram fovendam, et ad faciendam nobiscum misericordiam suam. Certe namque si cuncta, quæ lingua profert, intimo corde sentimus, et desideramus, quotidianam habebimus spiritus renovationem ad resuscitandam gratiam quæ data est nobis per impositionem manuum presbyterii (1); qua agente, quotidie sapientia secundum Deum augebimur, et in interiorem hominem renovati, atque spiritu viventes, spiritu et ambulabimus (2).

V. Ne tanto bono fraudemur, tempus tranquillum, locum aptum quæramus, et, si fieri potest, ecclesiam ipsam ut socium habeamus eum, qui mira præsentia sua in Smo. Eucharistiæ Sacramento docet nos orare, ejusque precibus nostras conjungere et commendare discamus, nam per ipsum oramus ad Patrem. Thesaurum denique sensus, quem verba usu trita contegunt, meditationis clave in mente et corde recludere curemus, monita Sancti Augustini præ oculis habentes: «si orat psalmus, orate: et si gemit, gemite; et si gratulatur, gaudete: et si sperat, sperate; et si timet, timete» (3).

TITULUS V.

De externa agendi ratione.

«Orationi instantes, spiritu ferventes, ac pie sancteque viventes, præbeant in omnibus se ipsos exemplum bonorum operum, et Dei gloriæ ac animarum salutis zelo accensi, atque arctissimo inter se vinculo obstricti, accipiant armaturam Dei, atque concordissimis animis, conjunctisque viribus, sub proprii Antistitis ductu in aciem prodeant, et prælia Domini fortiter præliantur» (4). Venerandis his Pii IX verbis monentur omnes, qui Deo militant in sortem Domini vocati, quomodo se gerere debeant, ut voluntatem Dei facientes, propriæ quidem saluti, non minus quam populorum consulant, et Ecclesiam ipsam tueantur et illustrent. Non enim pro se ipsis, sed pro sancta Dei Ecclesia ejusque filiis sacerdotes et ministri facti sunt. «Non ad propria commoda, non ad divitias, aut luxum, sed ad labores et sollicitudines pro Dei gloria vocatos esse intelligant,» ait Tridentina Synodus Episcopis, et quibuscumque beneficia ecclesiastica obtinentibus (5). Quod si semper verum fuit, et ob oculos habendum, majus adhuc pondus consequitur hac nostra miserrima ætate. Dum enim hodie perversa quidquid sentiendi et agendi libido, sub prætextu progressus et culturæ, omni veritati et auctoritati

(1) Tim. I. cap. IV, 14. (2) Gal. V, 25. (3) Enarrat. in Ps. XXX, Serm. 3.

(4) Pius IX, Allocut. *Si semper* 2 Maii 1850. (5) Conc. Trid. sess. XXV, cap. I, De ref.

bellum indicit, multiplicibus, quibus ætas, hæc, ob suam a veritate fidei defectionem, adeo vexatur malis, nemo nisi sacerdotium medebitur, quod altiore auctoritate et virtute ideo a Domino instructum est, ut reipsa sit lux mundi, et sal terræ. Quod si sal evanuerit in quo salietur? (1) Si igitur hi ipsi, quorum manibus voluit Deus salutem generis humani operari deficerent, quid non prætimendum est? Foret hæc calamitas maxima, quæ ad tantorum malorum cumulum accederet. Tales itaque præsens sæculum sacerdotes vel maxime requirit, qui scientia et virtute fulgentes, se ipsos abnegantes, spiritu Dei pleni, posthabita omni proprii commodi ratione, temporalisque vitæ prosperitate, nec quærentes quæ sunt, sed quæ Jesu Christi, omnes suas facultates et vires immo et vitam, si Deo placet, pro ipsius Dei gloria, pro Ecclesiæ triumpho et honore, pro salute fidelium ultro offerant.

Toto animo cupientes, ut idonei sint novi testamenti ministri ii omnes, quos in labore et officio adjuutores habemus, ad per ipsos fiat salus in populis, sequentia, juxta præfata Pii IX monita, commendanda immo præcipienda duximus.

I. Et primum quidem ut «sub proprii Antistitis ductu prodeant, et prælia Domini præliantur.» Hoc idem præcipit Smus. in Christo Pater Leo XIII, qui postquam de divina Episcoporum auctoritate, deque ipsis præstanda reverentia et obedientia disertissime loquitur in Epistola Encyclica ad omnes Hispaniæ nostræ Antistites, hæc habet: «ac nominatim vehementer studeant modestiam atque obedientiam tenere, qui sunt ex ordine Cleri, quorum dicta, factaque utique ad exemplum in omnes partes valent plurimum. Quod in muneribus suis insumunt operæ tum sciant maxime fructuosum sibi, proximisque salubre futurum, si se ad imperium ejus nutumque finxerint, qui diocesis gubernacula tenet» (2). «Et re quidem vera numquam sicut hodie ita fieri oportet, atque necessarium est, dum omnes adhibentur artes ad disgregandos animos, ad clerum abducendum a proprio pastore, populum a clero, ad subvertendas leges, ipsamque constitutionem Ecclesiæ, ad unitatem plane dissolvendam» (3).

II. Solliciti igitur servare unitatem spiritus in vinculo pacis (4), quam in ordinatione sponponderunt Antistiti suo obedientiam fidelissime servent, de qua in sacris canonibus hæc legimus: magna quidem paupertas, sed major integritas, bonum est obedientia maximum si custodiatur illæsa: nam prima rebus, secunda carni, tertia vero menti dominatur et animo, quos, velut effrenes et liberos, ditioni alterius

(1) Matth. V, 13. (2) 8 Dec. 1882.

(3) Pius IX *Epist. ad clerum Viglevanen* 4 Sept. 1876. (4) Ephes. IV, 3.

humilis jugo proprio voluntatis adstringit (1); quæ quidem virtus prior est illis, qui ministri sunt ejus qui toties dixit: «ego veni non ut faciam voluntatem meam, sed ejus qui misit me» (2).

III. Etsi in Domino gaudemus et gloriamur, quod clerus nostræ provinciæ memor sit obedientiæ et reverentiæ suis præsulibus debiti, ut tamen in his virtutibus amplius firmetur, opportunum æstimamus sequentia ex sacris canonibus prælibare. «Ad hoc dispensationis divinæ provisio gradus diversos, et ordines constituit esse distinctos, ut dum reverentiam minores potioribus exhiberent, et potiores minoribus dilectionem impenderent, vera concordia fieret, et ex diversitate contextio, et recte officiorum gereretur administratio singulorum (3)» Exigunt ergo canones ut majoribus ex officio agentibus semper obediant minores, nisi, quod Deus avertat, illorum præcepta divinæ legi manifeste essent contraria; tunc enim Deo magis quam hominibus esse obediendum, sancti Apostoli docuerunt (4). In dubio, semper obediendum est (5), ac similiter dum per observantiam mandatorum superioris malum quidem non ageretur, ast bonum omitteretur (6). Edicunt etiam mandato superioris observatu difficili et oneroso esse optemperandum (7), et correctionem etiam injustam patienter esse tolerandam (8); indulgetur tamen reverens expositio causarum, ob quas mandatum observari non posset (9).

IV. Ea propter hortamur et in Domino monemus, ut canonicam hanc obedientiam jam alumni in seminario discant, in sacris vero constituti diligenter colant. Absit ut aliquis e clero, sive in sacerdotum, sive in laicorum præsentia contra suorum superiorum ordinationes amara proferat verba, aut talia ab aliis prolata, quacumque ratione, approbet. Alios enim sub se habens, minime ab eis reverebitur qui superioribus detrahat. Canones quoque depositionis pœnam statuerunt in illos qui Episcopis suis insidias struerent, aut eos contumelia, calumnia, et conviciis afficerent (10).

V. «Artissimo inter se charitatis vinculo» obstrictos omnes de clero desiderat ven. Pontifex et merito; mandatum enim Domini est, qui Apostolis indicebat: hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos (11); in hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem (12). Optimo certe exemplo erunt fidelibus, eosque ad christianam concordiam excitabunt, si

(1) C. 1 *De verb. signif.* (2) Joann. VI, 38. (3) Cap. 7 Dist. 89.

(4) Act. V, 29. C. 92 caus. XI, quæst. 3. (5) C. 4 caus. 23, q. 1.

(6) C. 99, caus. 11, q. 3. (7) C. 3, Dist. 19. (8) C. 8, Dist. 100.

(9) Cap. 5 *de Præscript.* (10) C. 18, 23, 24, caus. 11, q. 1.

(11) Joann. XV, 12. (12) Id. XIII, 35.

fraterna se charitate complectentes, atque honore invicem prævenientes (1), singuli bono aliorum nomini consulant, ab omni detractioe alienissimi officii omnibus pro Dei gloria, animarum salute, et uniuscujusque levamine ultro se mutuo juverint, cor unum et anima una sint (2); nihil per contentionem, aut inanem gloriam, sed in humilitate superiores se invicem arbitantes, non quæ sua sunt considerantes, sed ea quæ aliorum (3), unde summa habeatur in sustinendis laboribus animarum concordia et consensus (4). Totum robur, tota vis in virium conjunctione et in mutua ope continentur: «frater enim qui adjuvatur a fratre quasi civitas firma» (5); ideo magis insistendum volumus in hac re; omnes enim in eadem acie pugnamus, sub eodem Rege Jesu, et sub eodem ipsius in terris Vicario: unus ergo sit spiritus, sicut et una spes vocationis nostræ (6); idem enim præmium spectamus. Omnia et in omnibus Christus (7); dum ergo ille annuntietur, in hoc tantum gaudere debemus (8).

VI. «Præbeant se ipsos in omnibus exemplum bonorum operum,» admonet clericos omnes Summus Pontifex, prout Apostolus charissimo scribebat discipulo (9). «Exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate (10), in doctrina, in gravitate, verbum sanum, irreprehensibile, ut is, qui ex adverso est, vereatur nihil habens malum dicere de nobis» (11). Omnibus comper tum est, plus facere, sive in bonum, sive in deterius, exempla quam verba. Quare qui sacræ militiæ nomen dederunt, vita ex omni parte integra et religiosa preluceant. Tamquam pastores et patres in Dei grege et familia se constitutos meminerint, qui bonos mores, obedientiam, pacem, et concordiam disciplina sancta tueantur, et omnes ædificent, ideoque omnibus appareant tamquam forma facti gregis ex animo (12). Monente eodem Apostolo, ut Deo militantes non implicent se negotiis sæcularibus (13), non se immisceant rerum temporalium curis. Imprimis populorum partibus ac dissidiis numquam palam adhærere profiteantur; immo in iis componendis et sedandis toto animo et prudentissimo charitatis zelo adlaborent. Omnia et semper propter Evangelium facientes (14), ac memores se omnibus debitores esse (15), ita se gerant, nemini dantes ullam offensionem. ut non vituperetur ministerium nostrum (16), ut palam et confidenter dicere possint: testis mihi est Deus, quomodo cupiam omnes vos in visceribus

(1) Rom. XII, 50. (2) Act. IV, 32. (3) Philip. II, 2.

(4) Pius IX. Allocut. cit. *Singulari* 9 Dec. 1854. (5) Prov. XVIII, 19.

(6) Ephes. IV, 4. (7) Coloss. III, 11. (8) Philip. I, 18. (9) Tit. II, 7.

(10) I. Tim. IV, 12. (11) Tit. II, 8. (12) I. Petr. V, 3. (13) Tim. II, 4.

(14) I. Cor. IX, 23. (15) Rom. I, 14. (16) 2 Cor. VI, 3.

Jesu Christi (1), et cunctis manifeste pateat ipsos id præ omnibus intendere, ut omnes salvi fiant (2). Omnium ergo et singulorum corda sibi devincere conentur per pietatis et charitatis opera, iis præcipue incumbentes quæ efficacissime religionis et societatis bonum promovere, et utriusque ruinam præcavere possunt. Hæc est Ecclesiæ Christi agendi ratio, uti aperte constat ex constitutione Gregorii XVI *Sollicitudo*, in qua diserte asserit; inter diversas imperiorum ac gentium perturbationes, Sedem Apostolicam, quin ullo unquam partium studio rapiatur, ea tantum quærere quæ Christi sunt, atque unice, velut susceptorum consiliorum finem, ea ob oculos habere quæ ad spiritualem æternamque populorum felicitatem facilius conducant, nec umquam humanis ex rationibus Ecclesiæ causam deserere (3). Hanc etiam agendi rationem non semel Episcopis et clero præscripsit Smus. Dominus Leo XIII dicens: «Profecto sacerdotes tradere se penitus partium studiis, ut plus humana, quam cœlestia curare videantur, non est secundum officium. Cavendum igitur sibi esse intelligant, ne prodeant extra gravitatem et modum (4).

VII. Quum vero non sit potestas nisi a Deo (5), omnes et singulos, qui in aliquo auctoritatis gradu sunt constituti, clerici debito prosequantur honore, proprii tamen gradus numquam immemores. Quoties decuerit, aut quædam utilitas poposcerit comiter invisant, parochi præsertim, eos qui in populo auctoritatem habent; cum illis, quantum fieri possit, pacem et concordiam foveant et custodiant, salva tamen in omnibus conscientia. In iis quæ sunt civilis regiminis numquam se immisceant, sed nec laicos spiritualia usurpare patiantur. Si verbo aut scripto aliquid respondere aut reclamare oportuerit, graviter et firmiter fiat, verbis tamen spiritui ecclesiastico congruentibus, aspera, dura, et quæ offensionem esse possint omni cura vitantes. In difficilioribus quæ occurrere contigerit casibus, agendi et loquendi regulam ab Episcopo vel inquirant ignotam, vel traditam reverenter suscipiant et sequantur. Si urgeat vero, Archipresbyterum consulant, et ni potuerint, aliquos prudentes et probatos viros adeant, ut facilius ac certius procedant jura Ecclesiæ defendentes, nemini tamen dantes ullam offensionem.

VIII. Denique, sicut nostris temporibus non parvi dedecoris est, quod vix umquam civilia munia, nisi sollicitantibus, et quasi mendicantibus obveniant, nullaque modestiæ et abnegationis jam supersit etiam species; ita summopere dolendum est, nonnullos e clero esse, qui hoc sæculi vitio infecti apparent, dum ambitione quadam ducti,

(1) Philip. I, 8. (2) I. Cor. X, 33. (3) 5 August. 1831.

(4) Encycl. *Cum multis* ad Episcop. Hispan. 8 Dec. 1882. (5) Rom. XIII, 1.

commendationes quærent, quibus proprium Antistitem, si potuerint, opprimere vellent, eumque quodammodo cogere, ut potiora et lucrativa beneficia vel munera eis conferantur, de se præsumentibus. Ii ipsi, si ad minora eliguntur, ea respuunt, causasque excusationis allegare non omittunt, ac laicorum etiam influxis abutuntur ut ab illis liberentur, etiamsi animæ fame pereant, eo quod non sit minister qui panem eis frangat. Hanc agendi rationem reprobamus, et condemnamus: testimonium enim est ambitionis et avaritiæ a quibus qui Deo militant omnino abhorrere oportet. Qui illis utuntur indecoris ac reprobatis artibus, clarissime evincuntur, non quæ Jesu Christi, sed quæ sua sunt quærere, dum non animas respiciunt, sed temporales ambiunt proventus, licet vanos adducant prætextus ad vitium obnubilandum. Sciant ergo, nulli faciendas esse a nobis hujusmodi commendationes, immo tamquam demerita habendas esse, quod in registis notabitur ut perpetuo constet. Sciant etiam omnes petentes se tentamini scientiæ ac sufficientiæ subjectum iri. Eamdem agendi rationem reprobamus in petentibus præbendas et beneficia tam regii, quam ecclesiastici vel laicalis patronatus; ideoque qui præsentationis titulum exhibeant, subjicientur pariter experimento theologiæ saltem moralis et liturgiæ, necnon informationi de vita et moribus. Dispensari poterit ab Episcopo, cum iis de quibus per legitima documenta constet requisitas habere condiciones.

TITULUS VI.

De exercitiis spiritualibus.

Magnum quippe timorem cunctis injicere debent Christi Domini verba: «Nemo mittens manum ad aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei (1)» quibus consonans Apostolus nos admonet, dicens: «qui se existimat stare, timeat ne cadat» (2), et reprehendi mereatur ut Galatæ, qui spirituales cum fuissent, carnales devenerunt (3), vel a Domino evomi, quia nec frigidus sit, nec calidus (4). Sed quamvis ad hoc vitandum, orationi, meditationi, corporis castigationi illud in servitutum redigendo (5), quotidie intenti esse debent et, ut pie credimus, sunt sacerdotes omnesque de clero, nihilominus validioribus auxiliis ipsos muniri oportet, ut excusso prorsus pulvere, quo paulatim religiosa etiam corda sordescunt, fervorem pristinum restitutum sentiant, et latiori corde viam mandatorum Dei cucurrant. Ipsemet

(1) Luc. IX, 62. (2) 1. Cor. X, 12. (3) Galat. III, 3.

(4) Apoc. III, 16. (5) 1. Cor. IX, 27.

Dominus et Salvator noster Apostolos suos interdum in desertum locum secum ducere voluit, postquam a predicatione regressi fuerant (1), suo exemplo nos admonens, peropportunum esse omnibus ministerio sacerdotali addictis a consueto vitæ tenore cessare, et in solitudine requiescere pusillum ab externis, et si sanctis muneribus, ibique os suum aperire attrahentes spiritum (2) ut renovati spiritu mentis suæ (3), induantur virtute ex alto (4), et ad perfectiora viritum progrediantur.

I. Hæc auxilia omnibus præstant spiritualia exercitia a Summis Pontificibus sæpius commendata, et de quibus Pius IX, sic nos admonere voluit: «Porro cum vobis compertum sit, ad ecclesiastici ordinis dignitatem, et sanctimoniam retinendam et conservandam, pium spiritualium exercitiorum institutum vel maxime conducere, pro episcopali vestro zelo tam salutare opus urgere, omnesque in sortem Domini vocatos monere, hortari ne intermittatis, ut sæpe in opportunum aliquem locum iisdem peragendis exercitiis secedant (5). His igitur paternis admonitionibus obsequentes, decernimus perpetuo retinendam, quæ jam in nostra provincia viget praxim exercitiorum spiritualium, eamque promovendam, et ab unoquoque Antistite moderandam pro locorum adjunctis, ita tamen, ut saltem tertio quolibet anno, si frequentius fieri nequeat, ab omnibus de clero habeantur in unum collectis, ut inter orationis, frugalitatis, silentii et humilitatis opera, sacras exortationes recipiant, confessione sacramentali conscientias vere et sincere emundent, sese mutuo ædificent, et Spiritus Sancti donis recreati ad sua revertantur.

II. Nullus nisi legitima præpediatur causa ab Episcopo probata, excusatum se dicat; utque facilius omnes accedere possint, in vices convenient, diebus ab Episcopo definitis. Si vero vel infirma impediti valetudine, vel ob nimiam sacerdotum fidelibus inservientium inopiam, nullo modo aliquis ecclesiam suam deserere queat, de re certiore faciat Episcopum, et privatim saltem, nisi ille aliter disposuerit, spiritualem per aliquot dies instituat recessum ad propriæ sanctificationi consulendum. Hoc idem commendamus ut faciant omnes eo anno intermedio, quo fortasse ad communia cleri exercitia non convenerunt. Nec minus commendamus ut post exercitia peracta, singulis mensibus, unum diem spiritualis recollectionis habeant, ad effectus et proposita renovanda, defectus corrigendos, fervorem excitandum, et ut ad mortem se præparent.

(1) Marc. VI, 31. (2) Ps. CXVIII, 131.

(3) Ephes. IV, 23. (4) Luc. XXIV, 49.

(5) Pius IX, Encycl. *Qui pluribus* 9 Nov. 1846.



III. Cum a summis Pontificibus, stricte præceptum sit ut qui sacris ordinibus initiandi sunt, spirituali secessu ad eos apte disponantur, volumus ut non littera tantum, sed spiritu reapse ecclesiastico hæc lex adimpleatur, ita ut methodo ab Episcopo ordinata, et sub alicujus pii et sapientis directoris regimine peragantur exercitia.

IV. Peropportunum censemus et commendamus pariter Episcopis, ut antequam animarum curam suscipiant, qui concursu facto, parochi constituuntur, spiritualibus vacent exercitiis, ut zelo ac fervore accensi, et Spiritus Sancti donis aucti, in vinea Domini excollenda strenue adlaborent.

TITULUS VII.

De scientia Cleri.

Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum est (1), ideoque fidelis divinarum veritatum custos, interpretis legis ac voluntatis Dei, hominibus dux in itinere ad cœlestem patriam. Unde debent sacerdotes magnopere providere, ut cunctum populum cui præsent, conversatione, sermone et scientia præcedant (2), ut omne opus eorum in prædicatione et doctrina consistat, atque ædificent cunctos tam fidei scientia quam operum disciplina (3); et ut possint exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt arguere (4); nam si in laicis vix tolerabilis videtur inscientia, quanto magis in iis, qui præsent, nec excusatione digna est, nec venia? (5).

I. Scientiam habeant sacerdotes omnes, non quæ inflat, sed quæ ædificat ad salutem, quæ homines ad veram Dei cognitionem ducit, quæ ad recte vivendum ordinat, et Deo summo bono adhærere docet. Eam totis viribus sibi procurent, nam si doctrina sine vita superbum facit, vita sine doctrina inutilem reddit (6). Eam ex corde diligant, amplectentes eum, qui secundum doctrinam est fidelem sermonem (7). Aliquid amplectens, explicat angelicus Thomas, illud diligenter constringit, et amplexus ex dilectione fit: oportet enim scientiæ inhærere cum amplexu, idest, firma adhæsione animi, et cordis dilectione (8).

II. Sacris studiis in primis, utpote ad divinum, quo insigniti sunt, ministerium sancte obeundum necessariis, constanter incumbant,

(1) Malach. II, 7. (2) Can. *Qualis* 21 Caus. 8 q. 1. (3) Conc. Tolet. IV. ann. 633.

(4) Tit. 1 9. (5) C. 3 Dist. 38—S. Leo Epist. 22 ad cler. et popul. Constantinopol.

(6) S. Isidor. *De officiis* lib. II. (7) Tit. I, 9. (8) In Epist. ad Tit. lect. 3.

ut armis lucis induti, gladio verbi et doctrinæ armati, catholicæ veritatis scientia populum fidelem valeant erudire, inimicorum tela confringere, insidias detegere, et dominicas oves ab eorum conatu protegere. Unusquisque reputet sibi dictum quod ad Nepotianum Hieronymus, «numquam de manibus tuis sacra lectio deponatur; disce quod doceas: lectione assidua obtine eum, qui secundum doctrinam est fidelem sermonem, ut possis exhortari doctrina sana» (1).

III. Illi etiam quibus unum talentum datum est tantum a Domino, qui dividit singulis prout vult (2), et ad officia minora in vinea patrisfamilias excolenda ab ipso vocati sunt, nocturna diurnaque manu versentur in libris, ut evolventes et foventes quæ, ante sacerdotium ininitum, quasi jacta sunt semina, necessariam sibi comparent scientiam theologiæ moralis, ne cæci sint cæcorum duces, et cum eis in foveam cadant (3), in errores lapsi, quorum mater est ignorantia, in sacerdotibus maxime vitanda (4). Sententiam Domini vereantur, «quia tu scientiam repulisti, ego repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi» (5), et Jacobi apostoli monitum præ oculis habeant: «si quis indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluentur et non improperat, et dabitur ei» (6).

IV. Qui a Patre luminum, a quo omne datum optimum et omne donum perfectum descendit (7), potiori ditati fuerunt ad scientiam acquirendam aptitudine, minime de se ipsis gloriantes, sed potius timentes, quia cui multum datum est, multum quæretur ab eo (8), non intermittant fervide orare Deum scientiarum Dominum, ut det illis sedium suarum assistricem sapientiam, ut cum ipsis sit et laboret, ut sciant quid acceptum sit apud Deum (9), et danti illis sapientiam, dent gloriam (10).

V. Sciant Scripturas Sanctas et Canones ut Toletana Synodus præcipit (11); sociam adjungant operam e sanctis Patribus et interpretibus, Ecclesiæ Conciliis; probatissimos theologiæ tum dogmaticæ, tum polemicæ, tum moralis, tum pastoralis, tum etiam asceticæ auctores, rerumque liturgicarum expositores sedulo attenteque discurrant; in ecclesiasticis annalibus, aliisque disciplinaribus studiis accurate diligenterque versari non omittant.

VI. Indubium est præcipuas partes deberi semper sacris studiis; minime vero negligendæ sunt etiam profanæ disciplinæ, historia in primis, philosophia et scientiæ naturales; immo earum adjutorio uti necesse est, his præsertim temporibus in quibus tantum fit nominis

(1) Epist. ad Nepotian. (2) 1 Cor. XII, 11. (3) Matth. XV, 14.

(4) Conc. Tolet. I.—Can. *Ignorantia* I, Dist. 38. (5) Osee IV, 6. (6) Jacob. I, 5.

(7) Id. I, 17. (8) Luc. XII, 48. (9) Sap. IX, 10. (10) Eccl. LI, 23. (11) Conc. Tolet. IV.

philosophiæ et naturæ scientiarum abusus. De hoc loquens sapientissimus Dominus noster Leo XIII in numquam satis laudibus cumulata encyclica *Æterni Patris*, ait: «Si quis in acerbitatem nostrorum temporum animum intendat, earumque rerum rationem, quæ publice et privatim geruntur, cogitatione complectitur, is profecto comperiet, fecundam malorum causam, cum eorum quæ premunt, tum eorum quæ pertimescimus in eo consistere, quod prava de divinis humanisque rebus scita, e scholis philosophorum jam pridem profecta, in omnes civitatis ordines irrepserint, communi plurimorum suffragio recepta» (1). «Postulat igitur ipsius divinæ providentiæ ratio, ut in revocandis ad fidem et ad salutem populis, etiam ab humana scientia præsidium quærat: quam industriam probabilem ac sapientem in more positam fuisse, præclarissimorum Ecclesiæ Patrum antiquitatis monumenta testantur» (2). «Præterea scripta scriptis opponenda, ut ars quæ potest plurimum ad perniciem, eadem ad hominum salutem et beneficium transferatur, atque inde remedia suppetant, unde mala venena quærantur» (3).

VII. Optamus igitur, ut nullibi desint sacerdotes in humanis pariter ac divinis scientiis eruditi; magnamque laudem merebuntur, qui ingenio dotibusque potioribus a Deo præditi, minime tamen neglectis sacris studiis et vocationis suæ officiis, solidam scientiæ omnis generis culturam acquirere satagant, eum potissimum in finem, ut vel publicum magisterium etiam in universitatibus, adepti, vel in arenam litterariam descendentes, ad quam Dei ministros magis magisque in dies provocat frequens preli increduli in arcem veritatis assultus, vel alias, seu voce, seu scripto monstrare et populis persuadere valeant, quod cuncta humanæ rationis et cognitionis tentamina ad supremam christianæ religionis metam ordinanda et dirigenda sint, cum nulla sit, neque esse possit oppositio inter veri nominis scientiam et fidem. «Oportet igitur quos Deus misit in mundum universum prædicare evangelium omni creaturæ (4) et instare ministerio verbi opportune, et importune, formam habere bonorum verborum, quæ audierunt ex fide (5), et sapientiam omnium antiquorum exquirere (6) ac meminisse præpositorum suorum qui locuti sunt verbum Dei (7), obarmatos scuto fidei, in quo et ignea tela nequissimi possint extinguere (8), et arguere, increpare, obsecrare, et in omni doctrina refellere eos, qui pro luce, ut ait S. Bernardus, tenebras effundunt, et pro melle venenos propinant, novum cudentes populis evangelium» (9).

(1) 4 Aug. 1879. (2) Ibid. (3) Leo XIII, Encycl. *Etsi nos* 15 Febr. 1882.

(4) Marc. XVI, 5. (5) 2. Tim. I, 13. (6) Eccl. XXXIX, 1. (7) Hebr. XIII, 7.

(8) Ephes. VI, 16. (9) Conc. prov. Coloc. (1863) Tit. VI, cap. 6.

VIII. Ut facilius solidis doctrinis acquirendis vacare possint, omnes in Domino obtestamur et monemus ne temporis jacturam faciant, sed sobrii sint in lectione ephemeridum, quæ passim evulgantur, et illorum librorum, «qui inebriant curiositate non charitate, implent non nutrientes, inflant non ædificantes, ingurgitant non confortantes» (1). Abstineant quoque ab eorum lectione quæ bene agendi studium, morum disciplinam, timorem Dei et amorem, proximi charitatem lædere vel imminuere possunt. Fugiant otium, conversationes vanas, lusumque in horas protractum. Hæc facientes, illis et tempus, quo studio proficuo vacent, suppetet, et media opportunæ eruditionis acquirendæ non deerunt.

TITULUS VIII.

De Collationibus, seu Conferentiis Clero habendis.

Ut sacrarum disciplinarum notitia in Seminariis accepta conservetur, et frequenti exercitatione foveatur et crescat, validissimi adjutorii sunt collationes tam de re theologica quam liturgica, quæ olim jam in Ecclesia introductæ fuere, quæ S. Carolus nominat scholas atque exercitationes, non solum studiorum, sed etiam officiorum ecclesiasticorum (2), quæ Benedictus XIII, in Romano Concilio magnopere commendavit (3), ea scilicet mente, ut non Romæ tantum, ubi eas institui præcepit, sed in universo orbe habeantur, uti disserte scripsit Benedictus XIV (4).

Eas quidem in nostra Hispania celebrari jussit Innocentius XIII, prout luculenter liquet ex constitutione *Apostolici ministerii* pro instauranda his in regionibus ecclesiastica disciplina in qua legimus: «Quinimmo enixe hortamur ut Episcopi satagant, ut omnes ecclesiastici prædicti etiam collationibus habendis coram parochis suis, vel aliis ab Episcopo deputatis, super casibus conscientiæ forum concernentibus, et super ritibus ac cæremoniis sacris intersint» (5). Pius IX, denique apprime commendatum voluit, «ne in sacerdotibus qui doctrinæ et lectioni attendere debent, quique obstricti sunt officio docendi populum, sacrarum disciplinarum studium umquam restinguatur, aut languescat industria, instituantur opportunis regulis congressus de morali præsertim theologia, ac de sacris ritibus, ad quos singuli potissimum presbyteri teneantur accedere, et afferre scripto consignatam propositæ quæstionis explicationem, et aliquo

(1) S. Bernard. Serm. 9, in Cant. (2) Conc. I, Mediolanen.

(3) Tit. 15, cap. 9. (4) Instit. XXXII, n. 7. (5) 13 Maj. 1723, n. 7.

temporis spatio... inter se disserant de morali theologia, deque sacrorum rituum disciplina» (1).

I. Apostolicæ Sedis monitis obtemperantes et debita obedientia prosequentes, cumque bene compertam habeamus ecclesiasticarum collationum utilitatem, volumus, ut non modo conserventur et perficiantur ubi vigent, sed restituantur, ubi pro temporum angustiis et difficultatibus, in desuetudinem abierunt.

II. Uniuscujusque Episcopi erit, statuta de hac re conficere juxta locorum et cleri circumstantias, illamque methodum proponere, quæ ad studia excolenda sacerdotes magis adigat, et ipsorum studiorum fructus in commune bonum diffundat.

III. Sacerdotes omnes conveniant, atque ita se gerant, ut et ipsi, in Christo concordēs mutuis consiliis juventur; et populus, sacerdotum charitate perspecta, illorum ordinem plus æstimet, atque ad exhortationes et monitiones suscipiendas docilior evadat. In rerum pertractatione absit omnino vana ingenii ostentatio et partium studium: omnia, ut monet Apostolus, in charitate fiant (2), et veritas ab omnibus tantummodo ametur, et quærat, tamquam certissimum totius congressus bonum. Quod in Sacra Scriptura legitur ob oculos habeant: «in multitudine presbyterorum sta, et sapientiæ illorum ex corde conjungere, ut omnem narrationem Dei possis audire» (3).

IV. Quoniam vero aliquibus in nostrarum diœcesium locis accedere possit, ut ob a eris intemperiem, viarum longitudinem et asperitatem, parvum sacerdotum numerum, aliasve difficultates, nonnulli impediuntur quominus congregationi accedant; juxta quod frequenter a Sacra Congregatione Concilii inculcatur, suppleri curetur ab Episcopis, illis proponendo quæstiones tum theologiæ moralis, tum rei liturgicæ, quibus, statuto tempore, in scriptis teneantur respondere, et responsa Curix Episcopali fideliter mittere.

TITULUS IX.

De Seminariis.

Inter præstantiora, quæ, a Spiritu Sancto illustrata, Sancta Ecclesia instituit opera ad Dei gloriam promovendam, fidem tuendam et fovendam, ac populorum salutem procurandam, præcipuum nobilemque locum tenent Seminaria, quæ loca sunt et palestræ ubi præparantur, et unde exeunt primo mane boni ac solliciti operarii ad vineam Domini excolendam et custodiendam; atque Jesu Christi

(1) *Encycl. Singulari quidem*, 17 Mart. 1856. (2) 1. Cor. XVI, 14. (3) *Eccli.* VI, 35.

scholæ in quibus ministri Ecclesiæ præparantur, virtute ac sapientia præditi, ut fideles inveniantur, et revera sal terræ sint, et lux mundi.

In Concilio Toletano II adumbrata (1), instituta fuere jam in nostra Hispania ex præscripto celeberrimi illius Civitatis Concilii IV, cujus canon XXIV, sic se habet: «Prona est omnis ætas ab adolescentia in malum (2). Nihil enim incertius quam vita adolescentium. »Ob hoc constituendum oportet, ut si qui in clero puberes, aut adolescentes existunt, omnes in uno conclavi atrii commorentur, ut »lubricæ ætatis annos non in luxuria, sed in disciplinis ecclesiasticis »agant, deputati probatissimo seniori, quem magistrum doctrinæ et »testem habeant» (3).

Præclarissimum hoc disciplinæ Hispaniæ documentum a Sacrosancta Tridentina Synodo in generale pro universa Ecclesia decretum versum est (4). Ex tunc Antistites omnes pietate ac doctrina insignes, in primis S. Carolus Borromæus, et in Hispania nostra S. Thomas a Villanova, B. Joannes de Ribera, aliique quam plures in Seminariis et collegiis erigendis et dotandis nullas recusarunt impensas et labores. Summi quoque Pontifices constantissime adhortati sunt omnes catholici orbis Episcopos, ut Seminaria velut pupillam oculi diligant, et ut vergant omnes episcopalis zeli nervos in id intendere, ut adolescentes clerici, vel a teneris annis, tum ad pietatem solidamque virtutem, tum ad litteras, severioresque disciplinas præsertim sacras rite informentur (5). «Quod si Episcoporum est plurimum operæ et studii in fingenda probe omni juventute ponere, »longe plus ipsos elaborare in clericis verum est, qui in Ecclesiæ »spem adolescent, et participes adjutoresque munerum sanctissimorum sunt aliquando futuri... Atqui ad hujusmodi munera est adhibenda præparatio diuturna et diligens; non enim tantis rebus facile »et celeriter assuescitur. Atque illi sane in sacerdotio integre sancte »que versabuntur; qui sese in hoc genere ab adolescentia excoluerint, »et tantum disciplina profecerint, ut ad eas virtutes, quæ commemoratæ sunt, non tam instituti, quam nati videantur» (6).

I. Jam vero vel maxime gaudentes, quod nostris in diœcesibus, jam diu instituta viguerunt et florescunt clericorum seminaria, sanctissimis præfatis monitis obsecumdantes, Sanctorum Conciliorum decretis in omnibus obedire cupientes, et prædecessorum nostrorum inhærentes vestigiis et zelum æmulantes, ad Seminaria provinciæ nostræ oculos vertimus, veluti ad hortum irriguum, ubi crescunt

(1) Conc. Tolet. II. (2) Gen, VIII, 21. (3) Conc. Tol. IV.

(4) Sess. XXIII, cap. 18. De ref. (5) Pius IX, Encycl. *Qui pluribus* 9 Nov. 1856.

(6) Leo XIII, Encycl. *Etsi nos* 15 Febr. 1882.

dilectissimi filii Ecclesiæ sicut novellæ olivarum, quæ plantatæ secus decursum aquarum, fructum suum dabunt in tempore suo (1), et omnes qui viderint eos, cognoscent illos, quia isti sunt semen cui benedixit Dominus (2). Volumus ergo ac statuimus ut ea quæ in Sacrosanctæ Tridentinæ Synodi decretis et Summorum Pontificum constitutionibus, de hisce clericorum Seminariis præscripta sunt, impenso studio observentur et adimpleantur, ut uberiores in dies ac lætissimos fructus ex ipsis percipere liceat, quos referre destinata sunt.

II. Præ oculis semper habere oportet, Seminaria non habenda esse veluti studiorum universitates, quibus accedunt adolescentes in litteris et scientiis informandi solummodo, sed uti religiosæ domus, ubi tam spiritus in vera ac solida pietate nutritur, quam mens disciplinis eruditur, ut Dei ministrorum perpetuum seminarium sint. «Sunt igitur ea potissimum erecta, ait S. Carolus Borromæus, ut in iis boni strenuque operarii ad curationem animarum, quas suo pretiosissimo sanguine Christus redemit, instituantur, et ii quidem adolescentes ut eam vitæ perfectionem adipiscantur, quæ in iis, qui doctores populorum futuri sunt, elucere debet, et sæterioribus disciplina legibus coerendi» (3).

III. Hoc ut assequatur, necesse est in primis, ut opportunis et ad rem apprime facientibus constitutionibus regantur, tum quoad morum disciplinam, tum quoad studiorum materiam et ordinationem. Unde decernimus existentium constitutionum accuratam revisionem fieri, et si quæ corrigenda, vel reformanda, vel augenda sunt, quam primum ad propositum finem aptari et, quantum fieri possit, quoad utrumque in omni provincia unitatem servari. Collatis igitur consiliis, Episcopi cum Metropolitanis quam primum, quæ opportuniore videantur statuunt tum circa officia et munia moderatorum, rectoris scilicet, vice rectoris, directoris spiritualis, præfecti studiorum, professorum, œconomi, aliorumque secundi ordinis, tum circa studiorum rationem et disciplinam, tum circa cætera omnia quæ ad alumnos spectant, et uniformi regula ordinari possint.

IV. Nec minus interest ad persequendam optatam metam, ut virtute, scientia ac prudentia præstantibus moderatoribus regenda committantur, qui verbo pariter et exemplo quibus præsentantur proficiant. Ad hæc officia electi serio considerent, ex eorum agendi ratione pendere omne Seminarii bonum, ideoque vigilantissimo zelo adlaborent in excolendis novellis Ecclesiæ plantationibus, memoria retinentes quod qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates (4). Ipsi ab Episcopo traduntur adolescentes, de unoquoque

(1) Ps. I, 3. (2) Isai. LXI, 9. (3) *De Semin. inst.* P. I, Tit. III, c. 1. (4) Daniel XII, 3.

illorum dicente illis Domino: «accipe puerum istum, et nutri mihi; ego dabo tibi mercedem tuam» (1).

V. *Rectorem* alloquentes, verbis utimur S. Caroli: «quam diligentissime curet, ut in ipso eas ad vivum virtutes exprimat, quas in clericis requirit, ita ut qui illi subjecti sunt, in eo tamquam in speculo expressam videant ejus virtutis imaginem, quæ illis omni studio sit affingenda; meminerintque exemplum vivam esse doctrinam, nec ipsi minus cum taceat, quam cum loquatur, esse alios ad pietatem incitandos. Divinæ in primis gloriæ amplificationem, clericorum in omni virtute perfectionem semper ante oculos habeat, et ad eum finem omnes cogitationes et curas referat» (2). Hæc sibi dicta reputet vice-rector, qui domus disciplina et conveniens ordo speciali modo committuntur sub rectoris inspectione.

VI. *Ad confessarium seu spiritualem directorem* cum eodem Sancto dicimus: «studeat in omnium mentibus maximum animarum zelum, propriæ voluntatis abnegationem, veram obedientiam, pulchram charitatem inserere: internascentia opimorum beneficiorum vel divitiarum desideria salutaribus monitionibus extinguat, quoslibet etiam iis de rebus sermones prohibeat, solam denique illis Dei gloriam et animarum salutem esse procurandam doceat et expetendam. Illud secum reputet ex se, rectaque sui muneris administratione pendere eorum, qui in seminario vivunt in omni virtute progressum... Pietate, mansuetudine, humilitate prudentia, charitate officii sui dignitatem sustineat et auctoritatem tueatur» (3).

VII. *Præceptores* denique tales esse debent, ut clerici cum literis mores etiam, clericis dignos, in primis hauriant ex eorum doctrina et conversatione (4), atque eorum assidua cura efformentur alumni, qui spiritu et scientia præditi valeant in tempore dominicum agrum diligenter excolere ac strenue præliari prælia Domini (5); propter quod non tantum mentes, sed etiam juvenum corda in sapientiæ et salutis viam dirigant. Et quoniam ex præceptorum mobilitate non spernenda incommoda seminariis obvenire possunt, illorum stabilitatem curent Episcopi, congruas dotationes ipsis assignando quæ in annorum decursu augeantur, usque dum jubilationis beneficio donentur, necnon opportunis honoribus augendo.

VIII. In electione moderatorum tam disciplinæ quam studii, sicut in omnibus quæ ad seminarii regimen spectant, prout statuit Tridentina Synodus, utantur semper Episcopi consilio duorum de Capitulo,

(1) Exod. II, 9. (2) *De Semin. instit.* P. II, cap. 2.

(3) Id. P. I, cap. 1. (4) B. Gregor. Barbarig. *Const. Sem. Patav.*

(5) Pius IX, *Encycl. Qui pluribus.*

et aliorum duorum de ipso, et duorum de clero civitatis in iis quæ ad temporalium administrationem pertinent (1).

IX. Eadem collegia, ait Benedictus XIV, singulari Episcoporum sollicitudine foveantur necesse est, videlicet ea sæpe visendo, singulorum adolescentium vitam indolem et in studiis profectum explorando, aliqua demum beneficia iis qui virtutum suarum specimen clarius præstiterint, majoremque laudem retulerint, conferendo (2).

X. Diligentissima cura advigilandum est electioni puerorum, qui in seminariis instituendi sunt, et parochorum sententia de illis exquiri oportet, ne admittantur, nisi quorum indoles et voluntas spem afferat eos ecclesiasticis ministeriis perpetuo inservituros (3). Neque solum ingenium etabilitas ad studia litterarum functionesque ecclesiasticas exercendas spectentur, sed multo magis morum ac disciplinæ in singulis ratio habeatur: quales enim ii fuerint qui admittentur, tales prorsus e seminario fructus existent (4). Experientia siquidem compertum est, homines etiam mediocris et tenuis ingenii, si spiritu ecclesiastico, ac vero salutis animarum zelo sint accensi, uberiores in vinea Domini afferre fructus, quam qui, præcipuis istis dotibus destituti, potiori doctrina ac scientia præstant.

XI. Qui, fortasse errore, recepti fuerint pravis moribus infecti, vel qui in seminario jam degentes a recta via aberrare videntur, ac religioni aut virtuti minus addicti inveniantur, quin ulla spes affulgeat emendationis, prudenter eliminentur, ne alios inficiant.

XII. Non recipiantur Seminarii sumptibus alendi, nisi qui ad minimum duodecim annos habeant, ex legitimo matrimonio nati, ac legere, et scribere competenter noverint (5). Lex tamen quæ ætatem præfinit, minime viget pro iis qui propriis sumptibus sustententur (6), quibus janua occludere nullimode oportet, imo trahendi sunt; nam etsi pauperum filios præcipue eligi vult Tridentina Synodus, non tamen ditiores filios excludit, modo suo alantur sumptu, et studium præseferant Deo et Ecclesiæ inserviendi (7).

XIII. Antequam annum studiorum curriculum inchoetur, spiritualibus exercitiis operam dent alumni, uti præcepit Clemens VIII (8), et quoad fieri possit, medio etiam scholari anno, vel versus finem ipsius, saltem per triduum, secessum habeant, a studiis feriati et piis commentationibus tantum intenti.

(1) Conc. Trid. sess. XXIII, c. 18. De ref. (2) Const. *Ubi primum* 3 decr. 1740.

(3) Conc. Trid. loc. cit. (4) S. Carol Borrom. *De Sem. Instit.* p. 1.

(5) Conc. Trid. sess. XXIII, cap. 18 De ref.

(6) S. Cong. Concil. 10 Jun. 1876. (7) Conc. Trid. loc. citat.

(8) Const. *Ea semper* 20 Jun. 1592.

XIV. Quotidie, congruo temporis spatio, de mane, meditationi vacent, aliaque pietatis exercitia juxta Seminarii regulas peragant, et sacrosancto Missæ sacrificio devote assistant. Post prandium et cœnam (quibus durantibus lectio, præsertim de re sacra, habenda est) Smum. Sacramentum invisant et adorent. Smum. Rosarium recitaturi etiam convenient, et conscientiam quotidie excutiant. Semel saltem in mense Sacramentali confessione admissas maculas detergant, et Eucharistica communione reficiantur.

XV. Quoad studia vero, ea omnia doceantur alumni, quæ a Tridentina Synodo præcepta sunt, quæque iis potissimum temporibus necessaria vel utilia esse constat. Adsint itaque gymnasia gramaticæ latinæ, græcæ et hebraicæ, philosophiæ cui adnectantur phisicæ disciplinæ, theologiæ dogmaticæ, moralis, asceticæ et pastoralis, sacrarum Scripturarum, juris canonici, patrologiæ, historiæ præsertim ecclesiasticæ et conciliorum, et eloquentiæ. Nec ullibi desit schola archeologiæ christianæ, sacræ liturgiæ et cantus gregoriani. Adsint etiam, si fieri potest, et alia ad excolendum animum adolescentium in omni eruditionis parte; etsi pro nonnullis vel tardioris ingenii, vel ob sacerdotum inopiam citius ordinandis, breviora instituantur studia philosophiæ et theologiæ, saltem moralis et pastoralis.

XVI. Summa cura advigiletur ut cognitio et usus foveatur linguæ latinæ, utpote Ecclesiæ propriæ, quam oportet summopere clericis omnibus familiarem reddere, cum ea continuo usuri sint in studiis primum, in ecclesiasticis officiis semper. Unde præceptores monemus ut, cum id lectionum materia patiat, eas latino evolvant sermone. Linguæ etiam patriæ plenam cognitionem habere illos volumus, ut prædicationis munere recte et gravi elegantia fungantur.

XVII. Docendi ratio ita ordinetur, ut recenti scientiarum progressui prudenti modo se accommodet, ac simul pericula novitatum et perniciosorum errorum, et maxime rationalisticæ labis diligenter vitet. Methodus scholastica usitetur, quæ utilia arma, ut omnibus comperitum est, præstat ad profligandos errores, sophismata detegenda et veritatem enucleandam. Tam in philisophicis quam in theologicis disciplinis doctrina sequatur scholasticorum principis S. Thomæ Aquinatis, ut de primis in specie sapientissime præceptum est a Smo. Dno. Nostro Leone XIII, in memorabili Encyclica *Æterni Patris*.

XVIII. Qui studiis theologicis vacant, in prædicatione exercean-
tur, proindeque unicuique præscribat Rector thema aliquod vel ex sacro Evangelio depromptum, vel ad virtutem aliquam spectans, ut brevem concionem scribant, quam correctioni submissam et memoriæ traditam, die et loco assignato pronuntient. Defectus, sive in

elocutione, sive in actione, sit qui notet et corrigat. Sic enim assuescent publice loqui digne ac fructuose magno cum animarum proventu.

XIX. Opportunum erit, omnino, ut in omnibus provinciæ Seminariis uniformis sit ratio docendi, scilicet, eadem per annos disciplinarum distributio, iidem, quoad fieri possit, libri, eadem methodus, ut si, aliqua obveniente necessitate ex una ad aliam diocesim transeant alumni facilius studia prosequantur.

XX. Commendamus præceptoribus, ut praxis restituatur perutilis, ea scilicet, ut cuncti alumni earum quas audiunt lectionum compendium suo labore et caractere committant scripto et servent. Aliquando ea revisent magistri.

XXI. Acuenda etiam est modis omnibus inter discentes æmulatio, et hunc in finem optimum erit, ut quavis hebdomada, vel quam sæpe fieri possit, quasdam exercitationes instituere dialectica methodo, ut in palestra solide et stricte argumentandi promptiores et validiores reddantur. Alumnorum merita et demerita notentur, quæ Episcopo significentur, ut in fine anni scholaris, dato publico experimento, fiat solemnis præmiorum distributio. Tertio quoque mense opportunum erit privatum examen haberi.

XXII. Quum variis de causis non omnes pueri in Seminario vitam agere possint ad mentem Concilii Tridentini, permittere cogimur ut nonnulli in domibus parentum, vel aliorum in civitate Episcopali permaneant, et ad Seminarium horis præfixis tantum accedant. Curandum igitur est, ut Rectori probe nota sit familiarum apud quas degant honestas et religio, et ut regulæ pro ipsis alumnis statuatur, quas observent, quæque ad calcem constitutionum Seminarii adnectæ sint, ut per illarum observantia foveatur puerorum pietas et in studiis progressus, usque dum Seminarium ingrediantur et per opportunum temporis spatium ad suscipiendos ordines disponantur.

XXIII. Optandum foret ne alumni vacationum tempore ad proprios lares redirent; experientia enim docet, institutionis clericalis fructum gravi jactura deficere. Curandum est ab Episcopis ut ad hoc pedetentim deveniatur. Sed cum in præsentiarum nec Seminariorum facultates sufficiant ad illos per omne tempus sustentandos, nec domus rusticationis habeantur, prout oporteret, detur quidem venia domum redeundi, sed omnino caveatur ne pietatis præsertim fructus et scientiæ tot conatibus acquisitus misere amittatur. Relaxationis tempus habeant, sed «ita tamen ut relaxatio ecclesiasticam disciplinam redoleat» (1). Appositis igitur litteris, ab Episcopo commendentur singuli propriis eorum parochis, ut totam eorundem agendi

(1) S. Carol. *De Semin. Inst.* P. 1, cap. 7.

rationem per se et per alios invigilent, et, ubi tempus advenerit ad Seminarium redeundi, litteris parochiali sigillo munitis, proprio Ordinario significant quidnam in singulis capitulis, quæ in commendatitiis epistolis expressa fuerint, aliisque etiam in rebus excessus extiterit, vel defectus. Illud vere omnino vitari et prohibere oportet, ne detur alumnis domum suam abire intra annum scholarem, nisi suadente gravissima causa ab Episcopo cognita et probata, nec per diem integrum extra Seminarium etiam in civitate maneant.

XXIV. Cum peropportunum sit, omnia adhibere media ad augendum candidatorum numerum, in variis diœcesium oppidis erigantur gymnasia vel latinitatis scholæ, ubi a probato sacerdote latinam linguam doceantur pueri, qui postea experimento de sufficienti instructione facto, juxta quod in studiorum ratione statuatur, in Seminario recipiantur. Ad addiscendam gramaticam pueros bene moratos attrahant Parochi, et prout superius, in titulo de Sacramento ordinis, ediximus et hortati sumus, tum clerus ipse, tum fideles ad sanctum opus fovendarum vocationum se accingant.

XXV. Volumus ac statuimus Seminaria exempta esse a parochorum jurisdictione intra quorum paroeciarum territorium extracta sunt, vel fuerint, atque Episcopis immediate subjecta, qui vel Rectorem, vel alium constituent super omnes in illis degentes ad omnia obeunda officia quæ curam animarum spectant.

XXVI. Meminerint denuo tam moderatores quam et ipsi alumni, nihil eos sine Christo Jesu facere posse (1). Ad illum itaque confugiant; ipsi adhæreant fide et amore, in ejus Sacratissimo Corde mansionem faciant; ejus auxilia humilibus, fervidisque precibus impetrent et deprecentur, ut ostendat eis viam in qua unumquemque ambulare oporteat, et ut viam vocationis ingressos bonitatem, disciplinam et scientiam doceat (2). Nos etiam fervidissime deprecamur, et sine intermissione orabimus auctorem et consummatorem fidei (3) et Pastorum Principem, qui ascendens super omnes cœlos, sedensque ad dexteram Patris promissum Spiritum Sanctum in filios adoptionis effudit (4), ut ipsum mittat, atque gratia sua efficiat ut domus, ubi tenella hæc pars Dominici gregis congregata est in nomine ejus, repleatur tota spiritu sapientiæ et intellectus, spiritu consilii et fortitudinis, spiritu scientiæ ac pietatis et timoris Domini.

(1) Joann. XV, 5. (2) Hebr. XII, 2.

(3) Præf. Pentec. (4) Id.

TITULUS X.

De superiori Provinciæ Seminario erigendo.

«Nullo unquam tempore, edixit sapientissimus Dominus noster Leo XIII, quam hodiernis diebus, opus fuit ministris Ecclesiæ tanta tamque ampla litterarum sacrarum atque profanarum copia; unde, qui in scholis Seminariorum versantur, clericos quamplurimum refert sedulam navare operam, ut vestigia, exempla que insignium scriptorum sequentes, humanarum omnium litterarum studiis incumbant, habitumque bene dicendi, tum recte scribendi adipiscantur» (1).

Inde pervigil Summus Pastor plures edidit Constitutiones, ad scientiam, præsertim Clericorum, ubique fovendam: celeberrima, ac notissima est, quæ incipit *Æterni Patris* de scholis philosophicis, ad mentem Divi Thomæ Aquinatis instaurandis (2), et ea, cui titulus *Sæpenumero* de historicis libris accurate conscribendis (3), et ea cujus initium *Plane quidem* de ingenuis artibus excolendis (4) quæ quidem luculenter demonstrant, quod primo capite laudatæ hujus Constitutionis, ipsemet Pontifex scribit. «Plane quidem intelligitis, quod sæpe et nos, et non sine causa, diximus summa esse contentione et assiduitate enitendum, ut clericorum ordo quotidie magis doctrinarum cognitione floreat».

Corde etiam nobis semper fuit ecclesiasticas scientiās promovere, ita ut non modo quæ earum elementa constituunt, sed quæ ampliora sunt excolantur, ipsis addendo omnia quæ auxilium præstant ad perfectius dilucidandam, dignoscendam, docendam, et adversus fidei et Ecclesiæ hostium conatus tuendam veritatem et justitiam. Hoc necessarium multoties reputavimus; de hoc jam ante Synodi convocationem fuit a nobis pertractatum; alicubi etiam aliqua præmissa atque tentata: ad hoc, præter cætera omnia quæ de personis ac rebus sacris generatim statuenda censuimus, ut Deo favente, adimpleantur, specialiter in Domino sumus congregati; ad hoc denique sicut hortatus est aliarum regionum Episcopus, hortatur nos Smus. in Christo Pater Leo XIII, dum de Concilio habendo certior factus, benigne rescripsit: «Unam rem commemoramus, quæ tamen tanti est per se, ut vix indigeat commendatione Nostra: eruditionem disciplinamque cleri intelligimus, quo pars præcipua communium curarum vestrarum spectet, necesse est» (5).

(1) Ad Alumn. Colleg. Rom. 1878. (2) 4. Aug. 1879. (3) 18 Aug. 1833.


(4) 20 Maj. 1885. (5) Epist. ad Archiep. Vallisolet. 22 Jun. 1887.

Cumque idem Sanctissimus Præsul Academias Salmaticensem ac Complutensem inter alias non minore laude prosequendas, sumopere commendet, easdemque pristinum induere splendorem percipiat; pro nostra erga litteras benevolentia summa, majorumque nostrorum vestigia prementes, virorum nempe illustrium ex antiquis universitatibus, Vallisoletana præcipue, atque celeberrima Salamantina (de provincia nostra tantum loquentes) ut earum laureæ denuo florescant, quantum vires suppetant enixe curare intendimus.

I. Quapropter præter ea quæ de studiis in Seminariis habendis statuimus, decernimus ut in Civitate Salmantina, artium atque scientiarum olim magistra, pro tota Provincia *Collegium* aperiatur ampliorum studiorum; Philosophiæ scilicet, atque Theologiæ ad mentem Divi Augustini et Divi Thomæ, Critices Bibliçæ, utriusque juris explanationis, necnon Sacrorum Idiomatum, Historiæ, Archeologiæ, et ingenuarum artium, una cum expositione nexus atque concordiæ scientias naturales inter atque fidei dogmata. Hujusmodi schola curricula studiorum in Seminariis conficiendorum latius ac fundamentaliter evolvat, eaque sustentabitur ab omnibus Provinciæ Episcopis, qui ad suas aulas mittent præcellentiores alumnos propriarum Dioceseon, quin tamen extra-provinciales juvenes eas adire prohibeantur.

II. Collatis ergo consiliis, ea omnia disponent provinciæ Antistites quæ necessaria vel congruentia censentur, tum ad Collegii sustentationem, tum ad ejus ordinationem et disciplinam.

III. Ibi certe oportebit Seminariorum nostrorum futuros magistros, ibi etiam viros omni litterarum copia instructos efformari ad rationem reddendam de ea, quæ in nobis est, spe, sacramque religionem de inimicorum telis strenue vindicandam. Faxit Deus, ut quam primum uberrimos hujus instituti fructus percipiat Provincia nostra, unde sicut in anteaactis sæculis, schola Salmantina de sacra civili que republica benemerita proclametur.





PARS SEXTA.

DE VITA CHRISTIANA.

APPARUIT gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus erudiens nos ut abnegantes impietatem et sæcularia desideria, sobrie, et juste et pie vivamus in hoc sæculo, expectantes beatam spem et adventum gloriæ magni Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, qui dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, et mundaret sibi populum acceptabilem sectatorem bonorum operum. Hæc loquere, et exhortare, et argue cum omni imperio» (1). Hæc, quæ dilecto suo Tito scripsit Apostolus Paulus, nobis etiam dicta reputantes, toto animo implere cupimus; non enim, nobis tantum attendere debemus, sed et universo gregi in quo nos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo (2).

In Domino itaque congregati, et de salute animarum, pro quibus Deo rationem reddituri sumus, (3), paterna charitate solliciti, monita ac præcepta christianæ vitæ omnibus tradere debemus et volumus, ut per bona opera certam faciant electionem et vocationem suam (4), et salutem consequantur, quæ est in Christo Jesu Domino nostro (5).

(1) Tit. II, 11 ad 15. (2) Act. XX, 28. (3) Hebr. XIII, 17.

(4) 2. Pet. I, 50. (5) 2. Tim. II, 10.

Audiant nos filii nostri; pro Christo enim legatione fungimur (1), qui viam Dei in veritate docet (2), quique pro salute eorum misit nos docere eos omnia quaecumque mandavit nobis (3), eisque semel iterumque inculcare: «hæc est via: ambulate in ea, et non declinetis neque ad dexteram, neque ad sinistram» (4).

TITULUS I.

De Fide et christiana pietate.

I. Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur, et simus (5). Si autem filii et hæredes; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi (6), quem Salvatorem expectamus, quique reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ (7). Sed quoniam illi tantum sunt Christi, qui habent spiritum ejus, et filii Dei qui spiritu Dei aguntur (8), hortamur, vos ut digne ambuletis vocatione qua vocati estis (9), ut voluntatem Dei facientes, quæ est sanctificatio vestra (10), reportetis promissiones (11). «Agnosce ergo, o christiane dignitatem tuam, et divinæ consors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conversatione redire. Memento cujus capitis, et cujus corporis sis membrum. Reminiscere, quia erutus de potestate tenebrarum, translatus es in Dei lumen et regnum» (12).

II. Hæc nobiscum doceant, et in memoriam omnium, qui christiano censentur nomine, revocent quotquot adjutores nostri sunt in ministerio animarum, ut fide vivant, quæ per charitatem operatur (13), spe roborentur, quæ non confundit (14), charitate accendantur, quæ diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis (15), ut peccatis mortui, justitiæ vivant (16), et cum timore et tremore propriam salutem operentur (17).

III. Scimus quidem, et de hoc in Domino gaudemus, per plurimos in nostris diœcesibus adesse, qui catholicæ fidei et charitatis spiritu animati, Deum ex corde diligunt et mandata ejus observant, Ecclesiæ præcepta custodiunt, divini sacrificii celebrationi assistunt, sacramenta religiose frequentant, atque pietatis, et charitatis opera exercent, ideoque Christi bonus odor sunt in omni loco (18). Magno

(1) 2. Cor. V, 20. (2) Matth. 16. (3) Id. XXVIII, 20. (4) Isai. XXX, 21.

(5) I. Joann. III, 1. (6) Rom. VIII, 17. (7) Philip. III, 21. (8) Rom. VIII, 14.

(9) Ephes. IV, 1. (10) S. Thesal. IV, 3. (11) Hebr. X, 36.

(12) S. Leo: *Serm. 1 de Nativ. Dni.* (13) Gal. V, 6. (14) Rom. V, 5.

(15) Id. id. 10. (16) I. Pet. II, 24. (17) Philip. II, 12. (18) 2. Cor. II, 15.

tamen afficimur dolore, dum pariter scimus, et confiteri cogimur, in quibusdam locis non paucos esse, qui nec spiritu vivunt, nec spiritu ambulant, sed ambulant in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati a via Dei (1), atque a morum honestate christianæque vitæ disciplina deflectunt.

IV. Hos omnes cupientes in visceribus Jesu Christi (2), nobiscum animarum curatores se ipsos impendant et superimpendant (3), ut has oves in ovile reducant, ideoque instent, arguant, obsecrent, increpent in omni patientia et doctrina (4); memoria retinentes quod qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte, et operiet multitudinem peccatorum (5).

V. Et quoniam de fide, sine qua impossibile est placere Deo, et ad consortium filiorum ejus pervenire (6), *in prima parte* loquuti sumus, de ea solummodo iterum inculcare debemus, sine operibus mortuam esse (7), nihilque ad salutem proficere; atque omni conatu duo hæc commendare, scilicet, ut juxta Apostoli monitum, qui se existimat stare, timeat ne cadat (8), omnesque vigilent, et viriliter agant (9), ne quis eos decipiat per philosophias et insanias falsas secundum traditiones hominum, secundum elementa hujus mundi, et non secundum Christum (10); atque ut justitiam, quæ ex fide est Christi Jesu (11), ostendant, ita vivendi rationem componentes, ut quod ore profitentur, operibus ne contradicant, sicut ii qui confitentur se nosse Deum factis autem negant (12), nam ea tantum proficua est fides, quæ per charitatem operatur (13).

VI. «Itaque in tam difficili rerum cursu, catholici homines, si *Vicarium Christi*, ut oportet, audierint, facile videbunt, quæ sua cujusque sint tam *in opinionibus*, quam in *factis* officia. Et in opinando quidem, quæcumque Pontifices Romani tradiderunt, vel tradituri sunt, singula necesse est, et tenere judicio stabili comprehensa, et palam, quoties res postulaverit, profiteri; ac nominatim de iis, quas libertates vocant novissimo tempore quæsitæ, oportet Apostolicæ Sedis stare judicio, et quoad ipsa senserit, idem sentire singulos..... Potest autem aut in privatis, domesticisque rebus, aut in publicis actio versari. Privatim quidem primum officium est, præceptis evangelicis diligentissime conformare vitam et mores, nec recusare, si quid christiana virtus exigat ad patiendum, tolerandumque paulo difficilium. Debent præterea singuli Ecclesiam sic diligere ut communem matrem; ejusque sic servare obedienter leges, et honori servire,

(1) Gal. V, 25. (2) Philip. I, 8. (3) 2. Cor. XII, 15. (4) 2. Tim. IV, 2.

(5) Jac. V, 20. (6) Hebr. XI, 6. (7) Jac. II, 26. (8) 1. Cor. X, 12. (9) Id. XVI, 3.

(10) Coloss. II, 8. (11) Philip. III, 9. (12) Tit. I, 16. (13) Gal. V, 6.

et jura salva velle, conarique ut ab iis, in quod quisque aliquid auctoritate potest, pari pietate colatur, atque ametur. Illud etiam publicæ salutis interest; ad rerum urbanarum administrationem conferre sapienter operam; in eaque studere magis et efficere, ut adolescentibus, ad religionem, ad probos mores informandis ea ratione, qua æquum est christianis, publice consultum sit: quibus ex rebus magnopere pendet singularum salus civitatum. Item catholicorum hominum operam ex hoc tamquam angustiore campo longius excurrere, ipsamque summam rempublicam complecti, generatim utile est atque honestum. *Generatim* eo dicimus, quia hæc præcepta nostra gentes universas attingunt. Ceterum potest alicubi accidere, ut maximis, justissimisque de causis, rempublicam capessere, in muneribusque politicis versari nequaquam expediat.... In hac quidem de rebus maximis contentione, nihil est intestinibus concertationibus, vel partium studio relinquendum loci, sed conspirantibus animis studiisque, id debent universe contendere, quod est commune omnium propositum, religionem, remque publicam conservare. Si quid igitur dissidiorum antea fuit, oportet voluntaria quadam oblivione conterere: si quid temere si quid injuria actum, ad quoscumque demum ea culpa pertineat, compensandum est charitate mutua, et præcipue quodam omnium in Apostolicam Sedem obsequio redimendum» (1).

TITULUS II.

De Deo super omnia diligendo.

«Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua. Hoc est maximum et primum mandatum» (2). Deus enim summum bonum est, a quo bona cuncta procedunt, principium et finis (3), qui fecit rationalem creaturam, ut summum bonum intelligeret, intelligendo amaret, amando possideret, possidendo frueretur (4); quique cum mortui essemus peccatis (5), eripuit nos de potestate tenebrarum, vocavit nos in admirabile lumen suum (6), et transtulit in regnum Filii dilectionis suæ, in quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum (7), et per quem maxima et pretiosa nobis promissa donavit, ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ (8). Nos ergo, clamat Joannes, diligamus Deum, quoniam ipse prior dilexit nos (9).

(1) Leo XIII, *Enycl. Immortale Dei* 1 Mart. 1885. (2) Matth. XXII, 37, 38.

(3) Apoc. I, 8. (4) S. August. *De diligendo Deo* cap. 2. (5) Ephes. II, 5.

(6) 1. Pet. II, 9. (7) Coloss. I, 13, 14. (8) 2. Pet. I, 4. (9) 1. Joann. IV, 19.

I. Ut præ ceteris omnibus sanctissima Dei charitate repleantur corda fidelium, animarum pastores, in primis ipsi illa succensi, ignem hunc, quem Dei Filius misit in terram, et vult ut accendatur (1), vel maximo studio nutriant et foveant in cordibus, divinæ hujus virtutis dignitatem ac pretium, ambitum et fructum exponentes, motiva quoque ac subsidia ad illam augendam suggerentes. Ob oculos omnium ponant immensa Dei, quibus cumulati sumus, beneficia, ut quisque considerans se magno pretio emptum esse (2), Christi videlicet sanguine redemptum, ut adoptionem filii Dei reciperet (3), facile intelligat, quem amorem et pietatem ei præstare oporteat, qui sic dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in ipsum non pereat sed habeat vitam æternam (4). Confessarii item, maxime cum viderint pœnitentes a peccatis mortalibus immunes vivere, omnem curam adhibeant, ut eos in viam christianæ perfectionis, et divini amoris introducant (5).

II. Quoniam vero non solum diligere debeamus Deum nostrum tota mente, ei per fidem adhærendo, et toto corde, affectus nostros ipsi omnino et super omnia consecrando, sed et totis viribus, non diligendo quidem verbo et lingua, sed opere et veritate (6), nam probatio dilectionis exhibitio est operis (7); iterum, iterumque doceantur et hortentur fideles, ut suæ charitatis fervorem ostendant, non in solis pietatis et devotionis exercitiis, sed et præcipue in fidelissima mandatorum Dei observantia, juxta quod a Domino inculcatur: «Qui habet mandata mea, et servat ea, ille est qui diligit me» (8). «Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea, sicut et ego Patris mei præcepta servavi, et maneo in ejus dilectione» (9). «Qui vero dicit, se nosse eum, et mandata ejus non custodit, mendax est, et in hoc veritas non est» (10).

III. Urgeant ergo divinæ legis observantiam, de qua dixit Dominus: «Si vis ad vitam ingredi, serva mandata» (11), ut voluntatem Dei facientes omnes christiani, peccatum devitent, Deo firmiter adhæreant, et in ipso sint, moveantur, et vere vivant, nam qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo (12). Cum vero oratio tam mentalis, quam vocalis, ratio sit omnibus firmior ac efficacior ad practicam æternarum veritatum cognitionem assequendam, ad divina beneficia præ oculis habenda, ad gratiam obtinendam, qua peccatum vitare, justitiam prosequi, Deumque in omnibus et super omnia

(1) Luc. XII, 49. (2) 1. Cor. VI, 20. (3) Gal. IV, 5.

(4) Joann. III, 15. (5) S. Alphons. de Ligor. (6) 1. Joann. III, 18.

(7) S. Greg. Magn. hom. 30 in Evang. (8) Joann. XIV, 21. (9) Id. XV, 10.

(10) 1. Joann. II, 4. (11) Matth. XIX, 17. (12) Joann. IV, 16.

diligere valeamus, non cessent parochi et confessarii tam frugiferum exercitium maxima diligentia fideles edocere, et ad ipsum sine intermissione peragendum hortare, ut pie sancteque vivant, nam pietas ad omnia utilis est (1), eamque omnium virtutum fundamentum vocat Sanctus Ambrosius (2).

TITULUS III.

De charitate in proximos.

Si primum et maximum est mandatum de Deo super omnia diligendo, secundum simile huic est; «diliges proximum tuum sicut te ipsum, et in his duobus mandatis universa lex pendet et prophetæ» (3). Merito igitur scripsit Apostolus Paulus: «plenitudo legis dilectio» (4), «finis autem præcepti est charitas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta» (5).

I. Vehementissimo desiderio desiderantes, hanc excellentissimam virtutem omnium fidelium corda possidere, illos in Domino monemus, et ut incessanter moneantur a coadjutoribus et comministis nostris volumus, ne umquam obliviscantur verba Domini nostri Jesu Christi, Apostolis suis, et in ipsis omnibus dicentis: «Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos» (6). «In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem» (7); illaque Sancti Joannis Apostoli: «si quis dixerit, quoniam diligo Deum, et fratrem suum oderit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum quem videt, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere?, et hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligit et fratrem suum» (8).

II. Discant omnes dignitatem charitatis quæ ex Deo est (9), atque est vinculum perfectionis (10), et operit multitudinem peccatorum (11). Discant ejus extensionem, quæ omnes amplectitur, quin distinctionem faciat inter judæum et græcum, divitem et pauperem, amicum et inimicum; immo neminem inimicum reputat, nam omnes fratres sumus, et unus est Pater et Dominus omnium, dives in misericordia in omnes qui invocant illum (12); unus mediator Dei et hominum Christus Jesus (13), qui pro omnibus tradidit semetipsum, qui pro ipsis qui eum cruci affixerant rogavit ad Patrem excusans illos (14), quique

(1) 1. Tim. IV, 8. (2) Serm. 31. (3) Matth. XXII, 39, 40. (4) Rom. XIII, 10.

(5) 1. Tim. I, 5. (6) Joan. XV, 12. (7) Id. XIII, 35. (8) Id. IV, 20, 21.

(9) Id. id., 7. (10) Coloss. III, 14. (11) 1. Petr. IV, 8.

(12) Rom. X, 12. (13) 1. Tim. II, 5. (14) Luc. XXIII, 34.

nobis dicit: «diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, orate pro persequentibus et calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri, qui in cœlis est» (1).

III. Summopere quidem dolemus contentiones et scissuras et æmulationes esse, quibus charitas læditur, et ex quibus non pauca oboriuntur mala in familiis et in populis. Utinam omnes filii nostri, quos concupiscimus in visceribus Jesu Christi, unum cor essent, et anima una (2), nolentes contristare Spiritum Sanctum Dei, in quo et signati sunt (3), et per quem charitas Dei diffusa est in cordibus nostris (4); ita ut omnis amaritudo, et ira, et indignatio, et clamor, et blasphemia tollatur ab eis cum omni malitia; sint autem invicem benigni, misericordes, donantes invicem, sicut et Deus in Christo donavit illis (5); solliciti conservare unitatem spiritus in vinculo pacis (6). Tunc certe implerent gaudium nostrum, si idem saperent, eandem charitatem habentes, unanimes, idipsum sentientes, nihil per contentionem, neque per inanem gloriam; sed in humilitate superiores invicem arbitantes, non quæ sua sunt singuli considerantes, sed ea quæ aliorum (7), non reddentes malum pro malo, et maledictum pro maledicto, sed e contrario benedicientes (8), et providentes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus (9). «Profecto nihil magis inimici cupiunt, quam ut dissideant catholici inter se: hi vero nihil magis quam dissidia fugiendum putent, memores divini verbi: (10) *omne regnum in se ipsum divisum desolabitur*» (11). «Elaborandum (ergo) est, in conjunctione animorum retinenda: primo enim hoc est cuivis hominum cœtui commune, ut omnis eorum vis et efficientia a voluntatum conspiratione proficiscatur» (12). «Quod si concordie gratia necesse est quemquam de sua sententia, iudicioque desistere, faciat non invitus, sperata utilitate communi» (13).

IV. Adjuvent nos, ad hoc inæstimabile charitatis et pacis bonum assequendum, animarum curatores, de charitate, quæ christianorum tessera est, publice et privatim verba facientes, cunctos hortantes ut omnia sua in charitate fiant (14), et ut spiritum Christi habeant, non ambulantes secundum carnem, cujus opera sunt inimicitie, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, invidiæ, homicidia, et his similia; sed secundum spiritum, cujus fructus est charitas,

(1) Matth. V, 44, 45. (2) Act. IV, 32 (3) Ephes. IV, 30.

(4) Rom. V, 5, (5) Ephes. IV, 31, 32. (6) Id. id., 3. (7) Philip. II, 2, 4.

(8) 1 Pet. III, 8. (9) Rom. XII, 17. (10) Matth. XII, 25.

(11) Leo XIII, *Epist. Encycl. ad Episc. Gallie* 8 Febr. 1884.

(12) Leo XIII *Epist. Encycl. ad Episc. Hispan.* 8 Dec. 1882.

(13) Id. *Ep. cit. ad Episc. Gall.* (14) 1. Cor. XVI, 14.

gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas (1).

V. Nec tantum charitatem commendamus, quæ omnes constringit et colligat in vinculo pacis, sed etiam quæ fratrum indigentiam sublevat, et in misericordiæ operibus gaudet. Ipsa veritas Christus, qui dixit: «pauperes semper habetis vobiscum» (2), ait quoque: «quod feceritis uni ex fratribus meis minimis,» infirmum visitando, nudum cooperiando, famelicum saturando, debilem sustentando, «mihi fecistis» (3). Quibus divinis verbis duo hæc edocemur: inæqualem semper futuram esse hominum conditionem, quin hanc providentiæ divinæ, et ipsius humanæ naturæ ordinationem mutare umquam valituræ sint insanæ philosophiæ et damnati communismi commenta; atque fraternæ charitatis, quæ omnibus indigentis potens est, et unica potens, levamen afferre, talem esse præstantiam, ut qui eam exerceat, ipsum Deum habeat sibi debitorem. Unde ipsemet dixit: «beatius est magis dare quam accipere» (4).

VI. Hortamur ergo fideles omnes qui habent substantiam hujus mundi, ut viscera misericordiæ induti, faciant sibi ex ea oculos qui non veterascunt, eleemosynas videlicet operando, quarum merces in æternum maneat, et numquam avertant faciem suam ab egeno (5), ne audiant illa Christi verba: «quamdiu non fecistis uni de minoribus istis, nec mihi fecistis» (6). «Judicium enim sine misericordia fiet illi, qui non fecit misericordiam» (7). Beatus e contra, qui intelligit super egenum et pauperem: in die mala liberabit eum Dominus (8); quia eleemosyna a morte liberat, et ipsa est quæ purgat peccata, et facit invenire misericordiam et vitam æternam (9).

VII. Catholicam doctrinam de fraterna charitate edoceant parochi, et verbi divini præcones, atque dum divites hortantur, ut honorent Deum de sua substantia (10), et faciant justitias et eleemosynas (11), domos pauperum visitent, verbis piis, paternoque affectu dolores eorum lenire satagant, apertiori manu, et quomodo potuerint, tribuant quo subleventur, matres, pueros, senes, opifices adjuvent et ament, in illis Christum respicientes, qui cum dives esset, pro nobis egenus factus est (12); pauperes similiter hortentur, ut in humilitate et patientia Deum ad orantes, Christum pauperem imitentur, qui omnibus carere voluit, ut illis esset in exemplum, quem si sequantur in terris, remuneratorem habebunt in cœlis.

(1) Gal. V, 19 et seq. (2) Matth. XXIV, 11. (3) Id. XXV, 40.

(4) Act. XX, 35. (5) Eccli. IV, 4. (6) Matth. XXV, 45.

(7) Jac. II, 13. (8) Psalm. XL, 2. (9) Tob. XII, 9.

(10) Prov. III, 9. (11) Tob. XII, 4. (12) 2. Cor. VIII, 9.

VIII. Doceant omnes ultimum hominis finem non in terris inveniri, unde solliciti sint, sed in cœlestibus, et in Deo ipso, ad quem summo prorsus conatu tendere debemus, quærentes primum regnum Dei, et justitiam ejus (1); ideoque cetera omnia, non nisi uti media ad finem ultimum obtinendum habenda esse. Doceant duabus legibus justitiæ nempe et charitatis societatem inniti. Justitia uniuscujusque propria protegit ac tuetur: charitas jura temperat, et corda colligat. Unde sicuti nemini licet aliena bona rapere, immo nec concupiscere, ita ex præcepto charitatis, abundantia divitum debet pauperum inopiam supplere, de illorum superfluis ipsis necessaria suppeditando. Hæc præcipue docenda sunt his temporibus, ad diversos de iis obligationibus errores convellendos. Hoc sane modo melius reviviscere et convalescere potest ægra admodum et infirma societas, quæ deficit, et angustiis circumdatur frigescente in dies charitate, eo quod homines fide languentes, vel cupiditate possidendi pressi ab ea aberrantes, terram, non cœlum aspiciunt, ideoque incidunt in tentationem et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia et nociva, quæ mergunt homines in interitum et perditionem (2).

TITULUS IV.

De christiana obedientia.

Deploranda certissime est humanarum rerum præsens conditio, qua laxatis omnibus fere, sive domesticæ, sive civilis societatis vinculis, cuncta adducuntur in discrimen ac ruinam. Utinam nefandus hic independentiæ spiritus obedientiam quoque Ecclesiæ Dei debitam non impeteret! Dum enim proles suis parentibus, juvenus moderato-ribus, famuli dominis, inferiores superioribus, subditi præpositis tum in temporalibus tum in spiritualibus reverentiam, et in lege Dei, ipsaque natura fundatam obedientiam denegant, necesse est, ut omnis societas, cujus fundamentum justa subordinatio est, periculo subversionis et dissolutionis exponatur.

I. Huic malo, quantum possumus, obviare cupientes, et monitis obtemperantes Smi. Dni. Leonis XIII dicentis nobis: «Curate, ac providete, ut quæ de imperio, deque obediendi officio ab Ecclesia catholica præcipiuntur, ea homines et plane perspecta habeant, et ad vitam agendam diligenter utantur» (3), fideles omnes per viscera misericordiæ Dei nostri monemus et obtestamur, ne huic spiritui obediant, nec satanæ dictamina sequantur, qui Deo servire detrectans,

(1) Matth. VI, 33. (2) 1. Tim. VI, 9. (3) Encycl. *Diuturnum* 29 Jun. 1881.

in profundum inferni lapsus fuit, et totius ordinis inimicus cum sit, homines in superbiam inducit, ut, Dei ordinationi obsistentes, temporales et æternas cum ipso pœnas luant. Imitantur autem illum, qui sunt ex parte ipsius (1), et quasi velamen habentes malitiæ libertatem (2), cujuscumque generis auctoritatem a fundamentis concutere nituntur, dominationem spernunt, majestatem autem blasphemant (3), libertatem, seu potius effrenem licentiam prædicantes.

II. Audiant ergo filii nostri Pauli Apostoli verba: «Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas nisi a Deo; quæ autem sunt, a Deo ordinatæ sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt» (4). Audiant Principem Apostolorum: «Subjecti igitur estote omni creaturæ propter Deum, sive regi... sive ducibus... quia sic est voluntas Dei... quasi liberi..., sed sicut Dei servi» (5). «Similiter et mulieres subditæ sint viris suis, sicut Sara obediebat Abrahamæ, dominum eum vocans (6); quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ, et sicut Ecclesia subjecta est Christo» (7). «Filii, obedite parentibus vestris in Domino; hoc enim justum est: honora patrem tuum, et matrem tuam, quod est mandatum primum in promissione, ut bene sit tibi, et sis longævus super terram: et vos parentes nolite ad iracundiam provocare filios vestros; sed educate eos in disciplina et correptione Domini. Servi, obedite dominis carnalibus cum timore et tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo, non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi, facientes voluntatem Dei ex animo» (8). «Omnes denique obedite præpositis vestris, et subjacete eis (9), qui annuntiant vobis viam salutis (10): ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, et non gementes: hoc enim non expedit vobis» (11).

III. His divinis verbis innixi, eaque explanantes animarum pastores moneant gregem suum, ex Dei mandato auctoritati parendum esse semper, nisi contraria legi Dei, et Ecclesiæ vices ejus gerentis, præcipiantur; tunc enim obedire Deo potius quam hominibus oportet (12). In memoriam omnium vertant, omnia mala, quæ mundum obruunt, ex una Adæ innobedientia originem duxisse, nec sanari posse nisi per obedientiam, quæ ordinem parit, pacem tuetur, hominis felicitatem, quantum ejus conditio patitur, etiam in hac vita gignit;

(1) Sap. II, 25. (2) 1. Pet. II, 16. (3) Jud. 9.

(4) Rom. XIII, 1, 2. (5) 1. Pet. II, 13, 16. (6) Id. III, 1, 6.

(7) Ephes. V. 23, 24. (8) Ephes. VI, 1 ad 6. (9) Hebr. XIII, 17.

(10) Act. XVI, 17. (11) Hebr. XIII, 17. (12) Act. V, 20.

pax enim est tranquillitas ordinis (1), dum e contra ex auctoritatis contemptu oriuntur contempiones, seditiones, iræ, tumultus, et rerum omnium perturbationes. Exemplum illis exhibeant Unigeniti Filii Dei, qui, homo factus, subditus erat parentibus (2), et Patri obediens usque ad mortem crucis, propter quod et Deus exaltavit illum (3).

IV. Et quoniam proverbium est: «Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit non recedet ab ea» (4), «et bonum est viro cum portaverit jugum ab adolescentia sua» (5), omni studio curetur a parentibus, a magistris, et ab animarum pastoribus, spiritum christianæ obedientiæ et humilitatis, qui spiritus est Christi, pueros imbuere; nam qui ab ineunte ætate parentibus carnalibus et spiritualibus obedire non didicerit, multo minus ecclesiasticæ, civilique auctoritati in posterum obtemperabit, atque ipsius Dei præcepta perfacile contemnet, æternamque sibi ruinam præparabit.

TITULUS V.

De Festorum dierum sanctificatione.

Deus, qui terram dedit filiis hominum (6), ne officiorum adorationis, gratitudinis, obedientiæ et orationis erga Creatorem et Dominum memoria oblitteraret, unum diem constituit, quo speciali modo ipsum religiosissime colerent, et externis signis venerationem, quam in animo gerunt, ostenderent. Hoc adumbravit, dum benedixit diei septimo, in quo requievit ab omni opere quod patrarat (7). Postea vero apertissimis verbis locutus est populo suo, cui per Moysen legem dedit, dicens: «Memento ut diem sabbati sanctifices. Septimo autem die, sabbatum Domini tui est: non facies omne opus in eo» (8). In lege nova a tempore Apostolorum (9), dies prima seu Dominica celebrari cœpit, qua nempe Christus e sepulchro surrexit, et nova salutis œconomia per Spiritum Sanctum mundo allata fuit. Ipso Divino Spiritu ducta Sancta Dei Ecclesia alios quoque instituit festos dies, in primis quidem ad recolenda quotannis præcipua religionis nostræ mysteria, tum vero in memoriam Beatissimæ Virginis Dei Genitricis Mariæ, Sanctorum Apostolorum, aliorumque Beatorum cum Christo regnantium. Hæc festa quasi cyclum constituunt, quo tota religio nostra per singulos annos, statis temporibus, tum menti

(1) S. August. *De Civit. Dei* Lib. XIX, cap. 13. (2) Luc. II, 51. (3) Philip. II, 8, 9.

(4) Prov. XXII, 6. (5) Thren. III, 27. (6) Psalm. CXIII, 16. (7) Gen. II, 3.

(8) Exod. XX, 8, 9, 10. (9) Nicol. I, in *respons. ad Episc. Bulgar.* cap. II.

ad alendam fidem, tum memoriæ ad beneficia grato animo commemoranda, et spem augendam, tum præcordiis nostris ad charitatem fovendam vivide imprimitur.

Verum magna cum cordis amaritudine cernimus temporibus nostris, Deo dicatos dies, sanctisque religionis ac pietatis officiis consecratos, non modo sancte, juxta divinum et ecclesiasticum præceptum, non coli; sed quod gravissimum est, nefarie violari operibus, actibus ab eorum sanctitate, et christianæ vitæ studio alienis, unde merito a Pio IX inter atrociora crimina quibus hodie christiana societas turpissime inquinatur, posita fuit dierum festorum violatio (1).

Nec minus dolemus de innumeris malis in populum christianum ex hac nefanda præceptorum transgressione obvenientibus. Ex ea enim fides obscuratur et extinguitur; vinculum, quo pastores ovesque Dominici gregis amplectuntur, relaxatur et obrumpitur; et populus cum a religione ejusque doctrinis, cultura, consiliis, sacramentis avertatur, ignorantia, vitiis, perditisque moribus contaminatur. Ex hoc pessimo fonte fluunt irreverentia, blasphemiam, impietas in Deum, cui omnis paulatim denegatur cultus, prout optant qui satanico religionis evertendæ studio, dies Domini odio prosequuntur, conclamantes: «quiescere faciamus omnes dies festos Dei a terra, et nos non cognoscet amplius» (2). Hinc effrenata cupiditas et vitæ corruptela, qua allekti et abstracti homines, nihil nisi terrenum et animale sapiunt: hinc cujuslibet societatis non religiosæ tantum sed et domesticæ etiam et civilis vincula dissolvuntur: hinc denique ira Dei, quæ venit super filios diffidentiam (3), et sicut olim populum Israël a recta via declinantem, et pactum Domini dissolventem gravissimis pœnis flagellabat, ita nunc manum suam super populos nostros aggravat, et multiplicibus ærumnis opprimit, majoraque minitatur donec resipiscat, et ad eum sincero corde convertatur.

Honorum nos Dei zelantes, animarum salutis et populorum felicitatis cupidissimi, atque innixi auctoritate sacrosancti Concilii Tridentini, Canonum Decretis, et Summorum Pontificum Constitutionibus, sequentia statuimus ac decernimus.

I. Sacerdotes omnes, parochi præsertim, videntes quia viæ Sion lugent, eo quod non sint qui veniant ad solemnitates (4), et cultus Domini imminutus sit propter quod venit ira Dei super filios incredulitatis (5), inter vestibulum et altare assidua oratione Dominum deprecentur, ut parcat populo suo, et ne det hæreditatem suam in opprobrium (6); atque fuis precibus instent cum lacrymis, ut

(1) *Encycl. Gravibus* 24 Dec. 1874. (2) Psalm. LXIII, 8, 9.

(3) Ephes. V, 6. (4) Thren. I, 4. (5) Coloss. III, 5. (6) Joel. II, 17.

cunctorum corda efficaciter inclinet Dominus in observantiam mandatorum suorum. Orent etiam, ut ipsi virtute roborentur ex alto, et verbum eorum quasi facula ardeat, dum populum ad fidem et religionem in festis sanctificandis ostendendam hortentur.

II. Parochi et ecclesiarum rectores sacras functiones stata hora, et ad populi commoditatem celebrent (1). In divinis officiis nimiam festinationem, nimiamque diurnitatem, quæ populo scandalo, aut tædio afficiunt, devitent. Supellectilium nitore, et qua liceat elegantia, atque diebus festis ornatiori apparatu fidelium pietatem alliciant, nihilque intentatum relinquunt ad devotionem fovendam, et pietatem excitandam.

III. In omni patientia et doctrina moneant omnes ne diebus festis omnis eorum pietas in hoc tantum sistat, ut Missam audiant, et a quocumque servili labore cessent; sed finem præcepti esse, ut sanctis operibus deîti propriam sanctificationem operentur. Integrum est fidelibus post divina persoluta officia, post verbum Dei et doctrinam fidei auditam, post pietatis exercitia, mentem relaxare, animumque recreare, ita tamen, ut nec timorem Domini, nec innocentiam christianam violent. Zelantes ergo objurgent parochi illos, qui audita tantum Missa, festos dies otiosi, vel in circulis, vel in spectaculis, vel in venatione agunt. Ac vehementiori contentione in eos attollant vocem, qui dies festos, magna cum animarum corporumque pernicie, et familiam ipsam damnificantes, in aleis, in choreis, in ebrietatibus et comessionibus, aliisque peccatis et vanitate transigere solent.

IV. Summo etiam studio contendant, ut ab omni opere servili fideles deterreant, et sanam atque optimam doctrinam ex Catechismo Romano haurientes, edoceant et declarent, quot mala tam animæ, quam rei familiari, ex dierum festorum infractione immineant, quot vero bona ex Dei benignitate profluant ob ipsorum sanctificationem. Quemadmodum enim quærentibus primum regnum Dei et justitiam ejus, ex divina promissione, omnia ad vitam necessaria adjicientur (2); sic etiam regnum Dei deserentibus, et sola terrena ambientibus, terrena simul et cœlestia subtrahi condignum est, prout judæis, qui Christo obsistentes, temporalia perdere timuerunt, et vitam æternam non cogitaverunt, et sic utrumque amiserunt (3).

V. Quoad festa suppressa mandamus parochis, ut illa annuntient, sicut et cætera quæ observanda subsistunt, et ad audiendam Missam, aliaque pietatis opera persolvenda fideles invitent; unde illam celebrent hora congruenti; non enim fuit Summi Pontificis mens, ut

(1) Sacr. Congr. Concil. 28 Jan. 1771.

(2) Matth. VI, 33. (3) S. August. Tract. 49, in Joan.

sanctorum veneratio minuatur (1): declarent tamen Missam et a servilibus abstinentiam minime esse de præcepto.

VI. Omnes auctoritatem in populis habentes, per charitatem Christi hortamur, et ex officio nostro præcipimus, ut pro suo munere procurent observantiam magni illius divini et ecclesiastici præcepti: officinarum quoque patronos et fabricarum directores, pro Deo et propter Deum rogamus, et jubemus, ut omnem curam adhibeant, quatenus opera servilia in die festo omnino cessent, ne sanctificati Deo dies terreni quæstus causa violentur; unde divinæ benedictionis loco, judicis justissimi iram et maledictionem sibi et industriæ suæ thesaurizent, et sibi ante severissimum Christi Domini tribunal, omnes omissiones, quæ fortasse ex eorum agendi ratione eveniant, culpæ tribuantur. Atque id multo magis timendum est illis, qui vel pravum exemplum inobservantiæ cum scandalo præbent, vel ad laborandum subditos, aut pauperes operarios impellunt, vel aliquo modo impediunt ne festorum sanctitas servetur. Episcoporum erit, quotannis et opportune decretum edere ad dispensationem pro urgentissimis laboribus, tempore messis et vindemiæ peragendis, ad normam sacrorum canonum (2), et juxta quod diversa regionum adjuncta requirant.

VII. Ex Benedicti XIV præscripto, mercatus diebus festis celebrari prohibentur (3), vel saltem de novo introduci. Lamentanda vero est hujus ecclesiasticæ legis inobservantia, quam nullo modo vitare in manu nostra est. Hortentur tamen fideles, ne extra necessitatem, diebus festis ad mercatorum officinas accedant, et, ut pluribus in civitatibus catholici inter se statuerunt, in illarum qualibet numquam mercaturam facere, quæ in dominicis et festivis diebus apertæ sint. Ruricolis præsertim inculcent parochi, ne habitualiter, ex consuetudine, et absque vera necessitate ad civitatem, vel principale regionis oppidum iter agant diebus festis, causa tantum vestes, aliave similia emendi, majorem diei partem in hoc insumentes, atque sese exponentes periculo præceptum de sacro audiendo non adimplendi. Mercatores quoque hortamur, et nobiscum hortentur parochi et confessarii, ut, sicut pluribus fit in locis, inter ipsos conveniant de non exercenda venditione in diebus festis, et ipsos præsertim moneant ne merces suas publice ostentent.

VIII. Summopere tandem optamus et commendamus, ut piæ illæ societates promoveantur, quæ diebus festis observandis et colendis intendunt; idque præsertim inter operarios, artifices, et eos qui

(1) Decr. S. Rit. Congreg. *De imminut. festor in Hispan.* 3 Maji 1867.

(2) Ben. XIV. Instit. LXV. (3) Id. Constit. *Ab eo tempore.*

officinas habent, cui rei parochi, omnesque sacerdotes, operam perquam solertem transmittant, immo vias ad id munitiores, omni industria invenire studeant, ut tali fine potiantur.

TITULUS VI.

De jejunio et abstinentia.

Indubium est, haud exigua christianæ vitæ accedere incrementa ex jejunii et abstinentiæ disciplina. His nempe caro, quæ semper concupiscit adversus spiritum (1), et secundum quam vivere prohibemur ne moriamur (2), crucifigitur cum vitiis et concupiscentiis ejus; mens ad cœlestium contemplationem et desiderium expeditior redditur; pro admissis peccatis Deo satisfacimus, ejusque clementiam impetramus, Unde Ecclesia Deo gratias agit, qui corporalia jejunio vitia comprimit, mentem elevat, virtutem largitur et præmia (3), eumque supplex invocat, qui justis præmia meritorum, et peccatoribus per jejunium veniam præbet (4).

Jam cum Creator Dominus in paradisum induxit primos parentes, legem de non vescendo fructu arboris in medio paradisi plantatæ dedit eis, nuntians mortem nisi obedirent (5). Idem Dominus, per servos suos prophetas, jejunium, velut pœnitentiæ opus sibi acceptum sæpissime commendavit. Salvator quoque noster, licet nullis pœnitentiæ subsidiis indigeret, tamen statim post baptismum quadraginta diebus et quadraginta noctibus jejunavit (6), simulque prædixit discipulos suos, postquam in cœlum ipse ascenderet, jejunaturos esse (7). Quod nuntiatum fuit, adimpleverunt Apostoli et fideles cum ipsis, ut sacræ testantur paginæ; et Ecclesia Catholica in canonicæ disciplinæ legem retulit jejunium, quod ab omnibus servari præcepit per quadraginta ante Pascha dies, necnon aliis anni temporibus, prout optime congruum in Domino judicavit.

Sed quamvis, dispensationibus indulgenter concessis a piissima matre Ecclesia ob temporum iniquitatem hominumque imbecillitatem, antiquus jejuniorum rigor ita temperatus sit, ut ex pia corporis afflictione parum remaneat, non pauci inveniuntur professione catholica haud digni, quorum Deus venter est, qui non nisi terrena sapientes (8), et quæcumque ignorant blasphemantes (9), saluberrimam jejunii et abstinentiæ disciplinam ludibrio habere non verentur, ipsam

(1) Gal. V, 17. (2) Rom. VIII, 13. (3) Præfatio Quadrages.

(4) Or. Fer. IV, Hebdom. IV, Quadrages. (5) Gen. II, 17. (6) Matth. IV, 2.

(7) Id. IX, 15. (8) Philip. III, 19. (9) Jud. 10.

Ecclesiæ potestatem in præcipiendis illis impetere audent ejusque benignas dispensationes parvipendunt, se ipsos illudentes et in ruinam producentes.

Nos igitur sacrosanctæ Tridentinæ Synodo præscriptionibus obtemperantes, quibus pastores jubentur omne adhibere studium ad fideles cohortandos, ut ea, quæ ad domandam carnem conducunt, præsertim ciborum delectum et jejunium omni diligentia amplectantur (1), et ne, inimicorum et malorum hominum cavillationibus seducti tepescant fideles nostri, sequentia decernimus.

I. Animarum pastores, divinique verbi præcones, populorum sæpe edoceant, tum quæ sit jejunii ecclesiastici obligatio, tum quæ ejusdem ratio et finis, tum quibus diebus præcepto satisfacere oporteat. Doceant itaque omnes, spiritui legis hujus se sic tantum satisfacere, si jejunio orationem, aliaque pia opera junxerint, et si non solum a cibis, sed et a vitiis abstineant et profanis spectaculis. Non enim, ut observat S. Leo, in sola abstinencia cibi stat nostri summa jejunii, aut fructuose corpori esca subtrahitur, nisi mens ab iniquitate revoceatur, et ab obtreccionibus linguæ cohibeatur (2). Jejunium enim magnum et generale est, ait etiam S. Augustinus, abstinere ab iniquitatibus, et ab illicitis voluptatibus sæculi (3).

II. Ne ignorantia delinquant fideles, opportune et solito more nuntientur dies, quibus jejunari debet, et adventante præsertim Quadragesima, summo zelo hortentur ad hoc sacratissimum tempus omni pietate, et pœnitentiæ spiritu colendum, imitantes Dominum Jesum Christum in deserto jejunantem et orantem. Sunt enim, ait S. Carolus, illi quadraginta dies quasi totius anni decima quædam, quæ in oblatione jejunii pro fidelium omnium salute Deo consecratur (4). Dum sanam populo tradunt doctrinam, omnibus inculcent, ut ex hujus præcepti observatione, occasionem arripiant catholicæ fidei, et erga Christi Ecclesiam obedientiæ palam profitendæ: inobedientia enim fidei emortuæ documentum est.

III. Lege abstinentiæ obstringuntur septennio majores: lege jejunii, qui vigesimum primum ætatis annum egressi sunt (5). Eximuntur autem illi, quos aut ætas incurvat, aut languor extenuat, aut necessitas arctat. Ne tamen in erroneam conscientiam inducantur fideles, parochi, saltem generatim, doceant quosnam teneri, vel non teneri certum sit, ostendentes, qui sunt labores aliæve causæ a jejunii onere eximentes; moneantque ne in dubio, proprio judicio definiant, sed rem

(1) Sess. XXV, Decret. *de delectu cibor.* (2) Serm. 41, in Quadrag.

(3) Can. *Jejunium.* Dist. V, De consecr.—Tract. 17, in Joann.

(4) Concil. 1. Mediol. P. II, cap. 7. (5) S. Thom. 2. 2.^æ q. 147, a. 4.

ad ipsum parochum, vel ad confessarium, aut saltem ad timoratae conscientiae personam deferant, nisi de casu repentino agatur; tunc enim ex adjunctis ipsimet christiana prudentia judicare poterunt.

IV. Instanter etiam suademus piis fidelibus, ac praesertim clericis et sacerdotibus, ut totum proprii jejunii exercitium, et abnegationis cujuslibet sacrificium, Deo simul offerant in satisfactionem pro plurimis peccatis et omissionibus, quibus jejunii osores, et legis Ecclesiae contemptores Majestatem divinam offendere non reformidant. Utinam hujusmodi satisfactionis sacrificium omnibus, pro quibus offeratur fiat propitiabile, illisque copiosam poenitentiae gratiam impetrare a Domino valeat.

V. Non omittant parochi, et concionatores clare exponere, quibus privilegiis gaudeant fideles vi Bullae Cruciatæ, et indulti Quadragesimalis, et quomodo iis uti oporteat. Omnes zelanter hortentur, ut gratiam tam insignem minime parvifaciant, qua praecipuum jejunii et abstinentiae tantopere mitigatur, et tot spiritualia beneficia in animarum salutem tribuuntur.

VI. Bullam majori, qua fieri possit, solemnitate quotannis recipiant, et promulgent parochi die solito, omnique diligentia procurent eam ab omnibus suscipi et aestimari, ut dum propriae utilitate consulunt, paupertati Ecclesiae, et divino cultui subveniant, necnon nosocomiis et pauperibus in quorum necessitatibus sublevandis eleemosynae Bullae et Indultus expenduntur. Doceant eleemosynam minimo habendam esse uti pretium gratiarum et dispensationum quae per Bullam tribuuntur; sed uti opus charitatis praecipuum iis, qui privilegiis perfrui exoptant, et in locum abstinentiae subrogatum, ut per eleemosynam, de qua Tobiae loquens Angelus dixit, quod purgat peccata, et facit invenire misericordiam et vitam aeternam (1), fideles consequantur facilius spiritualia bona, quae non nisi majori cum incommodo, et corporis mortificatione sibi procurare tenebantur, dicente S. Leone: «quia non solo jejunio animarum nostrarum salus acquiritur, jejunium nostrum misericordiis pauperum suppleamur» (2). Doceant insuper integrum unicuique esse Bullam accipere, vel non: nullimode tamen licere iis, qui eam suscipere renuunt, vel omittunt, ejusdem Bullae privilegiis perfrui, ideoque teneri ad legem abstinentiae stricte servandam, quae generalis cum sit, omnes fideles sub gravi obstringit, nisi legitime dispensentur.

(1) Tob. XIII, 9.

(2) Serm. 12, de jejunio decimi mensis.

TITULUS VII.

De mediis ad pietatem fovendam.

§ I.

De pietate, seu cultu domestico.

Auctor societatis domesticæ, ipsiusque rector cum sit Deus, a quo omnis paternitas in cœlo et in terra nominatur (1), merito in privata familiarum vita colendus est sincera ac debita pietate, ad religionis sensus alendos, ad fidem confirmandam ac profitendam, cœlestem Patrem glorificandum, ejusque copiosam benedictionem in omnibus assequendam.

Dolendum vel maxime est, quod cultus hic domesticus in omni fere hominum classe valde imminutus sit, et in non paucis familiis penitus extinctus, magno cum ipsarum etiam in temporalibus detrimento. Quodammodo enim se ipsas profanant, et dum Deum e suæ habitationis sacrario exulare faciunt, omnibus illis benedictionibus sese carere volunt, quæ promisit Dominus timentibus ac diligentibus se.

I. Patres igitur et matres familias, per suam, suorumque salutem, enixe obtestamur et provocamus, ut pietatis opera, quæ domesticum cultum constituunt, in suas domos instaurare satagant, si forte neglecta sunt et restituta, omni meliori modo perficere studeant. In hoc salutiferæ et christianæ familiarum instauracionis opus incumbant parochi, omnesque Dei ministri, tum publicis, tum privatis adhortationibus, tum præcipue exemplo suo fideles omnes præeuntes, et in propria domo omnia pie perficientes, et a suis domesticis perfici curantes. Nihil enim reipublicæ sacræ atque profanæ utilius, quam familiæ disciplinam secundum cor Domini constitutam esse.

II. Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum, dixit Dominus Jesus Christus (2), dum promisit fieri a Patre quod illi consentientes petierint. Ne ergo divina priventur præsentia et promissione, pietatis opera in commune peragant familiæ christianæ. Hac certe perfruenter assistentia illæ, quæ mane et vespere Deum, a quo bona cuncta procedunt, adorent, et devote supplicent; quæ ante et post refectionem, ab illo, qui dat escam esurientibus (3), petant benedictionem, et referant gratiarum actiones; quæ ad trinum salutationis angelicæ pulsum, Dei Genitricem venerentur

(1) Ephes. III, 15. (2) Matth. XVIII, 20. (3) Ps. CXLV, 7.

et invocent, memoriam Incarnationis divini Verbi recolentes; quæ in communi Sanctissimum ipsius Bmæ. Virginis Rosarium quotidie recitent, ut olim in omnibus locis et domibus recitabatur, et ad quod faciendum semel atque iterum fideles omnes invitat Smus. Dominus Leo XIII, atque cum illo nos illos invitamus, ut sub protectione benignissimæ Matris constitutæ familiæ, omni repleantur benedictione. Faxit Deus ut vocem nostram audiant omnes filii nostri, et pie, constanterque adimpleant hæc, quæ memoravimus, pietatis exercitia, necnon et alia quæ olim etiam in domibus fidelium usu erant, uti salutationem in ingressu cum verbis *Ave Maria*, vel *Laudetur Deus*, et similia.

III. Patres familias hortamur quoque, ut domus suæ parietes sacris imaginibus ornent, quæ fidei mysteria, et redemptionis beneficia, atque sanctorum virtutes in mentem revocant. Absint omnino a fidelium habitaculis imagines mithologicæ, obscenæ, et Ecclesiæ inimicorum, omniaque alia concupiscentiam foventia. Sit illis aurea regula, quam dux Israelitarum fortissimus Josue sibi proposuit: «Ego et domus mea serviemus Domino» (1). Qui ita se gerant, bonus odor Christi erunt in omni loco (2), et accipient benedictionem a Domino, et misericordiam a Deo salutari suo (3). Hac benedictione, hac misericordia ditata christiana domus, ad normam Ecclesiæ et sub ejus salutaribus auspiciis constituta, non terrena, sed cœlestis societas verissime erit; reviviscet enim, qui pene evanuit, spiritus familiæ, vita parentum ad domus interiora redibit, ut labores et sollicitudines, preces et gaudia in conspectu Dei communia sint et intima, et virtutum exemplis se mutuo juvantia familiæ membra, tranquillam agent vitam in terris, beatitudinem consequentur in cœlis.

§ II.

De christiana educatione.

I. Omnium curarum quæ parentibus incumbunt, princeps et urgentissima est filiorum a tenera ætate educatio. Ipsi primi dati sunt filiorum institutores a Deo, cui rationem reddituri sunt pro animabus illorum (4), non enim eis filios tradidit tantum ut corpus alant, sed ut animæ curam agant, et eo majori studio, quo majoris est pretii, utpote sanguine Christi redemptæ, et per baptismum adoptionem filiorum Dei assecutæ. Ad hoc munus mature recteque adimplendum hortantur in Sacris Scripturis: «Filii tibi sunt? Erudi illos, et curva

(1) Josue, XXIV, 15. (2) 2. Cor. II, 15. (3) Ps. XXIII, 5. (4) Hebr. XIII, 17.

illos a pueritia illorum» (1). «Erudi filium tuum, et recreabit te; puer autem qui dimittitur voluntati suæ, confundit matrem suam» (2). «Vos, patres, educate illos in disciplina et correptione Domini» (3).

II. Cum vero ad hoc tendat educatio, ut omnes hominis vires et facultates harmonice ad unum finem erudiantur, qui alius esse nequit, nisi finis hominis ultimus idemque æternus, in religione fundari debet vera educatio; ideoque fides, sine qua impossibile est placere Deo, et ad consortium filiorum ejus pervenire (4), ac pietas, quæ utilis est ad omnia (5), summo conatu inserendæ ac fovendæ sunt a parentibus in corde filiorum, ut ipsis vera bona temporalia præparent, et æterna; cum non nisi ex infantibus bene educatis exurgere possit populus fidelis sectator bonorum operum, timens Deum, et ambulans in viis ejus.

III. A tenera quidem ætate hoc opus inchoandum est: ad instar ceræ mollis sunt etenim parvulorum animæ, formam quam imprimere libet, facile suscipientes; nec minime despicienda est, sed omni studio colenda illa ætas, quam Dominus ipse amplexus est, et commendavit (6), ideoque curandum, ut præveniatur anima a Deo, et pro Deo creata, in ipsa intelligentiæ aurora monitis salutis, quibus ad religionem cultum, et cordis puritatem instituat, cito occupetur divinis, ne subintrent mundus et diabolus, quibus in baptismo renuntiavit. «Etenim quorum prima ætas ad religionem erudita non est, sine ulla cognitione adulescent rerum maximarum, quæ in hominibus alere virtutum studia, et appetitus regere rationi contrarios solæ possunt» (7).

IV. Curam itaque assiduam gerant parochi de christiana puerorum institutione in sinu familiarum, et frequenter moneant parentes de hac gravissima obligatione, quæ quidem non tantum tenerrimam ætatem respicit, sed et adultiorem. In illa enim seminandum est bonum semen in terra bona innocentium cordium; in ista advigilandum ne superveniat inimicus homo, et superseminet zizania (8), et curandum summo opere, ne ex naturæ corruptione, spinæ et tribuli germinet: sensus enim et cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua (9).

V. Sciant parentes, non verbo solum, sed et opere et exemplo, pietatis sensus in filiorum cordibus infundere teneri, ideoque ad templum Domini eos secum deferre, in domo christiani moris habitus illis

(1) Eccli. VII, 25. (2) Prov. XXIX, 15 17. (3) Ephes. VI, 4.

(4) Hebr. XI, 6. (5) I, Tim. IV, 8. (6) Marc. X, 16.

(7) Leo XIII, Encycl. *Nobilissima* ad Episc. Gall. 8 Feb. 1884.

(8) Matt. XIII, 25. (9) Gen. VIII, 21.

instillare, et ante omnia fidei veritates eos docere, quin ab hoc abstinendum credant, eo quod scholas et catechesim parochialem frequentent. Filios ergo interrogent parentes circa ea, quæ illis in locis audiverunt, quæque de religione et de vita christiana scitu necessaria sunt. Non raro enim contingit, quod ab ipso sacro ministro labore non levi ædificatum fuit, destrui, si intra domesticos parietes omnis prorsus christiana institutio negligitur, vel quod pejus est, pravis exemplis contradicitur.

VI. Genitoribus incessanter in animum revocent parochi gravem in filios advigilandi obligationem, ut pravis amicis et sodalibus, atque periculosis cœtibus abstineant, necnon perscrutandi quænam sint loca quæ frequentant, graviusque denique officium filios eo non duce, ubi pericula contra fidem et bonos mores esse possunt.

VII. Nec minus monendi sunt parentes, ne filios in scholas mittant ubi minime docetur fides catholica, immo errores, et ipse atheismus in puerorum mentibus et cordibus ab hæreticis et impiis magistris inseruntur. Parentes, qui ita institui permittunt filios suos, vix enormius peccatum committere possunt contra religionem, societatem et naturam ipsam; et a sacramentis arcendi sunt, ut in P. I. tit. VI § III ediximus. Hoc vel maxime inculcandum est miserrimis his temporibus; nam «nemo certe ignorare potest, tristissimam ac deplorandam conditionem, in quam hodierna societas magis in dies prolabitur, derivare ex tot funestissimis machinationibus, quæ adhibentur, ut a publicis institutionibus, ac domesticis familiis quotidie magis sanctissima Christi fides, religio, ejusque salutaris doctrina amoveatur, et saluberrima ejus vis coangustetur et præpediatur» (1).

VIII. Invigilare debent similiter patresfamilias, qui familiares ac servos habent, ne ullum admittant, qui ex pravis moribus, vel loquendi licentia, scandalum pusillis esse possit. Quos tales repererint, coerceant, et quam primum e domo ejiciant, ne modicum hoc fermentum totam familiæ massam corrumpat (2). Etiam bene moratos observent, et ad pietatem excitent, ad catechesim et ad prædicationem verbi divini eos secum deferendo, atque curantes, ut Sacramenta frequentent, et orationis pabulo nutriantur, illud gravissimum Pauli Apostoli effatum considerantes: «Qui suorum et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior» (3).

IX. Perpendant patres et matresfamilias se, pro obligatione hac conscientiose expleta, gaudio ineffabili et purissimo perfusum iri, dum viderint, verbo et exemplo suo, membra familiæ suæ in pietate

(1) Pius IX, Epist. *Quum non sine* ad Archiep. Friburg. 14 Jul. 1864.

(2) I, Cor. V. 6. (3) I, Tim. V, 8.

et cultu Dei, virtutumque disciplina proficere, atque ipsis esse coronam et decus. Meminerint e contra, non nisi spinas et tribulos germinaturam ipsis esse terram, corda scilicet filiorum, si desertam et inaquosam relinquerint, ac demum durissimum eis timendum esse iudicium, si suos non erudierint ad justitiam. Ne deterreantur obstaculis quæ se experturos prævident: sperent in Domino, et incessanter eum adprecentur, qui bonus est animæ quærenti illum (1), et dabit spiritum bonum petentibus se (2). Pro animabus filiorum fervide orent semper, præcipue si eos a via recta declinare viderint. Oravit et flevit Monica, et anima errantis filii Augustini data est ei, immo data est Ecclesiæ, cujus magnus Doctor evasit, data est cœlo, ubi cum matre splendidissima fulget gloria in perpetuas æternitates. Seminent itaque in lacrymis, et in exultatione metent (3).

§ III.

De catechesi.

Dum parentes de strictissima obligatione educandi filios in fide ac pietate admonent parochi, meminerint sibi in hoc santissimo negotio principalem partem incumbere. Animarum vocantur et sunt pastores; baptismum conferentes Deo et Ecclesiæ generant filios, quos ab Ecclesia recipiunt spiritualiter nutriendos; Christi vices gerunt, qui omnibus pro se legatione fungentibus dicit: «euntes, docete omnes gentes servare omnia quæcumque mandavi vobis» (4); ab ipso et ab Ecclesia præpositi sunt animabus, et pro ipsis rationem Deo reddituri sunt (5); ab ipsa denique Ecclesia, gravissima, et sub gravibus pœnis imponitur eis obligatio christianam doctrinam pueros ac rudes edocendi (6).

Nobilissimum quidem est hoc munus, quod æstimarunt, et sibi ipsis vindicarunt sanctissimi præules, et sacerdotes non parochi. Quid enim majus, ait Chrysostomus, quam adolescentulorum fingere mores? (7). Ipsemet Christus ad id nos allicit, dum advocans parvulum, et statuens eum in medio discipulorum dicit: «Qui susceperit unum parvulum talem in nomine meo, me suscipit» (8), et dum iterum dicit: «Sinite parvulos venire ad me, et ne prohibueritis eos: talium enim est regnum cœlorum» (9).

Necessarium etiam est huic præstantissimo operi manus impensius admoveere periculoso hoc tempore, cum omnibus pateat

(1) Thren. III, 25. (2) Luc. XI, 13. (3) Ps. CXXV, 6.

(4) Matth. XXVIII, 19, 20. (5) Hebr. XIII, 17. (6) Conc. Trid. sess. XXIV.

(7) Hom. 60 in Evang. Matth. c. 13. (8) Matth. XVIII, 5. (9) Id. XIX, 14.

«hodiernos religionis, humanæque societatis inimicos, diabolico plane spiritu, in id suas artes conferre, ut juveniles mentes et corda a prima ipsa ætate pervertant... Parochi ipsi... in pueros ad christianæ doctrinæ primordia instruendos quotidie magis incumbant, eamque institutionem ad graviore sui muneris partes omnino pertinere meminerint» (1).

Obligatorium esse nemo inficias ibit, jubentibus sacrosanctis Conciliis, Tridentino præsertim, ut *saltem* Dominicis, aliisque festivis diebus, pueri in singulis parœciis fidei rudimenta, et obedientiam erga Deum et parentes diligenter edoceantur a parochis, atque ad id compellantur ab Episcopis, etiam per ecclesiasticas censuras (2). Hoc ipsum statuerunt Romani Pontifices, ac speciali modo pro Hispania nostra, et strictissimis verbis, Innocentius XIII, quin in contrarium allegari possit immemorabilis consuetudo, quam uti pravam corruptelam damnat, vel quod mysteriis fidei in scholis aut in compitis imbuantur pueri (3). Si hoc præceptum fuit illo in tempore, quo pueri et fideles nihil contrarium fidei ac religioni audiebant in domibus et in scholis, multo magis necessarium est hisce nostris diebus, dum ubique inveniuntur errorum magistri, et ignorantiam religionis omnes deploramus.

I. Nos proinde ex gravissimo responsionis onere, quod nobis respectu fidelium nostrorum incumbit, parochos omnes per viscera Jesu Christi monemus, immo in virtute obedientiæ adstringimus, ut Dei gloriam zelantes et animarum saluti prospicientes, libenter et assidue doctrinam christianam publice doceant, pueros et puellas in ecclesiam convocantes, illosque, in duas vel plures classes constituent, maribus ac foeminis omnino sejunctis. Jam vero, etsi munus christianæ doctrinæ tradendæ parochi, nisi in actu legitime impediti, per se ipsos adimplere teneantur, monita tamen Benecicti XIV sectantes (4), jubemus, ut illis semper in auxilium veniant omnes parœciæ sacerdotes, et clerici. Hi, nisi fecerint, ad majorem gradum minime admittentur. Sacerdotes, qui ab hoc tam pio et salutari opere se subducere velint, præterquam quod sibi timendum erit, ne vineæ Dominus ipsis exprobet quod hominibus stantibus in foro otiosis objecit (5), noverint insuper nullum ab Episcopo suo habendum illis respectum cum de beneficiis agatur, vel de aliis in Ecclesia muneribus provideatur.

II. Ad unitatem formæ et methodi in catechesibus totius provinciæ, a Benedicto XIV tantopere commendatam (6), adhibeatur

(1) Pius IX Encycl. *Nostis* 3 Dec. 1849. Ben. XIV. Const. *Etsi minime* 7 Febr. 1742.

(2) Sess. XXIV, cap 5 De ref. (3) Const. *Apostolici ministerii* 13 Maji 1723.

(4) Const. *Etsi minime*, 7 Febr. 1742. (5) Matth. XX, 6. (6) Const. citat.

Catechismum a R. P. Gaspare Astete conscriptus, et ubique a longo jam tempore admissus, cum additionibus factis in novissima editione Vallisoletana a Rmo. Archiepiscopo probata, quem omnibus proponendum et utendum decernimus. Peropportunum etiam erit formulam actuum fidei, spei, et charitatis unam eamdemque esse in Diœcesibus nostris, et eam quæ ad calcem prædicti Catechismi apposita invenitur.

III. Parentes et puerorum curatores moneant, et hortentur parochi, ut illos ad catechesim mittant, immo et ipsi eos comitentur. Ne tædio afficiantur parvuli, curandum est, ne horæ spatium ordinarie excedat catechesis, atque piis precibus et canticis inchoetur et finiat. Preces sint orandi formulæ usitatæ, et scitu necessariae, uti, præter orationem Dominicam et salutationem Angelicam, Symbolum Apostolorum, actus virtutum theologicarum, et similia. Cantica eo tendant, ut adamato illorum usu, mundanæ et lascivæ cantiones ab ore et auribus fidelium magis magisque arceantur. Piis præterea munusculis alliciantur pueri, quibus facilius trahantur, et ad constantiam in assistendo et conatum in discendo magis magisque excitentur.

IV. Si vero tanta sit puerorum frequentia, ut ad omnes simul docendos ac vigilandos nec parochus sufficiat, nec qui e clero ei adjutores sunt, alios quoque operarios vocet in messem Patrisfamilias, a quo certissime mercedem suam accipient. Vocentur ad hoc præter ludimagistros, fideles ac pii utriusque sexus laici, et instituatur Sodalitium doctrinæ christianæ a Summis Pontificibus commendatum et indulgentiis auctum (1).

V. Institutionis religiosæ proficua methodus ea est, ut verba catechismi fideliter memoriæ mandentur: ne tamen sint verba in aere sonantia, in suo sensu et nexu explanentur; prout ætas et intelligentia fert puerorum et audientium, præcipuam operam collocando in eo, ut pueri attendant ad ea quæ dicuntur, et omni cum patientia proponantur ipsis explicationes, exempla, comparationes, ut veritates auditæ spiritui et cordibus altius inhæreant, atque indicato practico usu, moribus quotidie exprimentur.

VI. Dolendum cum sit, non paucos inter adultos reperiri, qui etiam de scitu necessariis ad salutem ignorantia laborant, eos omni charitatis officio et industria attrahere curent parochi, ut ignorantiam tam exitiosam quamtocius ex eorum mentibus depellant. Quod si ad publicam catechesim assistere omnino renuant, illos omni patientia opportune convenire studeant, et privatim erudiendos curent, quod in specie commendamus fieri cum iis, qui proxime nuptias inire voluerint.

(1) Paul. V, Const. *Ex credito nobis*, 6 Oct. 1607.

VII. Optamus, ut *Dominicales Scholæ* in præcipuis saltem oppidis instituantur, prout laudabiliter in nonnullis factum esse lætamur, in quibus puellæ in domibus divitum inservientes; vel in fabricis laborantes instituantur in doctrina fidei et morum, necnon in aliis cognitionibus, quæ ipsis, pro conditione vitæ, necessariæ sunt, vel utiles. His provide inserantur ea quæ conducunt, ut præmuniatur adolescentium ætas contra morum corruptelam et seductiones, ut assuescat præpositis ac parentibus obedire, fugiat consortia prava, omnemque vitæ rationem sanctæ religionis placitis conformare discat.

VIII. Invisant etiam parochi scholas, et diligenter inquirent de christiana puerorum educatione. Si quid inordinatum, vel religioni adversantem repererint, omni meliori quo possint modo remedium procurent. Quod si impediuntur suo munere fungi, vel minime possint obviare irruentibus malis, ad Episcopum rem deferant, ut opportune provideat.

IX. Verba denique Pii IX audiant parochi: «Iidem vero admonendi erunt, ut in suis, sive ad pueros, sive ad reliquam plebem instructionibus habere ob oculos non omittant Catechismum Romanum, quem ex Decreto Tridentini Concilii et S. Pii V, immortalis memoriæ decessoris nostri jussu, editum, alii porro Summi Pontifices, ac nominatim fel. rec. Clemens VIII cunctis animarum pastoribus denuo commendatum voluit (1), tamquam *ad pravarum opinionum fraudes removendas, et veram sanamque doctrinam propagandam, stabiliendamque opportunissimum subsidium*» (2).

§ IV.

De prædicatione verbi divini.

Ad conservandam fidem, pietatem augendam, et mores populi promovendos, nihil magis conducit quam verbi divini frequens et opportuna prædicatio. «Fides enim ex auditu: auditus autem per verbum Christi,» ait Apostolus (3). «Quomodo ergo invocabunt in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante?» (4). Idcirco Salvator noster Apostolos suos misit dicens: «Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ (5), docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis» (6). Nam quia in Dei sapientia non cognovit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes (7).

(1) Const. *In Dominico agro* 14 Jun. 1761. (2) *Encycl. Nostis* 8 Dec. 1849. (3) Rom. X, 17.

(4) Rom. X, 14. (5) Marc. XVI, 15. (6) Matth. XXVIII, 19. (7) 1. Cor. I, 21.

Divini verbi prædicatione opus fuit semper, ut confutentur errores, compescantur vitia, corrigantur excessus, promoveatur morum honestas, virtutes foveantur omnesque fideles suæ religionis consolationem habeant; sed nunc magis necessaria evadit, cum variis et perniciosis opinionibus simplicium animas miserandum in modum depravare omni arte conantur inimici homines, audaces, sibi placentes, qui sectas non metuunt introducere blasphemantes (1), gratiam Dei transferentes in luxuriam, et solum dominatorem et Dominum nostrum Jesum Christum negantes (2).

Ut vero eorum molimina in irritum cadant, satagendum omnino est, ne populus de christiana doctrina, ac de lege Domini parum instructus, et diuturna in multis grassantium vitiorum licentia hebetatus, paratas sibi insidias, et propositorum errorum pravitatem agnoscere vix possit.

Ita necessaria est verbi divini prædicatio, ut pastores, qui eam populo subtrahunt, maledictionem Dei in se concitabunt, animasque fame conficient et periment: unde sæpe minatur Dominus, se sanguinem earum de manu ipsorum requisiturum (3). Idcirco Tridentina Synodus expresse mandavit, ut qui «parochiales, vel alias curam animarum habentes Ecclesias, quocumque modo obtinent, per se, vel alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem Dominicis et festis solemnibus, plebes sibi commissas, pro sua et earum capacitate, pascant salutaribus verbis, docendo quæ scire omnibus necessarium est ad salutem; annuntiandoque eis, cum brevitate et facilitate sermonis, vitia quæ eos declinare, virtutes quas sectari oporteat, ut pœnam æternam evadere, et cœlestem gloriam consequi valeant» (4). «Tempore autem jejuniorum Quadragesimæ et Adventus Domini quotidie vel saltem tribus in hebdomada diebus, si Episcopi ita oportere duxerint, sacras Scripturas divinamque legem annuntient» (5).

I. Nos igitur hæc Tridentinorum Patrum decreta præ oculis habentes, per salutem immortalium animarum, cunctos animarum pastores monemus et obsecramus, immo præcipimus, ut verbum divinum statutis diebus annuntient, et excellentissimum munus docendi populum viam salutis magna cum alacritate adimpleant.

II. Sciant omnes, nemini licere verbum Dei prædicare sine legitima missione. Nemo igitur, nisi ex proprio munere ipsi jure competat, in provinciæ hujus ecclesiis, jurisdictioni Ordinarii subjectis, prædicare præsumat, nisi prius ejusdem Ordinarii licentiam, suorumque superiorum, si Regularis fuerit, approbationem et facultatem

(1) 2. Pet. II, 10. (2) Jud. 4. (3) Ezech. XXXIII, 8.

(4) Conc. Trid. sess. V, cap. 2. De ref. (5) Sess. XXIV, cap. 4. De ref.

obtinuerit (1). Recolenda sunt quoque Concilii Tridentini verba: «Nullus sæcularis sive regularis etiam in ecclesiis suorum ordinum, contradicente Episcopo, prædicare præsumat» (2).

III. Qui ad tam salutiferum ministerium accinguntur, attente considerare debent quæ scripsit Hispanæ Ecclesiæ Doctor et decus S. Isidorus Hispalensis: «Qui in erudiendis atque instituendis ad salutem populis præerit, necesse est, ut in omnibus sanctus sit, et in nullo reprehensibilis habeatur. Qui enim alium de peccato arguit, ipse a peccatis debet esse alienus.... Cui etiam scientia Scripturarum necessaria est: quia si illius tantum sancta sit vita, sibi soli prodest sic vivens. Porro si et doctrina et sermone fuerit eruditus, potest ceteros quoque instruere, et docere suos, et adversarios repercutere» (3). Ex his facile intelligere possunt omnes, quanto studio curare debent, ut se ipsos probabiles exhibeant Deo (4), et operarios inconfusibiles qui honorificent ministerium suum (5). Sint lucernæ prius ardentes, postea lucentes (6), imitantes Jesum, qui cœpit primo facere, dein docere (7). Illa namque vox lubentius auditorum corda penetrat, quam dicentis vita commendat, quia tunc quod loquendo imperat, ostendendo adjuvat ut fiat (8), et ut admonet Chrysostomus, «si virtute splendere curemus, ad nos trahemus omnes, qui venire elegerint ad salutem. Omni tuba documenta operum clariora sunt. Si mansueti, misericordes, pacifici, humiles ac mundo corde fuerimus, non minus efficaciter quam per miracula spectatores nostros ad veritatem trahemus» (9). Nullus reprehendi mereatur: «qui alium docet, seipsum non docet» (10). Nulli timendum sit, ne dum aliis prædicaverit, ipse reprobus efficiatur (11).

IV. Colligant etiam quanti momenti sit diligens et accurata ad prædicandum præparatio; cujus prima pars sit pia meditatio eorum quæ dicturus est concionator (12) et fervidæ ad Deum preces pro se et pro illis quos est allocuturus... ut intelligenter, libenter, et obedienter audiatur ab eis (13), nam neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus (14).

V. Caveant omnino ne verbum Dei ex proprio metiantur ingenio, sed sensum teneant et doceant, quem semper tenuit et tenet sancta Mater Ecclesia. In lectione Sacræ Scripturæ versentur, in qua, ait S. Augustinus «quisque inveniet omnia quæ utiliter alibi didicit, et

(1) Conc. Trid. sess. V, cap. 2 De ref. (2) Sess. XXIV, loc. cit.

(3) S. Isid. Lib. 2 *De Officiis*. (4) 1. Tim. II, 15. (5) Rom. XI, 13.

(6) Joann. V, 35. (7) Act. I, 1. (8) S. Greg. Magn. *Pastoral*. P. II, cap. 3.

(9) Hom. 15 in Matth. (10) Rom. II, 21. (11) 1. Cor. IX, 27.

(12) Concil. Mediol. 1. P. IV. *De prædic. verbi Dei*.

(13) S. Aug. *De Doct. Christ.* Lib. IV, cap. 15. (14) 1. Cor. III, 7.

multo abundantius inveniet ea, quæ nusquam omnino alibi» (1). Sanctorum Patrum vestigiis inhæreant, quorum opera ditissimum christianæ doctrinæ thesaurum exhibent.

VI. Circa prædicationis materiam serio perpendant quæ Tridentina Synodus prædicanda præcipit. Sacrarum concionum argumenta ea sint, non quæ admirationem excitent, et eruditionis seu facundiæ famam procurent, sed quæ pro temporum, locorum, et audientium conditione magis necessaria sint et utilia, et quæ ad veram perducant fidelium ædificationem. Omnia ergo fugiant concionatores, quæ cum excellentissimo evangelicæ prædicationis objecto minime congruere noscuntur. Opinionibus, commentisque mere philosophicis et politicis audientium mentes ne occupent: incerta, et quæ specie falsi laborant, ne evulgent (2): inutiles vel difficiliore quæstiones, quæ captum populorum superant, ne attingant: ipsas profanas vocum novitates devitent (3). Potior pars doctrinis detur, quæ ad fidem et ad mores pertinent, vel Evangelio, aut Epistolis explicandis, vel adhortationibus habendis, quæ ad illuminandam mentem, et in actu audientium cor movendum, ne videantur ad absentes loqui, minime vero ad adstantes.

VII. Dicente Domino Nostro Leone XIII: «valde suademus ut concionibus tempestivis elementa rerum sanctissimarum explanentur, quibus christiana philosophia continetur; quod illuc pertinet, ut mentes hominum eruditione sanentur, et contra multiplices errorum formas, et varia incitamenta vitiorum muniantur» (4), concionatores in cathedralibus, aliisque ecclesiis præcipuorum locorum, ubi errores ab Ecclesia damnati, et vitia homines deturpantia magis serpunt, data occasione, adversus eos insurgant, et de illis sermonem faciant, non quidem declamatorio modo, sed veritatem docendo, doctrinam divinam de fide et moribus luculenter explanando, Ecclesiæ jura ac præcepta ob omnium oculos ponendo, ut his solidissimis statutis fundamentis, quæ a novatoribus, et divinæ religionis hostibus propalantur, et fallacibus verbis in multorum mente inseruntur, facilius et utilius refutent et convellant. Omnia enim respicienda sunt præsentis ætatis vulnera, et ideo contra indifferentismum, dierum sacrorum profanationem, sacræ ac civilis auctoritatis contemptum, blasphemiam, discordiam, detractionem sæpe insurgendum est. Vitia libere arguant, caventes simul ne ullam personam, nec indirecte quidem designent. Quæ asperiora sunt, charitatis dulcedine, et verborum

(1) S. Aug. *De Doctr. Christ.* Lib. II, cap. 42.

(2) Conc. Trid. sess. XXV. *Decret. de Purgat.*

(3) 1. Tim. VI, 20. (4) *Encycl. Humanum genus*, 20 April. 1884.

prudencia temperent: sanare enim oportet, non efferare, ait S. Joannes Chrysostomus, et excusare potius quam accusare, juxta Apostolorum Principis exemplum, ad Judæos qui Christum crucifigi petierunt, dicentis: «scio fratres, quia per ignorantiam fecistis, pœnitentiam igitur agite, et convertimini, ut deleantur peccata vestra» (1).

VIII. Ob oculos habeant, *omni* creaturæ prædicandum esse Evangelium (2); ideoque se sapientibus et insipientibus, doctis et indoctis debitores esse (3). Unde non in sublimitate sermonis, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis (4), susceptum ministerium adimplere satagant. Sermo igitur sit *facilis* (5), non tamen rudis et incompositus: sit *apertus* et *simplex*, nec tamen ea gravitate ac dignitate destitutus, quæ decet semper eos qui Dei adjutores sunt (6), et pro Christo legatione funguntur (7). Minime improbamus, immo commendamus et volumus, ut, pro re nata, etiam ornatiori utantur sermone, dummodo elocutio sit facilis et intelligibilis, atque adhibeantur expressiones quæ fidelibus notæ sint, ne pompam et cultum sermonis tantum quærentes, et ampullosis verbis utentes simplicium captum effugientibus, non Christum, sed se ipsos prædicent, et aerem verberantes appareant.

IX. Nec simplicitatem tantum, et facilitatem sermonis parochis præsertim, exigit Tridentina synodus, sed et *brevitatem*. Experientia enim compertum est, prolixitatem creare fastidium, populosque per eam ab audiendo verbo Dei removeri. Brevis tamen cum sit sermo, quæ dicuntur eluceant oportet soliditate, perspicuitate, ordine, sobriaque varietate, quæ animos excitent, intentosque teneant.

X. Hæc ad Dei ministros, ut fideliter et utiliter adimpleant ministerium suum: nunc autem fideles alloquentes eos omnes hortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiant (8), quæ abunde datur per verbum ipsius. Parum enim proderit ipsis intensissima pastorum cura, nisi libenti animo verbum Dei audire voluerint. Inde non modo patres ac matresfamilias provocamus, ut in illo audiendo, suis bono exemplo præluceant, sed et omnes et singulos fideles monemus, ut templum Dei adeant, prædicationi devote assistant, et quidquid ad fructui ipsius cooperandum præstare potest, fidelissime præstent. Tamquam semen divinum verbum Dei in corde optimo suscipientes, illud retineant, et fructum afferre conentur in patientia (9) et humilitate, ut cum sancto timore et tremore propriam salutem operentur (10) et per opera bona certam suam electionem et vocationem faciant (11).

(1) Act. III, 17. (2) Marc. XVI, 15. (3) Rom. I, 14. (4) 1. Cor. II, 1, 4.

(5) Conc. Trid. sess. V, cap. 2, De ref. (6) 1. Cor. III, 9. (7) 2. Cor. V, 20.

(8) 2. Cor. VI, 1. (9) Luc. VIII, 15. (10) Philip. II, 12. (11) 2. Pet. I, 10.

§ V.

De missionibus.

Magni momenti sunt certissime exercitia illa quæ missiones appellantur. Nam si et illi qui in perfectioris vitæ statu viventes, necesse habent vires suas in sacro recessu reficere, ardoremque spiritualem excitare, multo magis extraordinario aliquo indigent stimulo ad mores reformandos, et in meliorem frugem redigendos, qui in mediis mundi illecebris ac periculis dies agunt. Hinc est, quod Summi Pontifices sæpe Episcopos excitarunt ut eas missiones in suis diocesisibus procurarent, illasque, ceu medium aptissimum ad fidei, religionisque spiritum in populis augendum, commendarent, easque contra obloquentium ausus defenderent (1). Experientia enim patet, ejusmodi exercitia religionis, quæ suapte indole attentionem hominum singulariter provocare solent, convictionem religiosam firmare, constientiæ remorsus excitare, homines longo vitiorum habitu depravatos de lethali suo somno evigilare facere, atque relictam naufragii tabulam apprehendere, scandala tolli, restitutiones fieri, inimicitias extinguere, pietatem, pacemque domesticam restituere, atque non raro errantium etiam circa fidem corda ad rectam trahere viam.

Quoniam vero nostris hisce temporibus humani generis hostis zizania superseminare in agro Dominico, animosque pervertere infensius conatur, frequentius salutarium missionum auxilia quærenda sunt, quibus, quasi novo et extraordinario curæ pastoralis conamine agrum Domini purgare et colere oportet.

I. Summopere proinde parochis commendamus, ut tam salutiferum beneficium suis fidelibus procurent, eos sedulo ad illud excipiendum præparent, et omni zelo ac vigilantia, se ipsos impendentes et superimpendentes, satagant, ut fructus inde percepti conserventur et augeantur. Tristissima enim experientia edocemur, fructum missionum deperditum sæpe ire ob defectum zeli, et sacerdotum incuriam. Meminerint tamen parochi, et missionarii, ab Ecclesia damnatam fuisse propositionem asserentem, licitum esse sacramentaliter absolvere dimidiate tantum confessum ratione magni concursus pœnitentium, qualis, verbi gratia, potest contingere in die magnæ alicujus festivitatis aut indulgentiæ (2).

(1) Bened. XIV, Const. *Gravissimum* 8 Sept. 1741.—Pius VI, Bulla *Auctorem fidei*. Propos. 65.—Pius IX, Encycl. *Singulari*, 17 Maji 1856.

(2) Propos. 59 inter damnat. ab Innoc. X, 12 Mart. 1676.

II. Nec parochos tantum, sed et omnes quoscumque sacerdotes, et etiam fideles laicos monemus et hortamur, ut, quantum singuli potuerint, optabilem ipsarum missionum exercitium adjuvare et promovere adlaborent, collatis inter se consiliis, atque sui Episcopi venia tum ad designandam parochiam in qua peragantur, ut facilius convenire possint fideles etiam ex vicinioribus oppidis et pagis, tum ad sumptus necessarios inter omnes distribuendos.

III. Quum nihil antiquius habeant Episcopi, quam ut vita christiana in populo ubique crescat et promoveatur, pro jure suo et proprio motu missiones deputabunt, quocumque in loco illas vel necessarias, vel opportunas judicabunt.

IV. Deficiente copia ministrorum, qui religiosi ordinis sui professione ad hoc missionum munus vocati sunt, optime merebuntur sacerdotes sæculares, etiam curam animarum habentes, si consociati, collatis prius consiliis, obtentaque sui Episcopi venia, sacras missiones, vel novemdialia ad instar earum, vicissim in parœciis suis habuerint, ita ut parochus unius populi in alium se transferat, et hujus rector idem officium in alterius ecclesia peragat.

V. Verba Smi. Dni. [Leonis XIII] ad Episcopos, omnibus de clero nostro inculcamus: «Vestri muneris est, venerabiles fratres, sedulam impendere curam, ut cœlestium doctrinarum semen per Dominicum agrum diffundatur, et catholicæ fidei documenta fidelium animis mature inserantur, altas in eis radices agant, et ab errorum contagione incorrupta serventur» (1).

§ VI.

De confraternitatibus et piis sodalitiis.

Ad fidelium religionem excitandam atque fovendam pias laicorum sodalitates, seu confraternitates instituit provida Mater Ecclesia, quæ si recte constitutæ sint, et probe sua munia persolvant, domus Dei decorem confovere, magnasque populo fideli utilitates afferre possunt. Ut autem quæ jam erectæ sunt, serventur et augeantur, et quas instituere nunc et in posterum oporteat, rite habeantur, atque fideles ipsis adscripti, ad piorum operum studium in dies inflammentur, sequentia juxta sacros canones edicere censemus.

I. Nulla sodalitas, seu congregatio, in ecclesiis etiam regularium, erigi potest, aut jam erecta in aliquam archiconfraternitatem cooptari, sine Episcopi consensu et approbatione (2). Non poterunt

(1) *Encycl. Inscrutabili* 21 April 1878.

(2) *Clement. VIII, Const. Quæcumque* 7 Dec. 1604.

confraternitatum statuta in usum deduci, nisi ea prius ab Episcopo Diocesano examinata, et pro ratione loci approbata fuerint; quæ nihilominus ejusdem Episcopi decretis, et moderationi, aut correctioni in omnibus semper subjecta remaneant (1). Privilegia, indulgentiæ, facultates, aliæque spirituales gratiæ et indulta in hujusmodi sodalitatium favorem, prævia recognitione Ordinarii loci indigent (2). Eleemosynæ et alia oblata christianæ charitatis subsidia, juxta modum et formam per Ordinarium loci præscribendam, excipi solum et erogari poterunt (3). Singulæ auctoritati Episcopi subjectæ sunt, et supremo ejus regimine diriguntur, ideoque vel per se, vel per suum delegatum præsidet sodalium conventibus, qui de rerum ad sodalitium spectantium administratione adunantur (4). Delegatus tamen voto activo caret.

II. Parochus a jure præses est omnium confraternitatum in parochiali ecclesia erectarum, seu in alia intra parociciæ terminos, quæ proprium rectorem non habeat, et sub ipsius parochi administratione constituta sit, atque ab eo pendent in functionibus ecclesiasticis. Ne controversiæ oriantur, servetur in omnibus generale Decretum Sacri Rituum Congregationis, ad eas dirimendas vel vitandas approbante Clemente XI editum (5).

III. Quævis confraternitas erecta etiam in ecclesiis regularium exemptorum, ab Episcopo visitari potest in iis quæ confraternitatis administrationem respiciunt (6), et confraternitatis officiales tenentur singulis annis de administratione rerum et reddituum sodalitiis ipsius Episcopo rationem reddere (7).

IV. Ii tantum inter confratres recipiantur, qui rudimenta fidei callent, qui bona fama gaudent, et bene morati sunt, atque ad Ecclesiæ sacramenta accedunt, ejusque præcepta, abstinentiam in primis, nisi Bulla utantur, observent. Qui jam adscripti a recta via recedunt, vel turbas et dissidia excitant, vel præceptum paschale non adimplent, ac tertio moniti non resipiscunt, a sodalitate expellantur.

V. Sodales semper præ oculis habeant, hujusmodi societates eo consilio statutas esse, ut cultus divinus promoveatur, animæ salus majori studio et potioribus auxiliis procuretur, et mutua exempla virtutum ac bonorum operum a fratribus præbeantur. Quapropter unitatem spiritus in vinculo pacis sollicite servantes (8), curent omnes, ut a christiana charitate informentur, atque mutuam dilectionem habentes, veros discipulos Jesu Christi se ostendant, et animæ sanctificationi intendant.

(1) Id. § 5. (2) Ibid. § 7. (3) Ibid. § 8. (4) S. Gong. Conc. 24 Aug. 1709.

(5) S. Rit. Cong. 10 Dec. 1703. (6) Bened. XIV, Instit. CV.

(7) Conc. Trid. sess. XXII, cap. 9. De ref. (8) Ephes. IV, 3.

VI. Summopere optamus, atque parochis commendamus ut ubique instituantur, vel restituantur confraternitates Smi. Sacramenti, Smi. Rosarii Beatæ Mariæ Virginis, Veræ Crucis seu Animarum Purgatorii, et quantum fieri possit, Tertius Ordo S. Francisci, a Smo. Dno. nostro Leone XIII tantopere commendatus, utpote medium ad reformandos mores validissimum, atque impiarum societatum conatibus obsistendum (1); necnon alia sodalitia, de quibus non semel in superioribus decretis locuti sumus, uti Congregationes Sacratissimi Cordis Jesu, et filiarum Mariæ et Teresiæ, quæ si recte ordinentur, ad innocentiam servandam, et veram pietatem fovendam plurimum conferunt.

TITULUS VIII.

De vitiis maxime fugiendis.

Sicut in Domino gaudemus, eique ex corde gratias agimus, eo quod quamplurimi sint, qui inimicorum insidiis obsistentes, in fide ac pietate christiana constantes et assidui perseverant, ita animi dolore vehementer oppressi ingemiscimus ob ruinam multorum, qui a recto tramite recedentes, et falsis doctrinis imbuti, concupiscentiæ carnis, concupiscentiæ oculorum, ac superbiæ vitæ quæ in mundo sunt (2) inserviunt; unde in profundum peccatorum venientes contemnunt (3); animæ salutem minime curantes. Hos prævaricatores arguere debemus, et ut redeant ad cor hortari et obsecrare (4), pro ipsis ferventes ad Deum preces dirigere ceterosque omnes monere, ne illis se commisceant, et eorum mores imitentur.

I. Pro debito ergo officii nostri contra graviora quæ serpunt crimina insurgentes, illaque condemnantes, omnes qui in animarum salutem procurandam coadjutores nostri sunt, obtestamur per viscera Jesu Christi, ut omni zelo nobiscum laborent ad extirpanda, quantum fieri possit, horrenda vitia tot animas præcipitantia in barathrum æternæ damnationis, et pusillos a lethifera contagione præservandos.

II. *Blasphemiam* in primis damnamus et horremus nihil illa atrocius, qua homo ad Dei gloriam conditus, et præsertim christianus, tot beneficiis cumulatus, non reformidat ponere in cælum os suum, et Creatori, omniumque rerum Domino, temerario ausu, vel sacrilega,

(1) *Encycl. Auspicato* 17 Sept. 1882.—*Humanum genus* 20 April. 1884.

(2) 1. Joann. II, 16, (3) Prov. XVIII, 3. (4) Isai. XLVI, 8.

et fortasse hæretica mente maledicere. Nostris miserrimis diebus multo plus quam superiori ætate, execrandum hoc scelus in Deum, in beatissimam Virginem, in Sanctos ubique grassatur, atque magnus est numerus eorum, qui in divinis laudibus muti, in maledictis, blasphemiiis, atque diris imprecationibus lingua celeri et exercitata sunt. Et quamvis nos inficias non ibimus, plerosque illorum non formale divinitatis contemptum intendere, sed istiusmodi verbis solummodo, vel ad exprimendam indignationem, vel etiam ad jocos et facetias abuti; nihilominus gravissimam offensionem in Divinitatem committunt, sicut et alii peccatores, qui non intendentes formaliter ipsius injuriam, sed ex libidine, vel alia passione abrupti, aperte legem violant. Accedit ratio scandali: probi enim dum talia audiunt, non parum contristantur; imbecilles vero, juniores, pueri præsertim hanc impietatem facile addiscunt. Minime ergo mirari debemus, quod in antiqua lege dixerit Dominus: «Qui blasphemaverit nomen Domini morte morietur» (1), et Paulus Apostolus scripserit: «malèdici regnum Dei non possidebunt» (2), et quod Ecclesiæ canones severissimas in ipsos pœnas dictaverint (3), sicut et antiquæ nostræ leges, et hodiernæ quoque, etsi deploranda benignitate, non sicut gravitas facinoris certe requirit.

III. Ad fugandam itaque hanc lethiferam blasphemiam pestem, ab omnibus laborandum est. Parochi et concionatores vocem attollant, et horrendum scelus totis viribus insectentur; confessarii graves blasphemantibus injungant pœnitentias, quæ culpam vindicent, et consuetudinem eradicent: parentes corrigant filios, et castigent: famulos et artifices desperatæ emendationis domini ejiciant (4): qui auctoritatem in populis habent, pro suo posse, gravibus pœnis mulctent in Deum sacrilego ore delinquentes: omnes denique fideles, si quempiam contumeliosus aut obscenis verbis Deo maledicere, vel in Bmam. Virginem et Sanctos impia evomere audierint, eum moneant, corrigant, increpent, tum ut divinum tueantur honorem, tum ut peccantem fratrem lucrentur. Verba saltem proferant Deum laudantia ad injuriam reparandam.

IV. Optamus, ut in omnibus parœciis instituantur sodalitia contra blasphemiam, quæ a Summis Pontificibus probata et commendata sunt, et copiosis ditata indulgentiis (5).

V. Hortamur etiam, ut quotannis in Dominica tertia post Pentecosten, quæ immediate subsequitur octavam Smi. Corporis Christi,

(1) Levit. XXIV, 16. (2) 1. Cor. VI, 16. (3) Cap. 2. *De maledictis*.

(4) S. Carol. Conc. I, Mediol. P. 1, cap. 11.

(5) Ben. XIV, Const. *Ad execrabile*, 6 Sept. 1746.—Pius IX, Rescrip. 7 Sept. 1865.

et festum ipsius Sacratissimi Cordis, ac Purissimo Mariæ Cordi est sacra, in Ecclesiis ab Episcopo designandis, sive mane sive post meridiem expositio sollemnis fiat Smi. Sacramenti, et sermo habeatur ad populum de blasphemiam et de festorum dierum profanationis peccatis, fideles excitando ad reparandas injurias Deo Salvatori nostro, Beatissimæ Virgini, et Sanctis illatas, post quem formula reparationis ab Episcopo probata ab omnibus publice recitetur. Statuimus præterea, ut quoties impertiatur benedictio cum Smo. Sacramento, post ipsam benedictionem a Clero cum populo recitetur vernacula lingua laudatio *Deus sit benedictus* etc. a Pio IX spiritualibus gratiis cumulata (1).

VI. *De suicidio.* Numerus illorum, qui se ipsos violenter interimunt, per singulos annos crescere magno cum animi nostri dolore videmus. Indubitata quidem aliquando adsunt indicia, hujusmodi casus turbato rationis usui adscribendos esse; ast sæpissime plena conscientia ac determinata voluntate tam immane scelus patrat. Læsa ambitio, frustrata spes, prodigalitas improvida, perpetratorum criminum conscientia, lascivia et licentia vitæ, desperatio præsentium, horrorque futurorum miseris parant laqueum, quo præter irrogatam Auctori vitæ gravissimam injuriam, semetipsos exponunt manifesto damnationis periculo, cognatis et notis diram afflictionem, et humanæ societati perniciosum scandalum præbent.

VII. Ut qui erroribus et passionibus necdum plene excæcati sunt, horrore tanti sceleris percellantur, præcipimus, ut Ecclesiæ canones de ecclesiastica sepultura suicidis deneganda serventur. Insuper in publicis institutionibus frequenter proponatur doctrina de immortalitate animæ, de providentia divina, de hominis destinatione, de merito patientiæ, et de spiritu pœnitentiæ in adversis perferendis, de brevitate miseriarum humanarum, de æternitate pœnarum inferni. Et quia Deus est qui mortificat, et vivificat (2), eum pro his infelibus exoremus.

VIII. *De duello.* Damnamus quoque cum Ecclesia Catholica, quæ gravissimis pœnis ac censuris eos percellit (3), nonnullorum vehementiam, et perperam intellectum honoris tutamen, qui propter levem forte læsionem famæ, violentas sibi mutuo manus inferunt, et duello confligentes, plane vita proximum suum privando, vel saltem corpus vulnerando, aut mutilando, tollunt interdum id quod rapere non licet. Qui dixit: «mihi vindicta, ego retribuam (4), jus illatas

(1) Rescript. cit. (2) 1. Reg. II, 6.

(3) Conc. Trid. sess. XXV cap. 19 De ref.—Dist. 1 Can. 19 24 28 De Pœnitentia, lib. V Decretal. Tit. 36 De injur. et damn. dato.—Ben. XIV Const. *Detestabilem*.

(4) Rom. XII, 19.

injurias vindicandi secundum æternæ justitiæ legem non cuivis privato homini, sed auctoritati dumtaxat publicæ tribuit: actum certe esset de salute publica, si cuique jus injurias vindicandi comperet.

IX. Quamvis tamen gravissimum peccatum admittunt qui nisi in casu defensionis cum moderanime inculpatae tutelæ, vel ex vehementi passionis impetu rationem perturbantis, aliquem occiderint, censuras ab Ecclesia in duellantes illatas non incurrunt, nisi verum et proprium duellum proponant, vel acceptent, sive duellum subsequatur, sive non. Immo licet illud non acceptetur, censuram incurrit qui illud provocat, sicut etiam quicumque «complices qualemcumque operam, aut favorem præbentes, necnon de industria spectantes, illudque permittentes, vel quantum in illis est, non prohibentes» (1).

X. Curatores animarum omni studio laborent, ut in animis fidelium lenitas et mansuetudo christiana altas figat radices, qua dominante, vindictæ sitis indubie minuetur, atque ad Christi Domini exemplum eos provocent, qui pro suis etiam crucifixoribus exoravit (2), inimicos nos diligere monet (3), et cunctis ad se venire cupientibus inculcat: «Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde» (4).

XI. *De ebrietate.* Constanter etiam inclamandum est in perniciosissimum ebriositatis vitium, quod damnat ipsamet sana ratio, cum hanc opprimat, hominem a suo statu dejiciat, et ad brutorum conditionem redigat; damnat religio, quæ hominem ad imaginem Dei formatum docet; damnant tristes sequelæ, egestas, absentia pacis, et scandalum in familia, blasphemiam, rixæ, crimina, ærumnæ, matura senectus et mors, atque, quod horrendum est, infelix æternitas, cum scriptum sit: «nolite errare, neque ebriosi regnum Dei possidebunt» (5).

XII. Inculcent omnibus pastores animarum christianam temperantiam, horrorem hujus vitii infundant; verba Domini Jesu Christi, et Sanctorum Apostolorum in eorum memoriam revocantes: «Attendite vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula et ebrietate, et perveniat in vos repentina dies illa» (6); «non est enim regnum Dei esca et potus» (7). «Sobrii estote et vigilate, quia adversarius vester

(1) Bulla Apostolicæ sedis § 2 n. 3.

(2) Luc. XXIII, 34.

(3) Matth. V, 40.

(4) Id. XI, 29. (5) 1 Cor. VI, 9.

(6) Luc. XXI, 34. (7) Rom. XIV, 17.

diabolus circuit quærens quem devoret» (1). «Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt... ebrietates, comessationes, quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur» (2).

XIII. *De luxuria.* Ingemiscimus quoque, animo recogitantes huius nefandi vitii incrementum maxime in populosis oppidis, et scientes ubique multiplicari adulteria, fornicationes, concubinatus, lenocinia, et alia carnis vitia, propter quæ venit ira Dei in filios diffidentiae, et de quibus dicebat Apostolus: «nec nominentur in vobis, sicut decet sanctos» (3).

XIV. Sancta religio nostra hæc omnia detestatur et condemnat; abominamur ea et nos. Abominantes pariter nobiscum nostri in pascentibus ovibus Christi adiutores, omne aptum medium, quod animarum zelus et pastoralis prudentia suggesserint, arripiant ad hanc luem propulsandam. Quæ Apostolus docet, doceant illi: «Corpus non fornicationi, sed Domino. Nescitis quia corpora vestra membra sunt Christi? Tollens ergo membra Christi faciam membra meretricis? Absit. Fugite fornicationem. Nolite errare: neque fornicarii, neque adulteri, neque molles neque masculorum concubitores regnum Dei possidebunt» (4).

XV. Quapropter arguant parochi eos, qui in quanto honore sint non intelligentes, jumentis insipientibus comparantur (5), atque peccata carnis nullius aut levissimi momenti dictitare non erubescunt. Obsecrent et hortentur parentes, ut filios ac filias vigilantissime custodiant, atque verecundiæ sensum, timorem Domini, et horrorem delinquendi in eorum animis a primæva ætate inserant, et ad pietatem, devotionem erga immaculatam Virginem Mariam, et sacramentorum frequentiam inclinent. Increpent eos qui in concubinato vivunt, de quo ait Tridentina Synodus: «grave enim peccatum est, homines solutos concubinas habere; gravissimum vero, et in huius magni sacramenti (matrimonii) singularem contemptum admissum, uxoratos quoque in hoc damnationis statu vivere, ac audere eas quandoque domi etiam cum uxoribus alere ac retinere» (6). Ne igitur hoc grande peccatum et scandalum in ruinam fidelium locum obtineat, et incrementa capiat, charitatis verbis primum, severioribus monitis postea, qui lapsi sunt coerceantur; quod si pastoralia monita optatum effectum minime obtineant, et scandalum manifestum foret, nec requisita

(1) 1. Pct. V, 8. (2) Gal. V, 19, 21.

(3) Ephes. V, 3. (4) 1. Cor. VI.

(5) Ps. XLVIII, 13.

(6) Sess. XXIV, cap. 8 *De ref. matrim.*

auctoritas civilis remedium adhibeat, Episcopo denuntientur juxta sacros canones puniendi.

XVI. *De scenicis spectaculis et choreis.* Illud quoque hac ætate usu venire dolendum est, ut in theatris ea spectacula exhibeantur, quæ non modo pravas inflammant cupiditates, sed etiam religionis mysteria, personas et res sacras in contemptum vocant. Quoniam autem experientia compertum est, ad hæc spectacula, ad choreas, tripudia, saltationes, et id genus alia numquam fere convenire sine multis et quidem gravissimis Dei offensionibus ob obscena dicta, inhonestas actiones et perniciosas ad omnia opera carnis illecebras illis conjunctas, fideles omnes hortamur in Domino, ut ab hujusmodi spectaculis abstineant, ne et ipsi ad religionem irridendam, bonosque mores depravandos concurrere videantur. Audiant S. Augustinum: «Deprehenderis enim et detegeris, christiane, quando aliud agis et aliud profiteris; fidelis in nomine, aliud demonstrans in opere, non tenens promissionis tuæ fidem: modo ingrediens ecclesiam orationes fundere, post modicum in spectaculis cum histrionibus impudice clamare. Quid tibi cum pompis diaboli, quibus renuntiasti?» (1). Parentes præsertim hortamur, ne ad hæc spectacula filios deferant, nec ire permittant; ut eos in omni verecundia nutriant, a vespertinis in primis conventiculis, ac chorearum frequentatione arceant, ad quæ omnia accedentes, si mali ierint, redibunt pessimi; si boni ac impietatis et corruptionis ignari, contagio non carebunt.

XVII. *De fraude et usura.* Nec minus dolore afficimur eo quod tali modo nostris temporibus invasit hominum mentes inextinguibilis illa lucri ac divitiarum sitis, ut jam non per licitas negotiationes et labores, sed et per omne genus contractuum iniquorum opes suas in dies augere non timeant. Hinc sponte sua dimanant latrocinia, fraudes, et execrabile usuræ vitium, quo societas misere divexatur, quodque inopum præsertim sanguine pinguescit.

XVIII. Nostri muneris est tanto malo pro posse nostro opponere, eo magis, quum ad usuras supprimendas nec civiles nunc leges occurrant, nec sufficient. Quapropter huic officio nobiscum incumbentes parochi, concionatores et confessarii, gravissimis verbis ostendant usuræ labem ac vitium utriusque fœderis paginis, non minus quam ecclesiasticis sanctionibus damnari (2), gravissimumque semper fuisse hoc facinus inter gentes et odiosum (3). Quumque illud varias species induere soleat, ut fideles Christi sanguine in libertatem

(1) *De Symbol. ad Catechum.* Lib. IV, cap. 1, n. 9.

(2) Conc. Later. III, cap. 25.—Clementin. lib. V, tit. V, cap. un.

(3) Catech. Rom. Lib. III, cap. 8, q. II.

restitutos rursus in extremam ruinam præcipites impellat (1), mo-
neant non tantum illicitas et exitiosas esse usuras manifestas, sed et
palliatas quæ multimode exercentur, totque familias, ruricolas præ-
sertim, in profundum miseriæ perducunt.

XIX. Insurgant acriter in hoc nefandum crimen, quod jura omnia
conculcat; pœnas censurasque in usurarios ab Ecclesia inflictas notas
omnibus faciant: quos publice ut usurarios fama prædicat, nec fabri-
cæ Ecclesiæ administrationem umquam gerant, nec in confrater-
nitatibus cooptentur, nec in baptismo conferendo patrini nomen et
munus habeant, nec ecclesiastica sepultura, nisi resipiscant, hono-
rentur.

XX. Monendi sunt etiam illi qui pecuniam suam frugifere colloca-
re velint, ut diligenter caveant ne cupiditate, omnium malorum ra-
dice (2), seducantur; sed potius ab illis, qui doctrina sana et virtute
præstant, consilium exposcant (3), ac in primis a parcho seu confes-
sario, qui juxta probatos auctores, et Sacræ Pœnitentiariæ respon-
siones ab ipsis allatas prudenter resolvant.

XXI. *De ludo.* Inter alia, quæ dolentes videmus in hac tristissima
ætate gravissimum afferre præjudicium animabus, familiis, societati
universæ, adnumerandus est ludus, qui non ad relaxandum animum
exercetur, sed pecuniæ tantum amore, et a nonnullis veluti ars quæ-
dam ad immodica lucra obtinenda, et quidem dolo et fraude. Quot
familiæ in ruinam deveniunt ex hac ludendi cupidine, qua decipiuntur
incauti qui in spansum rete pedes injiciunt! Quæ totius honestatis
oblivio, quot blasphemiæ, quot rixæ, quot suicidia exinde profluunt!
Vocem nobiscum attollant parochi adversus hanc effrenatam libidi-
nem; filios familias, immo parentes admoneant, hortentur, ne aures
præbeant seductoribus, qui in civitatibus illos attrahunt ad *circulos*
specie honestos, ubi in occulto prohibitus exercetur ludus, quique
populos, præsertim nundinarum tempore, invadunt ut sua faciant,
quæ cum sudore vultus sui congregaverunt familiæ ad proprias ne-
cessitates sublevandas. Fidelibus ob oculos ponant damna gravissi-
ma et peccata ex ludo immoderato et aleatorio obvenientia: in men-
tem eorum revocent, experientia compertum esse, vix neminem ex
eo divitem fieri, nisi qui ad ludendum provocant ut simplices deci-
pian. Verba Apostoli omnibus inculcent: «Habentes alimenta, et
quibus tegamur, his contenti simus; nam qui divites volunt fleri, inci-
dunt in tentationem, et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia
et nociva, quæ mergunt homines in interitum et perditionem» (4);

(1) Ben. XIV. Const. *Vix pervenit* 1 Nov. 1745.

(2) 1. Tim. VI, 10. (3) Bened. XIV, Const. citat. (4) 1. Tim. VI, 9.

necnon Domini nostri Jesu Christi sententiam: «quid prodest homini si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur?» (1).

XXII. Alia præter enumerata vitia, hic plus, ibi minus populum christianum commaculant, uti sunt excessivus in vestibus et supellectilli luxus, perjuria, fraudes, in quibus extirpandis omni conatu adlaborandum est, ut prima morum puritas et sanctimonia in christianas familias revehatur, et pietatis fructus ubique in Dei gloriam populique salutem et pacem multiplicentur.

(1) Matth. XVI, 26.





PARS SEPTIMA.

DE BONIS ECCLESIAE.

TITULUS I.

De jure possidendi.

SICUTI nulla societas ex hominibus conflata subsistere potest, nisi bona habeat ad fines quos prosequitur necessaria, ita Ecclesia Catholica, quæ societas est perfecta, externa et visibilis a Christo Domino fundata, et ab omni potestate humana independens, ex divini sui auctoris voluntate, non autem principum concessionem, ab initio jus habuit, et semper habebit, bona temporalia, sive mobilia, sive immobilia titulo veri et proprii dominii possidere, quibus ad supernaturalem suæ institutionis finem assequendum utatur. Ecclesiastica enim bona Deo dicata, splendori cultus divini, pietatis et charitatis operibus, ministrorum sustentationi destinantur, et sacra eo ipso sunt quo ad hos religiosos usus conferuntur. Hoc expressis verbis et plurimæ Summorum Pontificum Constitutiones, et innumera sanxerunt Concilia, declarando res Ecclesiæ esse Dei, utpote, propter ejus honorem Ecclesiæ donatas, nec posse sine sacrilegio invadi, rapi, aut ad usus sæculares converti (1). Unde a Tridentinis

(1) Cap. *Prædia* 5 et *Nulli* 3 causa XII, 9, 2.

Patribus excommunicationis pœna, ipso facto incurrenda ac Summo Pontifici reservata, in eos infligitur, qui ausu prorsus sacrilego cujusque Ecclesiæ, aut pii loci bona invadere, vel usurpare non reformidant, a qua non liberantur, quamdiu Ecclesiæ non satisfecerint (1); quam pœnam confirmavit Pius IX in Constitutione *Apostolicæ Sedis* (2).

Quamvis ergo miserrimis his et luctuosis temporibus, spoliatam lamentamur Ecclesiam bonis omnibus, quæ pleno jure possidebat, quæque avita majorum religio munificentissime in illam contulerit; attamen, cum jus, quod a divino suo Institute acceptum refert Ecclesia, acquirendi, possidendi et administrandi bona temporalia, nulla vicissitudine, nulla lege civili aboleri umquam possit aut infirmari, ideo in novissimis Conventionibus declaratum fuit hoc jure potiri, ac uti posse Ecclesia in Hispania nostra.

Ut igitur sive paucissima quæ, reservata vel excepta a cessione civili potestati ad normam illarum Conventionum facta, adhuc retinet, sive quæ ad sacram supellectilem pertinent, sive quæ in posterum ex fidelium pietate Ecclesiæ tribui contingat, sarta tecta servantur, et ad normam Sacrorum Canonum impendantur, sequentia monemus ac statuimus.

I. Bonorum ecclesiasticorum alienatio prohibetur, et nulla declaratur, nisi et causa adsit, et præscriptæ a jure solemnitates fuerint servatæ. Ordinarii, et pro diversis adjunctis eorum etiam quorum interest, consensus exquirendus est semper pro rerum ecclesiasticarum alienatione facienda (3). Sed quamvis hic consensus sufficiat, cum agatur de re, quæ servando servari nequit, seu fundo exigui pretii alienando (4), extra hunc casum, necessarium prorsus est Apostolicæ Sedis beneplacitum (5). Quisque itaque caveat, ne rem ecclesiasticam, sive immobilem, sive mobilem pretiosam, absque requisita Apostolica venia, alienans, gravis delicti reatu conscientiam suam commaculet, restitutionis obligationem contrahat, et excommunicationis pœnam, una cum illo qui alienatam recipit, incurrat.

II. Ad obtinendam requisitam veniam, sive ab Apostolica Sede, sive ab Ordinario in casu, causæ canonicæ aliæ non sufficiunt, nisi urgens necessitas, vel evidens utilitas, vel difficilis conservatio et administratio; et si de rebus pretiosis agatur, imminens periculum ne, datis in adjunctis, subripiantur, vel arripiantur.

(1) Conc. Trid. sess. XXII, cap. II. De ref. (2) § I, n. 11.

(3) Cap. *Irrita* 1 *Continebatur* 2 *Cum nos* 3. De his quæ fiunt a Prælati.

(4) Can. *Terrulus* 53 caus. XII D. 2. Sac. Cong. Concil. in *Forosempron.* 21 Jul. 1827.

(5) Const. *Ambitiosæ* cap. un. De reb. Eccl. non alienand in Extrav. comm.

III. Res ecclesiasticæ sub prohibitione eas alienandi cadentes, sunt non tantum ea quæ ad ecclesiæ fabricam, vel ministrorum sustentationem pertinent, sed illæ etiam ad monasteria, hospitalia, aliave pia ac religiosa loca spectantes, quæ omnes, utpote Deo a fidelium pietate oblatae, sanctæ Domino factæ fuerunt.

TITULUS II.

De administratione rerum Ecclesiæ.

I. Salva semper suprema Romani Pontificis auctoritate, Episcopi sunt primi rerum ecclesiasticarum administratores (1), eorumque auctoritati et vigilantia subditi debent quotquot ex jure, vel fundatione, aut synodali statuto earum curam gerunt. Ad ipsos itaque spectat regulas præfinire, juxta quas, pro locorum circumstantiis, administratio ipsa recte ac fructuose procedat, tum quoad personas, quibus committatur, tum quoad modum in gestione servandum.

II. Omnibus administratoribus, tam ecclesiasticis quam laicis, fabricæ cujusvis ecclesiæ, etiam cathedralis, hospitalis, confraternitatis, et quorumcumque piorum locorum, ex Concilii Tridentini præscripto, obligatio incumbit administrationis suæ proprio Ordinario quotannis rationem reddendi (2).

III. Summa vigilantia curent Episcopi, ne, ex quocumque eventu, pereundi periculo exponantur ecclesiarum redditus, regulas pro sua prudentia, et juxta locorum adjuncta, statuendo pro illorum custodia et administratione; præ oculis habentes quæ, de communi consensu inter Apostolicum Nuntium et civile Gubernium, stabilita fuerunt in dispositionibus Concordato subsequentibus, et ad novam parochiarum ordinationem spectantibus (3).

IV. Si bona, aut redditus alicui ecclesiæ donati fuerint ea lege, ut ad determinatos usus impendantur, aut cum certis oneribus, mandamus ecclesiarum rectoribus et administratoribus, ut piorum donantium voluntates fidelissime exequantur, et omnia documenta accurate custodiantur, ut de exacta onerum satisfactione annuam rationem reddere possint (4).

V. Omnes confraternitatum, et reddituum ecclesiasticorum administratores noverint, sibi nefas esse quamcumque pecuniæ summam

(1) Con. Later. I, can. IV.—Can. Apost. 40.

(2) Conc. Trid. sess. XXII, cap. 10 De ref.

(3) 3 Januar. 1854. (4) Con. Trid. sess. XXII, cap. 8 et 9 De ref.

mutuo dare, illaque in proprium aut propinquorum commodum uti (1). Adlaborandum quoque ipsis erit, non modo ne res ipsæ detrimentum patiantur, sed ut, pro earum conditione et natura, incrementum percipiant (2).

VI. Parochis, ecclesiarum rectoribus et administratoribus quibuscumque præcipimus, ut bona mobilia pretiosa sive ratione sui, sive ratione artis, vel antiquitatis ad ecclesias pertinentia, necnon documenta quæ ad ea referuntur, ita caute servant ac custodiant, ut nullum dispersionis, aut amissionis periculum timeatur. Caveant proinde ad id obtinendum, ne nimia facilitate mercatoribus, seu aliis sub specie optimarum artium, vel rerum antiquarum studii, res pretiosas exhibeant. Imagines quoque argenteas, annuli, et alia hujusmodi pretiosa dona, quæ fiant voti vel pietatis causa, nec removeri nec mutari, nec vendi possunt sine licentia Episcopi, vel Romani Pontificis, juxta rei valorem: et pretium, in casu, ex venditione receptum in illum usum expendatur, qui ab ipso prius designatus aut probatus fuerit.

VII. Quoniam vero Ecclesia subsidiis patrimonii sui expoliata ægre potest et se, et instituta sua sustentare, et ad honestam quoque clericorum præcipue in ruralibus parœciis inservientum sustentationem attendere, optandum est, et curandum, ut fideles per voluntarias oblationes et eleemosynas afflictis illius conditionibus subveniant. Non omittant parochi illos ad hoc hortari, prudenter tamen, et juxta personarum et locorum adjuncta.

TITULUS III.

De domibus parochialibus.

I. Inter ecclesiastica bona recensentur domus parochorum habitationi destinatæ, et in quibus illi habitare tenentur (3). Statim ergo ac beneficii sui possessionem ingrediantur, præsentem Archipresbytero ac duobus testibus, inventarium efforment, quod ab omnibus subsignetur, domus parochialis, cunctarumque rerum ad ipsam pertinentium, ad cujus calcem cautionem præstent de ejusdem conservatione. Exprimatur distincte illius status, et si quid a decessore, vel ipsius

(1) Cap. *Cum laicis* De rebus Eccl. non alien.

(2) Cap. *Cum secundum* De Præsb. et dign. cap.

(3) S. Cong. Concil. in *Tarraconen.* 24 Maj. 1736, et pluries.

hæredibus reclamandum foret, ante dies octo recursum ad Episcopalem curiam exhibeat parochus, ut prout expediat, decernatur; quæ omnia ut sibi dicta et imposita habeant œconomi, qui vacante parœciæ dantur, ne incuria sua jus reclamandi amittant, et ipsis postea imputetur jactura.

II. Ex sacrorum canonum præscripto, et doctorum sententia, parochi tenentur ad conservationem et reparationem domus parochialis ratione beneficii (1). Curandum est ab ipsis ne magni momenti opera necessaria fiant, ideoque propriis sumptibus ad leviora reficienda intendant, nam cum damna adhuc levia sunt, facili negotio reparantur, et graviora, quæ enasci possent, præcaventur, ad quæ tenentur, si ex culpa aut negligentia sua evenerint (2).

III. Episcoporum est, attentis circumstantiis, decernere pro quam pecuniæ summa debeat parochus seu œconomus, ad conservationem et reparationem domus contribuere annuatim (3), necnon fabrica ipsa ecclesiæ, si majoris momenti opera facienda forent.

IV. Assignata ab Episcopo taxa pro annua domus refectione, si nihil instaurandum foret, vel minor sumptus sufficeret in aliquo anno, summa illi respondens summæ anni sequentis accumulabitur, et si ad aliam parœciam trasferatur parochus seu œconomus, illam successori tradere tenebitur, ut in beneficium ædium parochialium unice impendatur. Hæc veluti contributio vel pretium habitationis non computabitur de anno in annum, sed pro rata temporis, ita ut qui anno mediante in parœciam ingrediatur, vel ab ea regenda cesset, partem tantum illis mensibus respondentem insumere debeat.

V. De annua inversione rationem exigat Archipresbyter, et in visitatione illi per singulos annos demandata, domos parochiales inspiciat, et si quid instaurandum cognoverit, urgeat parochos ad opus quam primum faciendum, præscriptam taxam impendendo; quod ni fecerint, et majora inde ob incuriam requirantur, ad omnia tenebuntur negligentes.

VI. Qui Episcopo approbante, pro reficienda seu melioranda domo, opera fecerint, quorum sumptus, taxam excesserint, ab illa solvenda eximentur in sequentibus annis, etsi ad necessaria pro conservatione tenebuntur.

(1) Ben. XIV, Instit. C.

(2) S. Cong. Concil. apud Barbosa. *De offic. Parochi* cum addit. Giraldu P. I, cap. 18.

(3) Ben. XIV, Inst. C.

TITULUS IV.

De foundationibus.

Miserrime perierunt omnia fere bona, et documenta foundationum quas pietas majorum instituit, neque adhuc facta est a suprema potestate civili, promissa in Concordato, compensatio pro adimplendis oneribus super bona ecclesiastica divendita impositis. Ut tamen paucissima que remanent, et quæ Deo adjuvante, in futurum constituantur, ad normam juris ordinentur, sequentia decernimus.

I. Piæ foundationes Ecclesiæ oblatæ e sua natura, et secundum canonicas sanctiones ad forum Ecclesiæ spectant. Unde ad Episcoporum auctoritatem tantum pertinet definire, quæ foundationes, et quibus conditionibus acceptari possint, atque dotis quantitatem, infra quam non admittantur, salva et libera remanente fundatorum pietate ad amplius assignandum.

II. Ubi novum legatum in favorem Ecclesiæ institui, aut quilibet eidem legitimo quovis titulo, vel ad reparanda damna ipsi præteritis temporibus illata, reddi contingat, confestim ecclesiarum rectores rem ad Episcopum deferant, ut quemadmodum se gerere debeant, ad normam sacrorum canonum, et in Ecclesiæ utilitatem decernat.

III. Nulla in posterum suscipiantur perpetua, vel ad longum tempus Missarum onera, absque Episcopi approbatione (1). Quæ jam recepta fuere, in tabella, quæ in sacristia pendeat, describantur, et descripta fidelissime adimpleantur (2). Nec quisquam præsumat privata auctoritate Missarum numerum inminuere, etsi redditus foundationis, absque culpa, detrimentum susceperint; piorum enim onerum reductiones, ex canonicis causis concedere, ad Apostolicam Sedem unice spectat, vel ad Episcopum Apostolicis facultatibus munitum (3).

IV. Si vero contigerit ab aliquo notum fieri propositum fundandi Cappellaniam, seu annuam functionem, vel alia hujusmodi, ad Episcopum referatur, ut provideat de modo foundationem exequendi juxta canones, et leges quoque civiles, ne ex harum præscripto, vel prohibitione bona immobilia perpetuo obligandi, aliquid detrimenti patiatur.

(1) Dec. Urban. VII 21 Jun. 1625. Inocent. XII, Const. *Nuper* 23 Nov. 1697.

(2) Id. id.

(3) Cap. *Quia contingit* de Relig. Dom. in Clement. Decret. et Const. citat.

V. De quacumque fundatione duplex conficiatur instrumentum, quorum unum in tabulario curiæ episcopalis, alterum in archivio Ecclesiæ ad quam spectet, conservetur.

VI. Oportet quam primum devenire ad plenam executionem Conventionis solemniter initæ circa antiquas cappellanas familiares, ut ex fundo proveniente ex commutatione bonorum immobilium cum inscriptionibus debiti publici, et onerum redemptione, novæ instituantur cappellanæ, et augeatur numerus sacerdotum, qui in parochorum auxilium veniant. Episcopi ad hoc negotium celerius perficiendum regulas statuunt ad normam ipsius conventionis.

VII. Ii omnes, quibus incumbit onera pia persolvere super bona sua fundata, moneantur a parochis, ut ad normam præfatæ conventionis studeant ea redimere, conscientiæ consulentes, et bona liberantes. Doceantur tamen hanc redemptionem non nisi in ecclesiastica Curia fieri posse, unde si a civili potestate eam postulant et obtinent, nullo modo liberi remanebunt in conscientia, quamvis Ecclesia cohibeatur, ne ad adimpletionem eos obligare possit. De obligatione pariter moneantur, qui, certo scientes onera fundis suis imposita, adimplere ea detrectant vel negligunt, eo quod in foro civili constringi nequeunt, cum in expoliatione Ecclesiæ documenta probatoria perierint. Conscientiæ suæ consulant, timeantque Deum, qui cordis et renum scrutator est, et justitiæ vindex.

DE HUIUS CONCILII DECRETIS.

TITULUS UNICUS.

I. Omnia et singula quæ, adjuvante Deo, votisque concordibus, in hoc provinciali Concilio sancita et decreta fuerunt, obsequentissimo, quo debemus, animo, iudicio Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, omnium ecclesiarum Matris et Magistræ, recognoscenda, emendanda et corrigenda humiliter subjicimus, ad Domini Jesu Christi honorem et gloriam, et Ecclesiæ suæ salutem et dignitatem.

II. Cum vero vim obligandi nulla constitutio possit obtinere, nisi promulgetur, decernimus, ut postquam a Sancta Sede recognita fuerint, typis edantur, ab unoquoque Antistite in Diocæsana Synodo, intra sex menses celebranda, publicentur, et duobus ab hac publicatione mensibus exactis, omnes decretis iisdem se obstringi sciant. Si

vero gravi de causa impediretur in aliqua Diocesi synodi adunatio, Episcopi erit, absque ea, publicationem facere, modo et forma quæ opportunior videatur.

III. Si de Decretorum sensu ullum umquam exortum fuerit prudens dubium, vel gravis in alicujus executione difficultas, ejus declarationem, vel solutionem Metropolitano reservatam volumus, usque dum alia Provincialis Synodus habeatur, salva tamen semper Sedis Apostolicæ auctoritate.

Quæ omnia et singula nos omnes consentientes et definientes subscribimus, Vallisoleti die prima Augusti, Octava Sancti Jacobi Hispaniarum Patroni, anno Domini millesimo octingentesimo octogesimo septimo.

† Benedictus, Archiepiscopus Vallisoletanus.—† Antonius, Episcopus Segoviensis.—† Raymundus, Episcopus Electus Abulensis.—† Thomas, Episcopus Zamorensis.—† Fr. Thomas, Episcopus Salmantinus.—† Joseph Thomas, Episcopus Philippopolitanus Administrator Apostolicus Civitatis.—† Joannes, Episcopus Asturicensis.—Ludovicus Gonzalez, Vicarius Capitularis Abulensis.





ACTA POST CONCILIUM.

CERTAMEN

abierto por los RR. Padres del Concilio Provincial de Valladolid,
año de 1887, con el objeto de promover los estudios
eclesiásticos en España.

1.º El Certámen versará sobre los libros de texto de las asignaturas que se cursan en los Seminarios.

2.º Se dá un plazo de tres años, á fin de presentarlos al próximo Concilio de la Provincia. De no celebrarse éste en tiempo normal, los Obispos nombrarán los jurados para el día 31 de Diciembre de 1890, los cuales, deberán publicar su dictámen para 1.º de Marzo de 1891.

3.º El premio de los libros elegidos consistirá en publicar los inéditos y adoptarlos de texto en todos los Seminarios de la provincia eclesiástica por diez años á lo menos. Deducidos los gastos de impresion, todo el valor restante de la edicion hecha, y siempre la propiedad literaria, será del autor laureado.

Habrá accésit á los premios, remunerados por un Diploma y las consideraciones que su trabajo merezca desde luego á los Prelados.

CONDICIONES.

1.ª Solo podrán optar á los premios los Clérigos Españoles, seculares ó regulares.

2.ª Las obras han de ser lo más acomodadas á las necesidades de los Seminarios, recomendables por su mérito doctrinal y exposicion didáctica.

3.ª Todas ellas han de estar escritas en latin fluido y claro, excepto las de Matemáticas, Física, Historia Natural, Geografía y Literatura Española. La Gramática latina y la Retórica podrán presentarse en castellano, ó mejor, parte en castellano, parte en latin.

4.^a La Filosofía ha de estribar en la doctrina del Angélico Doctor y comprender la Lógica, Metafísica general y particular. La Ética ó Jus naturale podrá escribirse por separado, pero se apreciará favorablemente la circunstancia de ser uno el autor de todos estos tratados.

5.^a Se considerarán más estimables los textos de Matemáticas y Ciencias naturales, que sin darse á largos estudios de cálculo, ofrezcan la ciencia útil á los eclesiásticos con claridad, y al propio tiempo con la concision y brevedad posibles.

6.^a La Teología Dogmática ha de seguir la escuela Salmantina de las doctrinas de S. Agustin y Sto. Tomás de Aquino, y estar dispuesta para explicarse en tres cursos. Los *Lugares Teológicos* podrán presentarse por separado, pero será preferible la obra que lo abarque todo, y así completada, deberá disponerse para estudiarse en cuatro años.

El curso teológico ha de concretarse más á la exposicion y defensa del dogma, que á la de cuestiones escolásticas, mayormente poco trascendentales; más á la resolucion de las objeciones modernas, que á la refutacion de herejias hoy casi olvidadas; mas la sóbria dilucidacion de las cuestiones escolásticas importantes diestramente enlazada con la doctrina general, distinguiendo bien la parte dogmática de las opiniones teológicas, será oportuna y aun necesaria en dicho curso.

7.^a La Teología Moral, sobre la claridad y concision de sus principios y resoluciones del texto, ha de llevar por via de apéndice una copia de *casus conscientiae* de los puntos de cada tratado, más complejos é intrincados, resueltos analíticamente, citando los principios y leyes morales.

El tratado de *Justitia et Jure* ha de ser completado con notas ó ampliaciones del derecho civil español; y en general ha de exponerse la disciplina española, siempre que venga al caso, indicando v. gr. tocante al ayuno y otros puntos las costumbres más ó menos generales de nuestra patria.

8.^a El Derecho Canónico y la Disciplina eclesiástica han de adicionarse, bien en el texto, bien en apéndices ó por separado, con la parte correspondiente del derecho pátrio y la disciplina especial de España.

9.^a Podrán presentarse al Certámen las obras publicadas, pero serán preferidas las inéditas.

10.^a No se premiarán sino las obras de valor absoluto y que en realidad merezcan señalarse de texto.

11.^a Las obras habrán de entregarse á la Secretaria del Arzobispado de Valladolid antes de las doce del dia 30 de Noviembre de 1890, y tanto para las obras filosóficas como teológicas, no será condicion precisa presentarlas con todos sus tratados, pero sí de forma que los presentados sean la mayor parte, y la parte restante puede terminarse para 1.º de Octubre de 1891.

12.^a En cualquiera duda que ocurriere, tanto los Jurados como los Autores habrán de someterse completamente al dictámen del Sr. Arzobispo de Valladolid, y en su falta al del Obispo más antiguo de la Provincia.

Valladolid 2 de Agosto de 1887.—† BENITO, ARZOBISPO DE VALLADOLID.

P R E C E S

Smo. Dño. Leoni XIII oblatæ pro elevatione Festi Sacratissimi
Cordis Jesu ad ritum superiorem.

Beatissime Pater:

Concilium provinciale Vallisoletanum, quod, Deo auxiliante, feliciter celebratum est, primus videtur esse fructus consecrationis totius provinciæ Sacratissimo Cordi Jesu, juxta sepulchrum Sanctæ Virginis Teresiæ, patronæ nostræ, anno præcedenti peractæ. In eadem namque consecrationis die, statim ac Venerabilibus Fratribus Comprovincialibus de Concilii habendi proposito verbum feci, omnes, una voce plaudentes, tantum opus quam primum perficere statuerunt.

Consummata ergo actione Synodali, dum in archiepiscopalem domum processionaliter cum clero, innumero comitante populo, regressi sumus, et in communi Deo gratias pro tam insigni beneficio gaudentes agebamus, in memoriam revocantes quod in die præfatæ consecrationis initium sumpsit opus tam sanctum, tam utile, imo tam necessarium, quo in Hispania nostra instaurata est antiqua et canonica Conciliorum provincialium disciplina a sæculo et amplius interrupta et impedita, quin nec minima nobis opponeretur difficultas, a Sacratissimo Corde hanc gratiam obtinuisse jure merito censuimus. Unde summo opere desiderantes, ut pro collato dono debitæ gratiarum actiones perpetuo in provincia rependantur, et ut cultus ipsius Smi. Cordis, ubique jam vicens, augeatur, ut oportet, in ea ubi primum et miro modo exordium habuit sæculo præcedenti, et unde in universam Hispaniam propagatus fuit, unanimes decrevimus Sanctitatem Vestram enixe exorare, ut dignetur provinciæ nostræ tribuere sub ritu primæ classis celebrare Festum Sacratissimi Cordis, quod jam ritum secundæ classis obtinet in Hispania.

Votum fratrum comprovincialium, eorum et proprio meo nomine, exponens, humillimum me profiteor Sanctitatis vestræ filium ac servum.—Beatissime Pater.—† BENEDICTUS ARCHIEPISCOPUS VALLISOLETANUS.—Vallisoleti 2 Augusti 1887.

VALLISOLETANA.

Quo cultus Sacratissimi Cordis Jesu adaugeatur, votisque satisfiat tum Rmorum. Antistitum, tum Cleri et populi totius Ecclesiasticæ Provinciæ Vallisoletanæ, Rmus. Dnus. Benedictus Sanz et Forés hodiernus Archiepiscopus Vallisoletanus, a Sanctissimo Domino Nostro Leone Papa XIII humillimis precibus

efflagitavit, ut Festum ipsius Sacratissimi Cordis a ritu duplici secundæ classis, quo in eadem Provincia jam gaudet, amodo ad Duplex primæ classis elevare dignaretur. Sanctitas porro sua, referente subscripto Sacrorum Rituum Congregationis Secretario, tantummodo indulgere dignata est, ut Festum Sacri Cordis Jesu a Clero totius Ecclesiasticæ Provinciæ Vallisoletanæ, tam Sæculari, quam Regulari, Diœcesanis Kalendaris utente, sub eodem ritu duplici secundæ classis etiam cum Octava in posterum recoli valeat, cum Lectionibus infra eandem Octavam, uti in Supplemento ad Octavarium Romanum typis cuso Eq. Friderici Pustet Ratisbonæ anno 1883: servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 14 Septembris 1887.—PRO EMO. ET RMO. DNO. CARD. D. BARTOLINIO S. R. C. PRÆFECTO.—A. CARD. SERAFINI—L. ✠ S.

PRECES

pro Beatificatione Ven. Joannis de Avila.

Beatissime Pater:

Inter magni nominis viros qui, sæculo decimo sexto durante, Hispaniam nostram illustrarunt, et ubique et ab omnibus in laudibus habentur, non mediocri fama gaudet Ven. Joannes de Avila, Sacerdos sæcularis, qui virtute et sapientia insignis, apostolico zelo incensus, Dei gloriam, Cleri, populique sanctificationem verbo et exemplo promovere constantissime studuit.

In vita et post mortem sanctitatis fama præcellens, statim ac e vivis sublatus fuit, ipsius domus a fidelibus conversa est in publicum oratorium Bmæ. Virgini Mariæ dicatum, ne præclarissimi viri periret memoria, neque profanis usibus inserviret locus, ubi tot emicuere virtutes, totque in omnium proventum prodire scripta spiritu Dei plena: Servum Dei laudibus extulerunt alii non pauci sanctitate fulgentes: ejus opera et virtutes a Benedicto XIV probatæ et exaltatæ fuere; et ab omnibus exoptata est, atque a Regibus Philippo V et Ferdinando VI expetita ipsius in Beatorum albo adscriptio, præsertim ex quo mirabilia operatus est Deus per fidelissimi servi sui invocationem. Unde tam Ordinarius, quam Apostolicus processus instructi fuere ad heroicas illius virtutes et miracula comprobanda, qui suum finem jam attingere videntur.

Nos vero, Beatissime Pater, qui in Provinciali Concilio aggregati sumus ad fidem populi nostri tuendam ac fovendam, moresque ad normam christianæ justitiæ componendos, et ad Cleri in virtute, scientia et zelo perfectionem pro viribus procurandam, summopere cupimus Venerabilem Sacerdotem Joannem supremo honore donatum videre, ut in exemplum sit omnibus de Clero, et, his difficillimis temporibus, tam ipsi quam fideli populo, illum ab Ecclesia honorificatum invocanti, adjutor et protector existat.

Supplices, igitur, preces Sanctitati Vestræ exhibere statuimus, ut pro ardentissimo et mirabili studio quo Clerum in vera scientia ac sanctitate informandum et populos in catholica doctrina, quæ temporalem æternamque felicitatem comparat, imbuendos adlaborat, dignetur suprema auctoritate sua apostolica, quam primum in Beatorum albo Venerabilem Joannem inscribere.

Utinam, omnibus jam ad juris tramitem peractis in proxima faustissima occasione Sacerdotalis Jubilæi Sanctitatis Vestræ, quem universus orbis lætabundus celebrari intendit, inter alios Cœlites qui Beatificationis et Canonizationis gloria exaltabuntur, daretur Hispaniæ nostræ hunc quoque præclarissimum ipsius decus publice venerari.

Hoc ex animo optantes, hoc humiliter enixeque efflagitantes, Beatissime Pater, Sanctitatis vestræ pedes deosculamur humillimi et obsequentissimi filii.

† BENEDICTUS, Archiepiscopus Vallisoletanus. — † ANTONIUS, Episcopus Segoviensis. — † RAYMUNDUS, Episcopus electus Abulensis. — † FR. THOMAS, Episcopus Salmantin. — † JOSEPH THOMAS, Episcopus Philipopolitanus, Admor. Appcus. Civitaten. — † JOANNES, Episcopus Asturicensis. — LUDOVICUS GONZALEZ, Vicarius Capitularis Abulensis.

Vallisoleti 2 Augusti 1887.

PRECES

pro approbanda Kalendarii Provincialis reformatione,
et Officiorum concessione obtinenda.

I.

Beatissime Pater: In Provinciali Concilio Vallisoletano, anno superiori habito, Patres ipsius infrascripto Archiepiscopo demandarunt, ut in examen revocans Diœceseon Kalendaria, ea reformaret ad normam illius quod pro Metropoli anno 1882 approbatum fuit a Sac. Rit. Congregatione, ita ut, quoad fieri possit, unus et idem sit ordo divini officii persolvendi in universa Provincia.

Hinc operi sedulo incumbens orator, Kalendarium ordinavit ex universali Ecclesiæ, ex illo Hispaniæ, et ex festis quæ in nonnullis Provinciæ Diœcesibus celebrantur, et opportunum visum fuit Episcopis ut ad omnes extendantur, Kalendarium ita dispositum placuit Patribus, et auditis Cathedralium Capitulis, voluerunt, ut tam proprio quam ipsorum nomine, approbationem illius a S. V. impleret, supposita benigna concessione sequentium postulorum, juxta quæ fuit ordinatum.

I. Ut in universa Provincia supprimantur octavæ festorum secundæ classis pro Hispania concessæ, videlicet, S. Vincentii Lev. et Mart., S. Ildephonsi Episc. et Conf. (Diœcesi Zamorensi excepta, quæ a jure eam celebrare tenetur, utpote Patroni principalis) S. Juliani Episc. et Conf., S. Elisabeth Regina Portugalliæ, et

S. Angeli Regni Custodis, quæ jam suppressæ fuerunt in hac Metropolitana, et in non paucis Hispaniæ Diœcesibus. Similiter octava Visitationis B. Mariæ Virg., quæ in tribus Provinciæ Diœcesibus ex consuetudine celebratur.

II. Ut ad unum reducantur officia Sanctorum Cæcillii, Torquati, Secundi, Indaletii, et Euphrasii Epp. et Mm., qui a B. Petro Apostolorum Principe ordinati et in Hispaniam missi fuerunt ad prædicandum Evangelium, atque sub titulo: *In festo Ss. Torquati, Cæcillii, Secundi, et Soc. Epp. Mm. dupl. maj.* celebretur die 21 Maji. Ita ex antiquo fit in Cæsaraugustana Ecclesia, aliisque postea concessum fuit, et etiam Vallisoletanæ. Abulensis vero, quæ S. Secundum Patronum veneratur, retinebit peculiare ipsius festum et officium cum octava.

III. Ut pariter ad unum reducantur officia, quæ diversis diebus in Diœcesibus celebrantur ratione Reliquiæ alicujus Sancti, uti concessum fuit Vallisoletanæ et Abulensi, atque ut ritu *duplici majori*, et officio pro aliquibus locis approbato, celebretur die 6 Novembris, ut in Vallisoletana.

IV. Ut ad omnes Provinciæ Diœceses extendantur officia sequentia, pro aliquibus locis approbata, quæ jam Vallisoletanæ, aliisque in Hispania concessa fuere, scilicet, Instrumentorum Passionis D. N. J. C., Maternitatis, et Puritatis B. M. V. (cum indulto ea transferendi, juxta Rubricas et S. R. C. Decreta, si impediuntur) Smi. Redemptoris, Commemorationis omnium Ss. Romanorum Pontificum, S. Blasii Ep. et M., Beatæ Julianæ Cornel. Virg., S. Benedicti Josephi Labre, Conf. S. Joannis Bapt. de Rubeis Conf., S. Rochi Conf., S. Petri Arbues Mart., Beatæ Margaritæ Mariæ de Alacoque Virg., et S. Stanislai de Kostka Conf.

V. Ut universæ Provinciæ tribuatur indultum recitandi sub ritu *dup. maj.* officium S. Alphonsi Rodriguez Conf., nuper Sanctorum albo adscripti, quod jam antea concessum fuerat Diœcesi Segoviensi, in qua natus fuit; necnon B. Alphonsi de Orozco Conf., Abulæ oriundi, cujus corpus Vallisoleti veneratur, quique tam ibi, quam Salmanticæ virtutibus et prædicatione enituit. Hujus Beati Officium in Vallisoletana et Abulensi Diœcesibus celebratur ex indulto Apostolico.

VI. Ut ad ritum 2.^o *classis* eleventur in Provincia: 1.^o Festum Septem Dolorum B. M. V., feria VI post Dominicam Passionis, ne aliquando ab aliis officiis impediatur omnino, uti concessum fuit jam Diœcesibus Salmantinæ, Segoviensi et Zamorensi. 2.^o Festum B. M. V. de Monte Carmelo, sicut datum fuit Vallisoletanæ, Civitatensi et Salmantinæ, aliisque extra Provinciam. 3.^o Festum Transverberationis S. Teresiæ a Jesu, Provinciæ Patronæ, sicut ex indulto apostolico habetur in Salmantina et Civitatensi.

VII. Peroptantes Episcopi et Capitula ut in universa Provincia dignius honorentur Patroni Diœceseon, qui potiori ritu non gaudent in Breviario, necnon præclarissimi sancti qui illam illustrarunt, postulant ut *ritu duplici majori* donentur S. Petrus Regalatus Conf. Patronus Vallisoletanus, S. Thuribius de Liebana Ep. et Conf. Patronus Asturicensis, S. Joannes a S. Facundo Conf. Patronus Salmantinus, S. Fructus Conf. Patronus Segoviensis, S. Thuribius a Mogrovejo Ep. et Conf., S. Thomas à Villanova Ep. et Conf., et S. Vincentius Ferrerius Conf., qui nostris

in Diœcesibus virtutibus et prædicatione floruerunt, atque magnalia fecerunt, quique aliis in Diœcesibus hoc vel potiori ritu potiuntur. Denique S. Joannes Nepomucenus Mart., uti jam Vallisoletanæ, aliisque concessum fuit.

VIII. Peroptant similiter ut Provinciæ indulgeatur recitare officia propria Ss. Petri Regalati, Thomæ a Villanova, Vincentii Ferrerii, et Joannis Nepomuceni, sicut de primo Vallisoletanæ Metropoli, de secundo et tertio Valentinæ, Toletanæ, Matritensi, aliisque datum fuit, ac de quarto huic Vallisoletanæ et Legionensi. In Officio tamen S. Thomæ a Villanova retinere oportebit lectiones 2. Nocturni quæ habentur in Breviario, nam quæ in proprio leguntur, divisam habent historiam inter festum et octavam.

IX. Ut in Calendario Provinciæ inscribatur die 24 Maji *Festum B. M. V. Auxil. Christianorum* cum officio pro aliquibus locis approbato.

X. Quum non tantum Cathedrales, sed etiam aliæ quamplures sint in Diœcesibus ecclesiæ consecratæ, uno eodemque die celebretur in unaquaque *Anniversarium Dedicationis Ecclesiæ Cathedralis et aliarum Diœceseos* cum octava.

XI. Præter omnia prædicta, quæ ad optatam uniformitatem, et ad cultus splendorem spectant, unaquæque Diœcesis retineat officia Titularis Ecclesiæ Cathedralis, cæteraque ipsis peculiaria, uti *Vallisoletana* festa B. M. V. de Sacratio, et S. Francisci a S. Michaele Mart., *Abulensis* Translationis S. Secundi Patroni ejusdem, et Ss. Vincentii, Sabinæ, et Christetæ Mm., *Asturicensis* S. Marthæ V. et M., *Salmantina* Ss. Quinque Martyrum Salmaticensium, *Zamorensis* Inventionis S. Ildephonsi, S. Atilani ejusdem Episcopi, et alia similiter ipsis, cæterisque speciali modo propria, atque celebrentur diebus ex indulto apostolico, vel ex antiqua consuetudine statutis. Illa vero quæ ratione ipsorum impediuntur, perpetuo transferantur ad primam diem in Provinciæ Calendario liberam. Etenim præter quod nulla invenitur valida ratio, ut prædicta festa ad universam Provinciam extendantur, si ita fieret, et omnia omnibus darentur, vix ulla dies remaneret libera pro aliis officiis quotannis juxta Rubricas accidentaliter transferendis.

Dignetur igitur S. V., si ita in Domino expedire judicaverit, Calendarium ad prædictorum normam ordinatum approbare, eaque concedere quæ superius enunciata sunt, ut in universa Provincia idem sit ordo pro divino officio persolvendo, atque Dei honor et cultus in omnibus ipsius ecclesiis augeatur.

Bme. Pater.—S. V. humill. fil. ac serv.—BENEDICTUS, *Archiepiscopus Vallisoletanus*.—Vallisoleti 19 Martii 1888.

PROVINCIAE ECCLESIASTICÆ VALLISOLETANÆ.

De regulari sacræ liturgiæ ordinatione in Ecclesiastica Provincia Vallisoletana summopere solliciti Rmus. Dnus. Benedictus Sanz et Forés Archiepiscopus, ejusque Rmi. Episcopi Suffraganei, in Synodo Provinciali anno superiore ab ipsis habita, constituerunt, ut unum idemque in tota Ecclesiastica Provincia Vallisoletana

assumeretur Kalendarium, quod ad normam Rubricarum, ac Sanctæ Sedis Decretorum plane redigeretur. Hinc ejusmodi Kalendarium concinnare curarunt, quod Sanctissimi Domini Nostri Leonis Papæ XIII sanctioni humillime exhibuerunt.

Quum vero Kalendarium ipsum Sacra Rituum Congregatio, de mandato Sanctitatis Suæ, juxta præfinitas regulas expenderit, atque, uti prostat in superiori exemplari ordinaverit, utendo facultatibus sibi specialiter ab eodem Sanctissimo Domino Nostro tributis, in usum Cleri Archidiœceseos Vallisoletanæ, necnon diœcesium Asturicen., Abulen., Civitaten., Salmantin., Segovien., et Zamoren., quibus præfata Provincia Ecclesiastica constat, approbavit et concessit. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 28 Aprilis 1888. A. Card. Bianchi S. R. C. Præf.—Loco ✠ sigilli.—Laurentius Salvati S. R. C. Secretarius.

PROVINCIAE ECCLESIASTICÆ VALLISOLETANÆ.

Rmus. Dnus. Benedictus Sanz et Forés Archiepiscopus Vallisoletanus, nomine etiam omnium Sacrorum Antistitum qui Provinciali Synodo Vallisoletanæ nuper celebratæ interfuerunt, a Smo. Domino Nostro Leone Papa XIII humillimis precibus expetivit, 1.º ut a Clero omnium ipsius Provinciæ Diœcesium in Festis S. Petri Regalati Conf., S. Joannis Nepomuceni Mart., prouti suæ Archidiœcesi concessum est, nec non S. Thomæ a Villanova Episc. et Conf., ac S. Vincentii Ferrerii Conf., quemadmodum nonnullis Hispaniæ Diœcesibus indultum fuit, adhiberi valeant Officia et Missæ propriæ; retentis quoad Officium præfati S. Thomæ Lectiones 2. Nocturni uti in Breviario Romano. 2.º Ut in unaquaque rememoratæ Provinciæ Diœcesi, uno eodemque die recolatur Festum Dedicationis tum Ecclesiæ Cathedralis, tum ceterarum Ecclesiarum, sub competenti ritu duplicis primæ clasís cum octava. Sacra porro Rituum Congregatio, utendo facultatibus sibi specialiter ab eodem Smo. Domino Nostro tributis, benigne annuit in omnibus juxta preces: servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 2 Junii 1888.—A. Card. Bianchi S. R. C. Præf.—Loco ✠ sigilli.—Laurentius Salvati S. R. C. Secretarius.

II.

Beatissime Pater: Per Decretum Sacr. Rit. Congregationis diei 28 Aprilis 1888, quo approbatum fuit Provinciæ nostræ Kalendarium noviter concinnatum, ritus 2.º classis tribuitur Festo Transverberationis S. Teresiæ a Jesu, quam S. V. ipsius Patronam declaravit ac constituit per aliud illius S. Cong. Decretum diei 8 Aprilis 1886. Nunc autem peroptantes præclarissimæ Patronæ cultum augere, una mecum Episcopi Comprovinciales a S. V. exposcunt indultum, ut in præfato Transverberationis festo recitari liceat ab omnibus Provinciæ Kalendario utentibus officium proprium cum Missa pro Ordine Carmelitarum Excalceatorum jam diu a Sancta Sede approbatum. Bme. Pater.—B., *Archiepiscopus Vallisoletanus.*

PROVINCIAE ECCLESIASTICAE VALLISOLETANÆ.

Hodiernus Rmus. Archiepiscopus Vallisoletanus, proprio et Comprovincialium Episcoporum nomine, a Sanctissimo Domino Nostro Leone Papa XIII, humilibus datis precibus, expetivit, ut in Festo *Transverberationis Sanctæ Teresiæ Virginis* ejusdem Prvinciæ Patronæ, a Clero tum sæculari, tum Regulari Diœcesano Calendario utente, universæ ipsius Provinciæ, amodo usurpari valeat Officium proprium cum Missa pro Ordine Carmelitarum Excalceatorum jamdiu a Sancta Sede approbatum. Sacra porro Rituum Congregatio, utendo facultatibus sibi specialiter ab eodem Sanctissimo Domino Nostro tributis, benigne annuit pro gratia juxta preces; servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 26 Junii 1888.—A. Card. Bianchi S. R. C. Præf.—L. ✠ S.—Laurentius Salvati S. R. C. Secretarius.

III.

Beatissime Pater: Per Decretum Sacr. Rit. Congregationis approbatum fuit Kalendarium totius Provinciæ Vallisoletanæ, in quo ritus dupl. maj. tribuitur in universa Provincia Sanctis uniuscujusque Diœceseos Patronis, qui potiori non gaudent. Ex illis officium proprium et Missam in Hispania habet ex antiquo S. Fructus Patronus Segoviensis, et in Provincia S. Petrus Regalatus Archidiœcesis Vallisoletanæ Patronus ex Decreto ipsius Sacræ Congregationis. Peroptat Episcopus Salmaticensis ut similiter ad universam extendatur Provinciam officium proprium cum Missa S. Joannis a S. Facundo illius Diœcesis Patroni a Smo. Dño. Pio IX pro ipsa indulto. Cæteris Provinciæ Episcopis minime displicet, ideoque proprio et ipsorum nomine humiliter adprecor ut hæc gratia a S. V. benignitate apostolica Provinciæ nostræ concedatur.—Bme. Pater.—B., *Archiep. Vallisoletanus.*

PROVINCIAE ECCLESIASTICAE VALLISOLETANÆ.

Hodiernus Rmus. Episcopus Salmaticensis, accedentibus omnibus Provinciæ Ecclesiasticæ Vallisoletanæ Episcoporum suffragiis, humillime a Smo. Dño. Nostro Leone Papa XIII expetivit, ut ad universam præfatam Provinciam extendere dignaretur Officium proprium cum respondente Missa *S. Joannis a S. Facundo*, Diœceseos sibi creditæ præcipui Patroni, et totius Hispaniæ optime meriti. Sacra porro Rituum Congregatio, utendo facultatibus sibi specialiter ab eodem Smo. Dño. Nostro tributis, benigne annuit pro gratia juxta preces. Contrariis non obstantibus quibuscumque.—Die 1. Septembris 1888.—A. Card. Bianchi S. R. C. Præf.—Loco ✠ sigilli.—Laurentius Salvati S. R. C. Secretarius.

IV.

Bme. Pater: Nostris in Diœcesibus vigent, charitatis opera explentes, Collationes S. Vincentii a Paulo, tam virorum, quam mulierum, atque in hospitalibus et orphanotrophiis Societas Filiarum Charitatis; unde in die illi Sancto sacra ipsum solemniter honorare ab omnibus desideratur. Attamen cum in Hispania præfata die celebretur festum Ss. Justæ et Rufinæ Vv. et Mm., officium S. Vincentii ad diem 24 Julii perpetuo translatum est, et fidelibus displicet in festo Patroni omnium charitatis operum ipsius Missam celebrari non posse, quod etiam rudioribus innotescit ex paramentis rubris ob festum Sanctarum Martyrum. Devotioni fidelium satisfacere cupientes Episcopi, optarent festum S. Vincentii in proprio ipsius die retinere, illudque Ss. Justæ et Rufinæ ad 24 Julii transferre, atque ut Rubricæ minime obstent, *ritum dup. maj.* officio S. Vincentii tribui, ut juxta occurrentiæ leges, prælationem obtineat.—Si ita in Domino expedire censuerit, dignetur S. V. his votis benigne annuere.—Bme. Pater.—BENEDICTUS, *Archiep. Vallisotetanus.*

PROVINCIAE ECCLESIASTICÆ VALLISOLETANÆ.

.....Devotioni fidelium satisfacere cupientes Episcopi præfata Provinciæ Ecclesiasticæ a Smo. Dno. Nostro Leone Papa XIII humillime efflagitarunt, ut Festum S. Vincentii a Paulo in proprio die retineri valeat, illudque Ss. Justæ et Rufinæ ad diem 24 transferri, atque, ut Rubricæ minime obstent, ritus duplicis majoris Festo S. Vincentii tribui; adeo ut juxta occurrentiæ leges prælationem ipsum obtineat. Sacra porro Rituum Congregatio, utendo facultatibus sibi specialiter ab eodem Smo. Dno. Nostro tributis, benigne annuit pro gratia juxta preces; servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 1. Septembris 1888.—A. Card. Bianchi S. R. C. Præf.—Laurentius Salvati S. R. C. Secretarius.

PRECES ET DECRETUM

circa periodum adimpletionis præcepti Paschalis.

Beatissime Pater: In Provinciali Synodo Vallisoletana, anno 1887 habita, propositum fuit sequens decretum: «Ut huic præcepto (Communionis Paschalis) omnes fideles facilius satisfacere, et ut excussationis causam desides prætere minime possint, Episcopi quotannis denuntient periodum adimpletionis ex diuturno usu et praxi suarum Diœcesum statutam, quin ultia Sanctissimæ Trinitatis Festum protrahatur».

In decretorum revisione S. Congregatio Concilii præcepit ac rescripsit, sic illud exarandum esse:.... «denuntient periodum adimpletionis juxta praxim suarum Diœcesum *ex Apostolico Indulto statutam*».

Probatur ergo perantiqua praxis, quæ originem supponitur habuisse ex Indulto Apostolico: sed de hoc nihil in Provinciæ Diœcesibus constat. Praxim tamen sustinere necessarium omnino videtur. Magna enim sacerdotum inopia laboramus, quin spes affulgeat illorum numerum augendi, eo quod, præter alia, omnibus suis bonis expoliata Ecclesia, redditibus caret ad alios præter parochos sustentandos. Hinc non pauci sunt parochi, qui absque socio, vel cum uno tantum coadjutore, populos regunt, in quibus usque ad tria millia incolarum numerantur, ideoque impossibile illis evadit in brevissima a jure statuta periodo fideles omnes ad Sacramenta Paschalia vocare, aliaque officia sui muneris adimplere.

Præterea populi antiquæ praxi assuefacti, atque paternarum traditionum tenacissimi, ægre ac reluctantanter ferrent quidquid strictius præciperetur; unde quamplures a seductoribus decepti, qui eos ab Ecclesia avertere omni studio conantur, præceptum minime adimplebunt sub prætextu innovationis, atque in scandalum et ruinam pusillorum erunt.

Hæc meditantes Fratres Comprovinciales, scientesque hoc ipsum, iisdemque de causis tributum fuisse aliis regionibus, semel atque iterum instant ut eorum omnium nomine, quod a Sacra Congregatione supponitur antiquitus datum, a Sanctitate Vestra humiliter expostulem; Apostolicum scilicet Indultum, cujus vi in unaquaque Diœcesi servetur quod in synodali decreto statutum.

Fratrum votis obtemperans hanc gratiam a Sanctitate Vestra enixe precatur.—
BENEDICTUS, *Archiepiscopus Vallisoletanus*.

Die 8 Aprilis 1889. Ssmus. Dnus. Noster, audita relatione Secretarii S. Congregationis Concilii, benigne indulset, ut Archiepiscopus Vallisoletanus enuntiatam praxim pro suo arbitrio et conscientia gratis approbare possit et valeat.—A. CARD. Episc. Sab. Præfect.—Loco ✠ Sigilli.—L. Salvati, *Secretarius*.

NOS D. D. BENEDICTUS SANZ ET FORÈS, DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA, ARCHIEPISCOPUS VALLISOLETANUS.

Utendo facultatibus a Smo. Dno. Nostro Leone Papa XIII in præcedenti rescripto Nobis tributis, et accepta a Rmis. Fratribus Comprovincialibus notitia de periodo ad adimplendum paschale præceptum ex suarum Diœceseon praxi statutam, illam approbamus et legitimam declaramus, ita ut fideles, qui, ipsa, prout infra, perdurante, ad sacram mensam in propria paræcia accesserint, ecclesiasticum præceptum de Eucharistica communione in Paschate accipienda rite adimplere censeantur.

Hæc ergo probata periodus incipit pro Vallisoletana Nostra Archidiocœsi in Dominica IV Quadragesimæ, et pro cæteris Provinciæ Diocœsibus in Dominica III, atque finem habet pro Salmantina et Segoviensi in Dominica III post Pascha, et pro omnibus aliis in Festo Smæ. Trinitatis.

Vallisoleti die 13 Maji 1889.

† BENEDICTUS, ARCHIEPISCOPUS VALLISOLETANUS.

De mandato Exmi. ac Rmi. Dni. Archiep.

Joseph Mesequer et Gosta,

SECRETARIUS.

INSTRUCTIO

pro Ecclesiastici Curiis quoad modum procedendi œconomice in causis
disciplinaribus et criminalibus clericorum.

Sacra hæc Episcoporum et Regularium Congregatio, mature præsentia Ecclesiæ conditione perpensa, quæ pene ubique impeditur, quominus externam explicet suam actionem super materias et personas ecclesiasticas, et considerato quoque defectu mediorum aptorum pro regulari curiarum ordinatione, constituit facultatem Ordinariis locorum expresse concedere, ut formas magis œconomicas adhibere valeant in exercitio suæ disciplinaris jurisdictionis super Clericis. Ut autem tota justitiæ ratio sarta tectaue maneat, serveturque processuum canonica regularitas et uniformitas, opportunum censuit sequentes emanare normas, a Curiis servandas.

I. Ordinario pastorale onus incumbit disciplinam correctionemque Clericorum a se dependentium curandi, super eorumdem vitæ rationem vigilando, remediisque utendo canonicis ad præcavendas apud eosdem et eliminandas ordinis perturbationes.

II. Ex his remediis alia præveniunt, alia reprimunt et medelam afferunt. Priora ad hoc diriguntur ut impediunt quominus malum adveniat, ut scandali stimuli, occasiones voluntariæ, causæque ad delinquendum proxime admoveantur. Altera finem habent revocandi delinquentes ut sapiant, reparentque admissi criminis consequentias.

III. Conscientiæ et prudentiæ Ordinarii horum remediorum incumbit applicatio, juxta canonum præscriptiones, et casuum, adjunctorumque gravitatem.

IV. Mediis quæ præservant præcipue accensentur spiritualia exercitia, monitiones et præcepta.

V. Has provisiones præcedere debet summaria facti cognitio quæ ab Ordinario notanda est, ut *ad ulteriora* procedere, quatenus opus sit, et certiore reddere queat superiorem Auctoritatem, in casu legitimi recursus.

VI. Canonicae monitiones fiunt sive in forma paterna et secreta (etiam per epistolam, aut per interpositam personam), sive in forma legali, ita tamen ut de earumdem executione constet ex aliquo actu.

VII. Quatenus infructuosae monitiones evadant, Ordinarius praecipit Curiae, ut delinquenti analogum injungatur praecipuum, in quo declaretur quid eidem agendum aut omittendum sit, cum respondentis poenae ecclesiasticae comminatione, quam incurret in casu transgressionis.

VIII. Praecipuum intimatur praevecto a Cancellario coram Vicario Generali; sive coram duobus testibus ecclesiasticis aut laicis probatae integritatis. § 1. Actus subsignatur a partibus praesentibus, et a praevecto quoque, si velit. § 2. Vicarius Generalis adjicere valet juramentum servandi secretum, quantum id prudenter expetat tituli indoles, de quo agitur.

IX. Quoad poenalia media, animadvertant reverendissimi Ordinarii, praesenti instructione haud derogatum esse judiciorum solemnitatibus, per sacros Canones, per Apostolicas Constitutiones, et alias ecclesiasticas dispositiones imperatis, quatenus eadem libere efficaciterque applicari queant; sed oeconomicae formae consulere intendunt illis casibus Curiisque, in quibus solemnes processus adhiberi nequeunt, aut non expediri videantur. Plenam quoque vim servat suam extrajudiciale remedium *ex informata conscientia* pro criminibus occultis, quod decrevit S. Trid. Synodus in *Sess. 14, Cap. 1 de Ref.* adhibendum, cum illis regulis et reservationibus, quam constanter servavit pro dicti capituli interpretatione S. Concilii Congregatio in pluribus resolutionibus, et praecipue in *Bosnien et Sirmien* 20 December 1873.

X. Quum procedi oporteat criminaliter, sive infractionis praecipui, aut criminum communium, vel legum Ecclesiae violationis causa, processus confici potest formis summariis et absque judicii strepitu, servatis semper regulis justitiae substantialibus.

XI. Processus instruitur *ex officio*, aut in sequelam supplicis libelli et querelae, aut notitiae, alio modo a Curia habitae, et ad finem perducitur eo consilio, ut omni studio atque prudentia veritas tegatur, et cognitio tum criminis, cum reitatis aut innocentiae accusati exurgat.

XII. Processus confectio committi potest alicui probo atque idoneo ecclesiastico, adstante Actuario.

XIII. Unicuique Curiae opus est Procuratore Fiscali pro justitiae et legi stutela.

XIV. Quatenus pro intimationibus aut notificationibus, haud praesto sit opera Apparitorum Curiae, suppletur exhibitione earumdem explenda per qualificatam personam, quae de facto certioret; sive eas trasmittendo opere commendationis penes tabellariorum officio, illis in locis in quibus hoc invaluit systema, exposcendo fidem exhibitionis, receptionis, aut repudii.

XV. Basis facti criminosi constitui potest per expositionem in processu habitam, authenticis roboratam informationibus aut confessionibus extrajudicialibus, vel testium depositionibus, et quoad titulum transgressionis praecipui constat per

novam exhibitionem decreti et actus indictionis, perfectorum modis enuntiatis art. VII et VIII.

XVI. Ad retinendam in specie culpabilitatem accusati opus est probatione legali, quæ talia continere debet elementa, ut veritatem evincat, aut saltem inducat moralem certitudinem, remoto in contrarium quovis rationabili dubio.

XVII. Personæ, quas examinare expediat, semper audiantur separatim.

XVIII. Testes ad probationem, aut ad defensionem, quoties legalia obstacula haud obsistant, sub juramento audiri debent, quod extendi potest, si opus sit ad obligationem secreti.

XIX. Testium absentium, aut in aliena Diœcesi morantium exposcitur examen in subsidium ab Ecclesiastica loci auctoritate, eidem transmittendo prospectum facti; et Auctoritas requisita petitioni respondet, servando præsentis instructionis normas.

XX. Quoties indicentur testes ob facta aut adjuncta essentialiter utilia merito Causæ, qui examini subjici nequeant, eo quod censeatur haud convenire ut vocentur, aut quia vocati abnuant, mentio eorundem fit in actibus, et curatur supplere eorum defectui per depositiones aliorum testium, qui de relato aut alia ratione noverint id quod exquiritur.

XXI. Quum collectum fuerit quidquid opus sit ad factum et accusati responsabilitatem constituendam, vocatur iste ad examen.

XXII. In indictione, nisi prudentia id vetet, exponuntur ei per extensum accusationes adversus eum collatæ, ut parari valeat ad respondendum.

XXIII. Quando autem ob occasionum qualitates, aut ob alia adjuncta prudens non sit in actu intimationis eas patefacere, in hac solum innuitur eundem ad examen vocari ut sese excuset in Causa, quæ ipsum respicit ut accusatum.

XXIV. Si judicio sistere abnuat, iteratur indictio, in qua eidem præfigitur congruum peremptorium terminum, eique significatur quod si adhuc obedire renuat, habebitur ceu contumax; et pro tali in facto æstimabitur, quatenus absque probato legitimo impedimento, istam quoque posthaberet intimationem.

XXV. Si compareat, auditur in examine; et quatenus inductiones faciat alicujus momenti, debent istæ, quantum fieri potest, exhauriri.

XXVI. Proceditur inde ad contestationem facti criminosi, et conclusionum habitaram, ad retinendum accusatum criminis, lapsusque in relativis pœnis canonicis.

XXVII. Quum accusatus, tali modo, habeat plenam cognitionem ejus quod in actis extat contra se, ultra quod respondere possit, jure se defendendi a semetipso uti valet.

XXVIII. Potest quoque, si id expetat, obtinere præfixionem termini ad exhibendam defensionem cum memoria in scriptis, præcipue quando ob dispositionem art. XXIII, nequiverit paratus esse ad responsa pro sua excusatione.

XXIX. Expleto processu, actorum instructor, restrictum conficit essentialium conclusionum ejusdem.

XXX. In die in qua Causa proponitur, est in facultate accusati faciendi se representare et defendere ab alio Sacerdote, aut laico Patrocinatore, antea approbatus ab Ordinario.

XXXI. Quatenus præventus constituere defensorem renuat, Ordinarius consulit constituendum aliquem ex officio.

XXXII. Defensor caute notitiam haurit processus et restricti in Cancellaria, ut paratus sit ad defensionem peragendam, quæ ante propositionem causæ exhiberi potest in scriptis. Ipse quoque subjicitur oneri secreti jurati, quatenus Ordinario videatur indolem Causæ id expostulare.

XXXIII. Transmittitur deinde Procuratori fiscali processus et restrictus, ut munere suo *ex officio* fungatur; uterque Ordinario traditur, qui, plena Causæ cognitione adepta, diem constituit in qua disceptanda et resolvenda sit, curans ut accusatus certior de hoc fiat.

XXXIV. Die constituta proponitur Causa coram Vicario Generali, interessentibus Procuratore Fiscali, Defensore, et Cancellario.

XXXV. Post votum Procuratoris Fiscali, et deductiones defensionis profertur sententia, dictando dispositivam Cancellario cum expressa mentione, in casu damnationis, canonicæ sanctionis accusato applicatæ.

XXXVI. Sententia indicitur prævento, qui appellationem interponere potest ad Auctoritatem Ecclesiasticam superiorem.

XXXVII. Pro appellatione servantur normæ statutæ a Constitutione *Ad militantes* s. m. Benedicti XIV 30 Martii 1742, aliæque emanatæ ab hac S. Congregatione Decreto 18 Decemb. 1835, et Littera circulari diei 1 Augusti 1851.

XXXVIII. Comparatio pro appellatione facienda est infra terminum decem dierum a notificatione sententiæ, quo termino inutiliter elapso, sententia ipsa in executionis statu reperitur.

XXXIX. Interposita appellatione infra decem dies, Curia absque mora remittit ad Auctoritatem ecclesiasticam superiorem, apud quam appellatio facta est, omnes actus Causæ originales, id est, processum, restrictum, defensiones et sententiam.

XL. Auctoritas ecclesiastica superior, capta cognitione actus appellationis, intimare facit appellanti, ut infra terminum viginti dierum Defensorem constituat, qui approbari debet ab eadem superiori auctoritate.

XLI. Decurso dicto termino peremptorio absque effectu, censetur appellantem nuncium mississe appellationis beneficio, et hæc consequenter perempta declaratur a superiore auctoritate.

XLII. Quum appellatio producitur a sententia alicujus Curie Episcopalis ad Metropolitanam, Archiepiscopus pro cognitione et decisione Causæ sequitur normam procedendi in hac instructione traditam.

XLIII. Si contingat quod Clericus, non obstante fori privilegio, ob crimina communia subjiatur processui et iudicio laicæ potestatis, Ordinarius, hoc in casu, summariam sumit criminosi facti cognitionem, atque perpendit an ipsum, ad tra-

dita per sacros canones, locum faciat infamiæ, irregularitati, aut alii ecclesiasticæ sanctioni.

§ 1. Donec iudicium pendeat, aut accusatus detentus sit, prudens est, quod Ordinarius sese limitet ad media provisoriam.

§ 2. Expleto tamen iudicio, et libero reddito accusato, Curia juxta exitum informationum ceu superius assumptarum, procedit ad tramites dispositionum præsentis instructionis.

XLIV. In casibus dubiis, et in variis practicis difficultatibus, quæ contingere possint, Ordinarii consulant hanc S. Congregationem, ab vitandas contentiones et nullitates.

Ex Audientia Smi. diei 11 Junii 1880.

SSmus. Dnus. Noster Leo div. prov. PP. XIII, audita relatione præsentis Instructionis ab infrascripto Sac. Congreg. Episcoporum. et Regularium Secretario, eam in omnibus approbare et confirmare dignatus est.

Romæ die et anno quibus supra.—I. CARD. FERRIERI Præf.—J. B. AGNOZZI Secretarius.



Pág.	Lin.	ERRATA.	CORRIGE.
XXXVII	19	Quarto	Quartæ
7	2	ac vitam	ad vitam
20	17	ut ii	ut is.
23	6	inquirantes	inquirentes
29	13	odie	hodie
31	18	incautus	incautos
id.	(4)	Prov. XXXV.	Psalm. XXXV.
36	(1)	Encycl. <i>Sancta Dei.</i>	Rom. V. 2.
id.	(4)	S. Joann. III. 17.	I. Joann. III. 17.
43	9	<i>Immortali</i>	<i>Immortale</i>
50	31	agitur, instituta.	agitur, prosperitatem instituta.
51	19	Corduvensis	Cordubensis.
53	15	ad Ecclesiam	adversus Ecclesiam
54	29	impedire	impediri
59	2	æc	ac
id.	13	præstitum	præstitutum
65	9	æconomicos	ceconomicos
68	12	ecclesia	ecclesiæ
69	28	interruptam	interruptam
80	14	ut si	et si
90	20	turmatim	turnatim
91	1	colegii	colegiis
93	10	mirice	mirifice
97	12	acceptionis	acceptionis
110	13	eam	ea
112	9	sacramentis	sacramenti
id.	13	declaratam	declaratum
116	26	contritus, videatur	contritus videatur
120	34	plantatum	plantatam
121	6	sinixtram	sinistram
id.	9	pareant	parcant
122	23	santificandos	sanctificandos
123	15	sacramentorum	sacramentum
124	25	dimmitere	dimittere
137	22	donum sit	donum sint
138	1	edocent; quis	edocent quis
140	26	vitæ nova	vitæ noxa
141	9	quemdam	quamdam
153	18	possit	possint
169	8	hymo	hymno
170	31	debeat	debeant
175	28	voluerunt	coluerunt
191	6	posint	possint
193	5	ecclesiam	ecclesiæ
201	27	vis	vix
204	39	exhorabunt	exorabunt
207	32	de nimia	ne nimia
208	11	inimici	inimica

Pág.	Lín.	ERRATA.	CORRIGE.
210	17	aut quin	aut qui
211	27	debitent	devitent
213	9	relinquimus	reliquimus
id.	14	mei	Dei
id.	32	prælio	prælia
215	última.	dicant	dicam
217	9	ordinis, propriæ	ordinis propriæ
218	17	bona. Ecclesia	bona, Ecclesia
id.	22	militantes	militantis
220	1	ætas, hæc	ætas hæc
225	5	et si	etsi
227	30	Ecclesiæ	et Ecclesiæ
230	23	a eris	aeris
233	12	qui	cui
235	33	philisophicis	philosophicis
248	35	ad orantes	adorantes
252	30	honorum	honorem
255	12	corporalia jejuno	corporali jejunio
258	17	sunt et restituta,	sunt, et restituta
id.	28	perfruentur	perfruentur
260	19	religionem	religionis
264	1	catechismum	catechismus
270	14	constientiæ	conscientiæ
278	31	opponere	nos opponere



INDEX

PAGINAS.

Promulgatio Decretorum Concilii.	V
Litteræ quibus Concilii provincialis acta et decreta Summi Pontificis revisioni et approbationi subjiciuntur.	VIII
Litteræ Em. Card. Serafini S. C. C. Præf. de recognitis Concilii actis et decretis.	IX
Acta primi Concilii Provincialis Vallisoletani.	XI
Acta prævia.	<i>ibid.</i>
Litteræ Metropolitanæ ad Smum. Dom. Leonem XIII.	XII
Congregatio generalis præparatoria.	XVI
Sessio solemnitas prima.	XXI
Allocutio Rmi. Archiepiscopi.	XXIII
Congregatio generalis secunda.	XXXIII
Sessio secunda solemnitas.	<i>ibid.</i>
Congregatio tertia generalis.	XXXIV
Sessio tertia solemnitas.	XXXV
Continuatio sessionis.	<i>ibid.</i>
Congregatio quarta generalis.	XXXVI
Sessio quarta solemnitas.	XXXVII
Sessionis quartæ prorogatio.	<i>ibid.</i>
Congregatio quinta generalis.	XXXVIII
Sessio solemnitas ultima.	<i>ibid.</i>
Continuatio sessionis.	XXXIX
Decretum de Testibus Synodalibus.	<i>ibid.</i>
Decretum de proximo Concilio Provinciali.	XLI
Decretum de concilio finiendo.	XLII
Allocutio Rmi. Archiepiscopi.	<i>ibid.</i>
Acclamationes.	XLIV
Decreta concilii Provincialis Vallisoletani.	I
PARS PRIMA.—De Fide Catholica.	3
Tit. I.—De fide et doctrina Ecclesiæ.	<i>ibid.</i>
Tit. II.—De fidei necessitate et præstantia.	6
Tit. III.—De fidei professione.	8
Tit. IV.—De fidei et scientiæ discrimine et concordia.	11
Tit. V.—De præcipuis hujus ætatis erroribus.	14
Tit. VI.—De fidei periculis cavendis.	19
§ I.—De libris et ephemeridibus perniciosis.	<i>ibid.</i>
§ II.—De conversatione fidelium cum alienis a fide.	24
§ III.—De scholis acatholicis et laicis.	27
§ IV.—De societatibus clandestinis.	30
§ V.—De superstitionibus et artibus illicitis.	31
Tit. VII.—De mediis ad fidem tuendam ac fovendam.	33
Tit. VIII.—De bonis libris disseminandis.	36
Tit. IX.—De censura et approbatione librorum.	38
Tit. X.—Monita ad scriptores catholicos.	40

PARS SECUNDA.—De Ecclesia, ejusque hierarchia et regimine.	47
Tit. I.—De Ecclesia Christi.	<i>ibid.</i>
Tit. II.—De Romano Pontifice.	52
Tit. III.—De Metropolita.	58
Tit. IV.—De Episcopis.	59
Tit. V.—De foro Episcopali.	63
Tit. VI.—De Concilio Provinciali.	67
Tit. VII.—De Synodo Diocesana.	68
Tit. VIII.—De Capitulis.	71
Tit. IX.—De Capitulo Collegiali.	77
Tit. X.—De Beneficiatis.	<i>ibid.</i>
Tit. XI.—De Archipresbyteris.	78
Tit. XII.—De Parochis.	82
Tit. XIII.—De Coadjutoribus.	89
Tit. XIV.—De Capellanis Monialium, hospitalium et carcerum, ac de cæteris Presbyteris.	90
Tit. XV.—De Regularibus.	92
Tit. XVI.—De sacris Virginibus.	94
PARS TERTIA.—De Sacramentis et Sacramentalibus.	101
Tit. I.—De Sacramentis in genere.	<i>ibid.</i>
Tit. II.—De Baptismo.	106
Tit. III.—De Confirmatione.	110
Tit. IV.—De Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento.	113
§ I.—De Communione Paschali.	118
§ II.—De prima puerorum communione.	120
§ III.—De Viatico et communione infirmorum.	122
Tit. V.—De Sacramento Pœnitentiæ.	124
Tit. VI.—De Extrema Unctione.	133
Tit. VII.—De Sacramento Ordinis.	136
Tit. VIII.—De Sacramento Matrimonii.	142
Tit. IX.—De Sacramentalibus.	151
PARS QUARTA.—De cultu divino.	155
Tit. I.—De cultus externi necessitate et præstantia.	<i>ibid.</i>
Tit. II.—De sacrosancto Missæ sacrificio.	157
Tit. III.—De cultu et expositione Smi. Sacramenti.	165
Tit. IV.—De cultu Sacratissimi Cordis Jesu.	171
Tit. V.—De cultu Bmæ. Virginis Mariæ, et Sanctorum.	174
Tit. VI.—De sacris Reliquiis et imaginibus.	180
Tit. VII.—De sacris ritibus.	183
Tit. VIII.—De cantu ecclesiastico et musica.	184
Tit. IX.—De ecclesiis et oratoriis.	188
Tit. X.—De sacra et ecclesiastica suppellectili.	197
Tit. XI.—De cœmeteriis et ecclesiastica sepultura.	201
PARS QUINTA.—De perfectione cleri.	205
Tit. I.—De vita et honestate Clericorum.	<i>ibid.</i>
Tit. II.—De clericali habitu et tonsura.	211
Tit. III.—De vitæ sanctimonia a clericis sectanda.	212
Tit. IV.—De sacrosancti Missæ sacrificii celebratione, et divini offi- cii recitatione.	217
Tit. V.—De externa agendi ratione.	219
Tit. VI.—De exercitiis spiritualibus.	224
Tit. VII.—De scientia Cleri.	226
Tit. VIII.—De collationibus seu conferentiis Clero habendis.	229
Tit. IX.—De Seminariis.	230


Tit.	X.—De superiore Provinciæ Seminario erigendo.	238
PARS	SEXTA.—De vita christiana.	241
Tit.	I.—De fide et pietate christiana.	242
Tit.	II.—De Deo super omnia diligendo.	244
Tit.	III.—De charitate in proximos.	246
Tit.	IV.—De christiana obedientia.	249
Tit.	V.—De festorum dierum sanctificatione.	251
Tit.	VI.—De jejunio et abstinence.	255
Tit.	VII.—De mediis ad pietatem fovendam.	258
	I.—De pietate seu cultu domestico.	<i>ibid.</i>
	II.—De christiana educatione.	259
	III.—De catechesi.	262
	IV.—De predicatione verbi divini.	265
	V.—De missionibus.	270
	VI.—De confraternitatibus, et piis sodalitiis.	271
Tit.	VIII.—De vitiis maxime fugiendis.	273
PARS	SEPTIMA.—De bonis Ecclesiæ.	281
Tit.	I.—De jure possidendi.	<i>ibid.</i>
Tit.	II.—De administratione rerum Ecclesiæ.	283
Tit.	III.—De domibus parochialibus.	284
Tit.	IV.—De foundationibus.	286
	De hujus Concilii Decretis Titulus unicus.	287
	Acta post Concilium.	[1]
	Certamen para promover los estudios eclesiasticos en España.	<i>ibid.</i>
	Preces et Decretum pro elevatione ritus in festo Sacr. Cordis Jesu.	[3]
	Preces pro Beatificatione Ven. Joannis de Avila.	[4]
	Preces et Decreta de reformatione Calendarii et concessione officiorum.	[5]
	Preces et Decretum circa periodum adimpletionis præcepti Paschalis.	[10]
	Instructio pro ecclesiasticis Curis quoad modum procedendi economice in causis disciplinaribus et criminalibus clericorum.	[12]

















9

PRIMUM

CONCILIUM

ROV. VALLISO

9393